



HENRI GABRIEL PORTIEN
KIRJALLISUUS
HENRI GABRIEL PORTIEN
HENRI GABRIEL PORTIEN
Suomalaisen

Kirjallisuuden Seuran

Henri Gabriel Portien
Kirjallisuuden Seuran
Toimituksia.

21 Osa.

4 Nrkko.



HENRICI GABRIELIS PORTHAN

OPERA SELECTA.

PARS QUARTA.

H. G. PORTHANS SKRIFTER

I URVAL

UTGIFNA

AF

FINSKA LITTERATUR-SÄLLSKAPET.

FJERDE DELEN.

HELSINGFORS,

Finska Litteratur-sällskapets tryckeri, 1870.

HENRICI GABRIELIS PORTHANI

OPERA SELECTA.

TARS QVARTA

H. G. PORTHANI SKRIFTER
Företedt: *L. Heimbürger.*

I TRIVIAL

HTGIENA

FINSKA LITTERATUR-SÄLLSKAPET.

Fjärde del.

HEIMBURGER

Finnska litteratur-sällskapet tryckeri. 1810

HISTORIOLA
CONCIONUM SACRARUM FENNICARUM.

DISSERTATIONES

QUAS

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN.

PUBLICO EXAMINI SUBMISIT

ERICUS TULINDBERG.

Aboae 1781.

Conspectus totius Opusculi.

- § 1. De initiis Religionis Christianae in Finlandia atque de *S:ti Henrici* in ea re opera.
- § 2. De Concionibus Sacris in Fennia ante Reformationem Religionis.
- § 3. De mutata earum indole per Reformationem, deque Concionibus Sec. XVI.
- § 4. De Concionibus Sacris Fennicis, quae Sec. XVII lucem adspexerunt.
- § 5. De subsidiis Oratoriae S. Fennicae hoc Seculo supeditatis.
- § 6. De statu et Speciminibus Oratoriae S. Fennicae Sec. XVIII.
- § 7. Monita quaedam Oratoribus Sacris Fennicis exhibita.

§ I.

Nullum est dubium, quin initia Religionis Christianae in Finlandia propagatae, ab expeditione Regis Sveciae ERICI *Sancti* in has oras suscepta, praecipue repetenda sint; quam haud incredibile videtur, tenuem aliquam ejus cognitionem jam antea ibidem exstitisse ¹⁾. Adscivit Rex hujus

1) Si MESSENIUS fides habenda est, *Carelii*, qui ut ille opinatur, sub dominio *Russorum* erant, quam hi profitebantur Religionem, Graecam scilicet, diu jam ante receperant; vid. ejus *Chronicon Finlandiae Rhythmicum*, (Aboae 1774, 8:o) pag. 14. Parum vero hoc verosimile videtur. Quamvis enim Careliis cum Russis paullo maturius quam cum Svecis rem fuisse, improbable haud ducimus, sui tamen juris ac a Religione Christiana alienos diu etiam postea mansisse, certum putamus. Vid. Nobiliss. LAGERBRING *Svea Rikes Historia*, del 2. pag. 671. Cfr. MÜLLERS *Samlung Russischer Geschichte*, x. B: 5. D. 6. St. p. 297, 402, 419. Potuit alioquin *per famam et culta cum vicinis commercia*, ut in Dissert. de *S:to Henrico* dicitur, (quam Praes. Cel. SCARIN, hic Aboae edidit MATTH. FONTENIUS, a. 1737, 4:o) P. 1. p. 1. religio Christiana nonnullis Finlandiae incolis qualitercunque innotuisse. Nec vero repugnamus, si quis a vicinis etiam Russis aliquam hujusmodi obscuram Christianismi notitiam ad nonnullos homines Fennos pervenisse, contendat. Vox *Þappi*, (Sacerdos) Svecis haud familiaris, a Russico *Pop* ad nos transiisse, non absurde statuitur; ut et vocabulum *Kaamattu*, quod nostratibus *Biblia* significat, a Graeco *Γραμματα* (Scil. *ἱερα*) forte derivandum, (more nostris solenni, priorem consonam abjiciendi, accedente) videri poterit ad acceptam a Graecis, potius quam a Latinis primam rei cognitionem, deducere. Ac vellemus, ut aliquis Linguae Russicae vel veteris Slavonicae peritus, dispiceret, utrum originem etiam vocum Fennicarum *Kirja*, *Liber*, *Epistola*, (an a Graeco *κyριος*, *κyριακος*?) et *Sarna* (Oratio Sacra) ex iis adferre valeant; quas Latinae et Svecicae Linguae, ut e contrario pleraque alia vocabula Ecclesiastica, non sane debemus.

expeditionis Comitem HENRICUM, Episcopum illo tempore Upsaliensem, eo consilio, ut hic Fennos Religionis Christianae notitia imbueret, et baptismi sacramento nova membra, nomine saltem tenuis, coetui Christiano acquireret. Cum itaque brevem instituerimus Historiam Litterariam Concionum Sacrarum Fennica Lingva habitarum editarumque contexere, ab ipso quidem hoc primo ut vocari solet *Fennorum Apostolo*, seriem dicendorum ducere deberemus; si quomodo ille concionatus sit, ab ullo reperiremus scriptore memoriae proditum, aut ex ullis monumentis, eruere possemus. Nunc autem, ne affirmare quidem audent, eum Lingvam omnino Fennicam addidicisse et calluisse²⁾; ac ignotum quoque nobis est, quam peritos in rudi gente docenda repererit adhibueritve interpretes. Licet igitur non mediocribus, zelum ejus indefessum in hac sparta ornanda, laudibus, Panegyristae sui extollant³⁾; certum tamen videtur, vim atque metum armorum Svecicorum, validius fuisse argumentum, quod Fennos ad profitendum Christianismum permoveret, quam conciones *Sancti HENRICI*. Testatur id Historia⁴⁾, et confirmat temporis mos; quippe qui is erat, ut

²⁾ Ut taceam, vix eum spatii otiique satis habuisse, ad Fennicam Lingvam discendam, nec ulla hujus peritiae adsunt vestigia. B. AGRICOLA in Praefatione N. Testamenti Fennice a se editi (Stockh. 1548, 4:to), indicare videtur, imperitiam hanc Lingvae Fennicae in caussa etjam fuisse, cur HENRICUS noster absonum apud nos morem introduxerit, cultum Divinum latino sermone celebrandi; licet simul fateatur, commune hoc fuisse Romanae Ecclesiae peccatum. Verba ejus sunt: *Ja ette hen (S. Henricus) oli Engelandist fughunen, senteden mös aina sifte tehenasti, ombi teße hijppacunnasa nijnquin muisafi, Latinan fieli Kircoisa, Seuracunnisa, ia Jumalan päluelyses alati ja enimitten prucattu ia harioitettu; h. e. Et quod ille (S. Henricus) in Anglia natus esset, ideo etjam semper ab eo tempore, hucusque, in hac Dioecesi, sicut etjam in aliis, Latina Lingva in Templis, Ecclesiis et cultu Divino adhiberi solita fuit.*

³⁾ Vid. VASTOVIVS *Vit. Aquilon.* (ed. BENZELII) pag. 62, 63, et BENZELII *Monumenta Vet. Eccles. Sveog.* part. 1, p. 34.

⁴⁾ Vid. VASTOVIVS loc. cit. et inprimis LAGERBRING *Svea Rifes Historia, Del 2, p. 155. seq. Codicemque ibidem citatum*

homines, tenui vel nulla fere institutione praemissa, violenter cogerentur ad Religionem superstitione jam atque commentis humanis pollutam, amplectendam, (s. verius caerimonias ejus ac ritus imitandos), de cujus itaque placitis parum sibi constaret; quam qui recipere nollent, morte digni ducebantur. Ipsum quoque nostrum HENRICUM, eam patientiam, mansuetudinem, prudentiam non adhibuisse, nec eam rationem veritatis propagandae secutum esse, quam Religio Christiana commendat, et quae necessaria sit, ad homines pio verae Religionis sensu imbuendos, docet Historia caedis suae; quam intempestivo rigore sibi accelerasse, quotquot res ejus attigerunt Auctores, indicant ⁵⁾).

§ II.

Infelix fuit subsequentibus temporibus, quamdiu in totum a placitis Pontificum Romanorum pendebat Religio, ejus in Finlandia nostra status; atque ipsa gens, quamvis quoad nomen Christiana, crassissimis tenebris immersa. Conciones tamen eo intervallo non prorsus inauditas fuisse, indicat VASTOVIVS, l. c. p. 74 seq. et p. 89 seq. priori loco docens THOMAM Episc. Aboënsē *verbo, exemploque instillavisse fidem*; et posteriori HEMMINGUM, item Ep. Ab. propter *miram laudans ejus in concionando efficaciam, qua dissolutos arguendo, pios obsecrando felicissime permovit, - - multos peccatorum oppressos veterno, excitavit in salutem* ¹⁾). Ut au-

Membranaceum, cujus haec sunt verba: *Tha samnadhe han (S. Erik) saman här oc tok met sig aff Upsala Kirko Setum Henricum, oc for til Finlandz, oc stridde oc drap alla thöm som ej vilde taka midh rättuiso oc rätte trov. Cfr. quae habet Auctor nobiliss. ibid. p. 672.*

⁵⁾ Eum justo severius tractavisse gentem adhuc ferocem, indicant plures Historici, ut VASTOVIVS loc. cit. BAAZIUS *Inventar. Eccles. Sveogoth. Lib. I, Cap. X, p. 117.* ÖRNHJÄLM *Hist. Eccles. Svec. Lib. IV. C. 4. 9, 10.* LAGERBRING l. c. pag. 256, aliique.

¹⁾ De THOMA vid. etjam LAGERBRING Tom. 2. p. 237, et de HEMMINGO Tom. 3. p. 652, seqq.

tem taceamus, raras eas saltem fuisse²⁾, certum fere videtur non multum notitiae vel emolumenti ex illis ad auditores redundare potuisse: continebant enim prope nihil aliud, quam laudes Beatae Virginis³⁾, legendas Sanctorum, atque alias tales ineptias; quæ quam parum, vel potius nihil ad veram salutis obtinendae rationem hominibus tradendam contulerint, quis non perspiciat⁴⁾? Ipsi quoque Sacerdotes, in tanta versati sunt ignorantia⁵⁾, ut saepe nullam haberent

2) Cfr. LAGERBRING Tom. 2, p. 763.

3) A quibus Conciones suas inchoasse *Hemmingum*, testatur VASTOVIVS l. c. p. 90.

4) Miseræ superstitionis, ignorantiae et stultitiae, quibus infelicibus his seculis Religio laborabat, documenta, abunde exhibent libri plerique Theologici argumenti, tum editi: quorum, quotquot intra Patriam in lucem prodierunt, recensum vide apud Nobil. von STIERNMAN *Tal om de Lärda Wetenskapernas Tilstånd i Sverige, under Hedendoms och Påfvedoms tiden*, pag. 23 seqq. ad pag. 61, (cfr. Cel. SCHEFFERUM, *Sveciae Litteratae* p. 6—18); Praeter quos, duo Tractatus Finlandiae nostrae debiti, Svecico idiomate exarati, in Bibliotheca Academica servantur, diligentissimo huic Historico ignoti, ejusdem, ac reliqui, farinae; uterque industriae acceptus referendus ejusdem Fratris JOHANNIS (Jöns) BUDDE, Monachi Nädendalensis, cui versio Svecana debetur Librorum *Judith, Esther, Ruuth et Macchabaeorum*, in R. Archivo Antiquitatum asservata. Sunt autem hi Tractatus: 1:o *Liber Spiritualis Gratiae*, s. Revelationum *S. Mechtildis*, Monialis Germanicae, e Latina in Svecicam linguam translatus, stultissimis somniis refertus; in quo tamen vertendo, singulari Sanctae ope, in somnio sibi apparentis, adjutum se fuisse, bonus Monachus, jurisjurandi etjam fide interposita, asseverat. Codex initio truncatus est. Adjunctum huic est 2:o *Viridarium Sanctae Birgittae*, sive Compendium quoddam Revelationum ejus, Svecico itidem idiomate donatum, Sanctae Birgittae græsgarder eller Yrttegarder; in fine quaedam desiderantur. Cujus generis hic liber sit, ex majore illo opere ejusdem Sanctae, satis judicari potest.

5) Ignorantiae Sacerdotum, ut et miseri Religionis status, sequentes allegare liceat testes. OLAUS PETRI in Praefatione ad suam Postillam, (Lubecae secunda vice impressam an. 1537, 4:to) de Svecis (quibus utique feliciores nostrates haud fuisse, certum est) ita scribit: *The haffua wel funnes, som haffua hafft loft och wilja til at öffna sijn i then helga scrifft, men epter thet the*

Lingvae Latinae peritiam, adeoque e Scriptura Sacra nihil proficere possent; unde mirum videri debet nemini, ipsorum

icke haffua hafft sådana förfarenhet i Latineska målet som thertil haffuer behooff gjordz, therefore haffuer theres wilje eller upsåat hafft ingen framgong. = = Haffuer än nu thet ensoldigha clerkeriet hafft the claghemaal, at texten haffuer warit dem oforstondelighen, än så at han haffuer warit utfatt på Swensko. = = Och = haffuer then mening upkommet, at strax en haffuer kunnet läsa och svinga ena meßo, så haffuer han warit godh nogh til at bliffua Ryrkioprest, än så at han platt intit haffuer metat aff Gudz ord etc. Speciatim vero de Finlandia nostra PAUL. JUUSTEN in Praefat. ad. Postillam suam Latinam, (quae manu exarata asservatur in Bibliotheca Academ. Ab.) *Vigente, inquit, apud nos idololatria Papistica, sicut et in universo reliquo mundo, alebantur quidem Sacerdotes complures, quibus adjuncti erant Monachorum ordines, in singulis fere civitatibus. Horum omnium usus et officium maxime fuit, ut praescriptum Psalmorum numerum, cum aliis cantuunculis, quotidie decantarent: additis Missis, ad aras Sanctis mortuis consecratis. Erant Missae de Beata Virgine: de Corpore Christi; de quatuordecim Auditoribus; erant etiam Missae pro defunctis, et multae aliae, quarum non est numerus. Hae saepe ab illis recitabantur, qui ipsi unam periodum Lingvae Latinae non intellexerunt. - - Si lectio aliqua ex Bibliis recitanda erat, id fiebat coram vulgo, lingua non intelligibili. Conciones ad populum non fiebant, nisi tantum diebus dominicis et sanctorum feriis: ne autem in illis habendis plures horae (inutiliter fortassis, prout illis videbatur) collocarentur, addebatur Epistola Dominicalis Evangelio, aut prolixa aliqua legenda de Sanctis, quasi textus Evangelii per se, jejunam aliquam doctrinam contineret.* Adjungimus ei MICH. AGRICOLAM, cujus in laudata supra Praefat. N. Testamenti Fennici, haec sunt verba: Senteden ette muotomat niistä Papeista jotca tehensachka ouat Seuracundhain haltiat olluet, toisfinans wähen, ia toisfinans ej miteken iße Latinasta ole ymmärtänyet, ninqwin wiele nytkin (site pahembi) monet tompelit leuten pyhes stjas istuua, nin on, qwin Sumala parateon ja armachtacon, tapachtanudh, ette he ouat sangen heijusti ja laiskasti opettanued, ia wiele tenepene heiden cankanja opettanuat. Ja muotomat taas haruoin eli ejikenens wistziuet Sarnan päle studerata, ia canka parca opetta Iße meiden lufeman, sijtteke swemmat opin cappalet. = = Nyht ettei yrtken Pappi taidka opetaia madhaisi laiskudans testelehin sille peitte, ettei hen Latinan eife Notzin kienen taidha, ia wuottais henen opeturens wirghan etc. senteden ombi nyt Wsi Testamenti yrtkerdhaisesta Textin möte wlostuskittu, 2c.

conciones jejunas atque inutiles fuisse. Quod vero harum formam speciatim attinet, de ea vetat nos penuria monumentorum aliquid afferre.

§ III.

Venimus jam ad tempora, quibus Religio Christiana, commentis diu inquinata foedissimis, puriorem tandem, et se digniorem, etjam in Finlandia habitum induit. Primus qui de inveterata superstitione oppugnanda heic satagit, fuit Mag. PETRUS SERKILAX, in Schola LUTHERI eruditus, qui a. 1522 Witteberga redux, docendo in Scholis, et concionando in Ecclesia, puriorem introduxit salutis notitiam ¹⁾. Specia- liora quaedam de viro hoc, de Ecclesia nostra optime me- rito, nullibi allata invenimus. Laudandi praeterea alii etiam sunt, repurgatae doctrinae Praecones; Mag. MICHAEL AGRI- COLA, qui *Novum Testamentum, Psalmos Davidis, XII Pro- phetas minores, et selecta quaedam alia ex Vet. Testamento Capita*, primus in Fennicum idioma transtulit ²⁾; M. PAULUS

¹⁾ Vid. P. JUUSTENI *Chronic. Episc. Aboëns.* apud Illustr. NETTELBLADT *Schwedische Bibliothek, Erste Stück*, p. 82.

²⁾ Aliis praeterea libris, elementis fidei Christianae instil- landis idoneis, populares suos donavit: *Libello Alphabetico, Libro precum, Manuali sive Rituali et Missali* (Handboken och Messan) reformato, nec non *Historia Passionis Dominicae*; quod ipse in- dicat, in Praefat. Rhythmica ad *Psalmos Davidicos* a se Fennice versos, editosque Stockh. 1551, 4:to, ita canens:

Quin **A B C Kirian** ensin on,
 Siitte alcu opista usfoon.
 Ja **rucos kirias** sangen hyuen
 Monist astoist teunnens ja syuen
 Senielken sen **Udhen Testamentin**,
 Herran Armosta lepize prentin,
Käskirian, Messun ja Passion,
 Sulast armost pais meiden ansion.

Cfr MESSENIUS *Scand. Illustr. T. X.* p. 25, qui *Catechismum* etjam *Lutheri* 1543 ab eo Fennice versum dicit; in annis autem indicandis aliquantum turbare videtur.

JUUSTEN, de quo mox plura; aliique, a B. JUUSTEN in *Chronico Episcoporum* nominati ³⁾, qui, studiis in Regionibus exteris, (ad quas beneficentia Dn. MARTINI SKYTTE ⁴⁾ Episc. tum Aboënsis, missi erant), diligenter exactis, reduces doctrinam Evangelicam non sine successu propagabant. Ipsa Methodus concionandi, quae hoc tempore apud nos obtinuit, qualis fuerit, cognita LUTHERI praecipuorumque discipulorum suorum ratione, quod ex eadem schola huc allata fuit, facile existimare licet ⁵⁾. Explicabatur textus simpliciter, additis ubi locus videretur, admonitionibus exhortationibusque brevibus: interdum pro doctrinarum praecipuarum, quas praelectus textus exhiberet, ratione, partite exponebatur: nulla certa aut artificiosa concionis forma quaesita. Confirmant hanc rem Explicationes Evangeliorum, quas Moscoviae anno 1570, Episcopus Finlandensis PAULUS JUUSTEN tempore captivitatis suae, latino sermone concinnavit; primum, unicumque ex seculo decimo sexto superstes, specimen Concionum, Fennos auctores agnoscentium, quod supra jam laudavimus. Ille tamen Exordiorum quoddam genus

³⁾ Vid. loc. cit. p. 84.

⁴⁾ De quo vid. JUUSTEN loc. cit. Summas meretur laudes, propter zelum suum Reformationem gentis Fennicae adjuvandi, quam non parum, supra indicato consilio et liberalitate, promovit. Regis jussu fecisse, et hoc nomine non solum Episcopales redditus integros percepisse, sed et qui ad Canonicos olim pertinissent, narrat RHYZELIUS *Episcoposc. Sviog.* L. VII. p. 344; nescio quo teste. Aliter JUUSTEN *Chron.* (apud NETTELBLADT l. c. p. 84) et MESSENIUS *Chron. Episcopor.* (Stockh. 1611. 8:o) C. XII. p. 114, atque *Scand. Illustr.* T. X. p. 24.

⁵⁾ Cfr. etjam commemorata supra OLAI PETRI *Postilla*: ad eandem enim formam nostrates etjam fere conciones suas adornasse, facile est ad intelligendum. Nullum apud eum reperias Exordium, nullum Thema unum aut principale, nullam itaque *Propositionem* aut *Partitionem*: sed precibus praemissis, Evangeliorum legitur brevis Analysis, Usibus item brevibus subjunctis, quibus ostenditur quis inde fructus et ad doctrinam et ad vitae emendationem capi, quae consolatio emanare possit.

plerumque adhibet, quibus summam Evangelii breviter exponit, et ipsam deinde Analysin in membra quaedam vel locos, ut ipse ait, dispertit, qui explicationem distinctiorem reddant. In Praefatione docet, se conscripsisse illud opus, partim in proprium usum, ut qui insignem, quam scriptio et diligens commentatio sacris praeconibus adferret utilitatem, haud ignoraret, partim ut hoc opere popularibus suis Ecclesiarum Ministris, inserviret, quorum multos non satis perite in concionibus habendis versari, animadverterat. Ipsa verba ejus adponenda esse judicamus: *Quantum ad me ipsum attinet, conscripsi haec, ne lingua in docendo animum praecurreret. Prudenter enim admonuerunt veteres: prius cogitandum esse quid loquaris, quam lingua prorumpat in verba. Prior enim cogitatio semper corrigi potest posteriori meliori. Et meditationes non comprehensae literis in longioribus Orationibus saepe fallunt, aut prolixitate aut brevitate: saepe etjam in medio cursu orationis, quando materia difficilior est, in minus exercitatis deficiunt. Sicut igitur alios comministros meos saepe adhortatus sum, ne imparati ad explicationem rerum sacrarum suggestum ascendant, seque auditoribus deridendum praebeant, hinc inde verba et voces colligentes, quae non multum faciunt ad rem, sed tantum aures odiose explent: ideoque etjam Deo et sanctis ejus Angelis fortassis displicent: sic ipse operam dedi, ne hujus praecepti essem immemor. Si igitur verum est, in alia quacunque profana oratione, quod vulgaris habet versiculus: Verbaque praevisam rem haud invita sequuntur; certe opus est praemeditatione in explicatione rerum Theologicarum, ubi standum est velut in conspectu Dei, et sanctorum ejus, et ubi Ecclesia admoneri et instrui debet de rebus omnium gravissimis. - - - Animadverti enim populares meos et comministros, in concionibus habendis saepe exordia ducere non satis convenientia ad rem, sed valde aliena, et procul accersita; similiter et conclusiones non esse satis appositae aut concinnae: his ergo meis popularibus, et coetui scholastico, hac mea tenui opella et quantulocunque labore inservire et prodesse volui. Unde de concionandi arte apud sympatriotas suos juvanda et pro-*

movenda, laudabilem omnino curam fovisse meritissimum Praesulem, egregie patet ⁶⁾.

§ IV.

Sequenti seculo primus qui Ecclesiae Fennicae, operibus concionatoriis typis quidem impressis, profuisse reperiatur, est D:nus ERICUS ERICI Episc. Aboënsis, cujus *Postilla* sive Ulgoitoimitus nijnen Ewangeliumitten päälen cuin ymbäri ajastajan, saarnatan Jumalan Seuracunnassa; Caiken Sumalisten ja hywäin Suomalaiisten, jotca Sumalata ja hänen pyhä Sanans racastawat, hywäxi, opixi ja ojennurexi tehth ja coconpantu, prodiit Holmiae 1621—1625, II. tom. 4:to. Servat hic quoque Methodum sic dictam Analyticam ¹⁾; quo vero ipsa forma ratioque Concionum suarum plenius cognoscatur,

⁶⁾ Quoniam in anno definiendo, quo MARTINUS SKYTTE obiit, et noster JUUSTEN una cum MICH. AGRICOLA ad Episcopalem dignitatem evecti sunt, dissentiunt Auctores; placet hic observare, in Praefatione Postillae, quam a. 1570 Moscuae detentum, se scripsisse testatur JUUSTENUS, eum simul dicere *jam XIX agi annum, postquam Episcopi munus sibi concreditum fuit*: quare secunda manus adscripsit, eum 1551 fuisse Episcopum creatum. Atque idem hic annus in exemplo *Chronici sui Episcoporum Finl.* quod MStum servat Bibliotheca Academica, primitus expressus fuisse videtur, quem secunda manus correxit, ita ut jam 1554 exhibeat; vestigiis tamen prioris scripturae remanentibus. Qui *Skyttium* anno demum 1555 obiisse narrat MESSENIUS (*Chron. Episc. C. XII, p. 115, Sccond illustr. T. X. p. 26*, quem sequitur SPEGEL *Sw. Ryrfo-hist. VII. B. III. C. p. 403*), ac *Ecclesiam triennio postmodum vacasse*, mox autem adjicit inter *Agricolam* et *Juustenum* a. 1554, *Skyttio adhuc vivente*, Dioecesis fuisse divisam, nimis se oblitus est. Rectius igitur mortem *Skyttii* ad a. 1550 retrahit RHYZELIUS *Episc. Sv. Lib. VII, p. 344. seqq.* et JUUSTEN in *Chronici Episc.* exemplo quod typis exprimi curavit NETTELBLADT I. c. p. 85. Utrum his, an Bibliothecae nostrae Acad. MSS. potior sit fides habenda, harum rerum curiosis diligentius definiendum relinquimus.

¹⁾ Quam, si rite adhibeatur, in plebe simplici erudienda, insigni usu haud carere, ac Synthetica multo esse faciliorem, negari nequit: quare Concionatores doctrina dicendique peritia et facultate minus instructi, non imprudenter illam potius amplectun-

ipsius verba e praefatione proferre liceat, quae latine versa sequentia sunt: „In Exordio (post Evangelium scil. praelectum, nam nullum prius Exordium, quod *Parasceve* vel „*Introitum* vocant, apud eum invenias) ipsum Argumentum „quorumvis Evangeliorum exponitur; deinde ostenditur cum „quo loco Catecheseos hoc Evangelium congruat. Ipsum „postea Evangelium in duas dispescitur partes, ad sublevandam memoriam, raro in tres. In explicando textu, „quaevs pars in certa rursus momenta tribuitur, secundum „ipsam textus rationem; et quodvis momentum paucis verbis explanatur; atque res verbaque, quae ibi occurrunt, ita „explicantur, ut legens vel audiens, ea mente possit assequi, scireque quando et ubi ea (sc. quae in Evangelio narrantur) facta sint. Textus interpretationem excipiunt usus „practici, ab ipso textu in quavis parte eruti, atque Scripturae Sacrae testimoniis firmati - - Sunt et multis exemplis et e Veteri et Novo Testamento, ut et ex Historiis „profanis²⁾ illustrati“. Haecenus ille. Quamvis vero textus satis luculenter plerumque explicetur, atque usus ad ductum Evangelii haud male exponantur; frustra tamen hic expectes Eloquentiam quandam gravem, aut vim copiamque oratoriam; quae et apud plerosque desideratur reliquos hujus seculi Oratores Sacros, quorum supersunt Concionum exempla. Sunt autem sequentia, quae quidem haecenus aut oculis usurpare, aut ab aliis laudata videre, nobis licuit. Haud dubitamus, quin diligentiam nostram multa effugerint: quare ut illa nobis indicare velint, qui forte aliqua possident aut reppererint, docti populares, reliquis ubi occasio tulerit adjicienda, perofficiose rogamus. Ordinem sequimur temporis, quo publicam adspexerunt lucem.

tur. Cfr. PONTOPPIDAN *Colleg. Past. Pract.* C. XV, p. 147. Ed. Svec.

²⁾ Praeter testimonia Scripturae Sacrae, haud raro occurrunt effata Patrum Ecclesiasticorum, ut *Augustini*, *Tertulliani*, *Chrysostomi*, aliorumque. Quin Scriptores etiam Ethnici, *Cicero*, *Aelianus*, *Plutarchus*, aliique, digni sunt visi Auctori, quorum verba interdum, illustrationis causa proferret.

1. *Concio de Decem Virginibus*, Dxi Christillinen Saarna kymmenest Neidjest, Matth: 25. Selitetty ja Präntijn annetu a LAURENTIO PETRI, Aboico, Past. Eccl. Tammela. Präntätty Turusa, Petari Walbilda. a. 1649. 4:to. Pl. 6.

2. *EJUSD. Concio de Vitanda Fornicatione*. Chri=stillinen Saarna Huoruden Wältämisest. = = Präntätty Turusa Pietari Hannunp. Acad. Typogr. an. 1656. 4:to. Pl. 4³⁾.

3. *Hircus Emissarius Novis Foederis*, Se on Jesuxen Christuxen meidän ainoa Wälimehem, Kärkimisen Historia, Sen jälken cuin se on neljäldä Ewangelistald kokonpandu; Ja Paston ajalla malla, Jumalan Seurakunnas saarnattawaxi asetettu; Uhy=käises seisemäs Saarnas Selitetty ab ABRAHAM IKALENSI Theol. Studioso. Aboae impensis Auctoris. Excudebat Petrus Han=sonius Acad. Typog. A. 1659⁴⁾.

4. *Ode Consolatoria*, eli Christillinen Ruumin Saarna Jumalisten Lohdutuxist, jolla he taitawat Elämäs ja Cuolemas wirgotta ja wahwista igens. Muinen Jumalisen ja Cunniallisen S. Margarethan Pawalin Tyttären hautamises, joca = = täälldä ajallisen cuoleman cautta ercani, 19 Novemb. anno 1665, Uhy=käisesti, Hämen Kyrös, erinomaisen anomisen jälken, Dom. I. Ad=vent. cotona pidetty, a JOHANNE GREGORII FAVORINO, Verbi D. Min. ibid. Tryctt i Åbo aff Petro Hansonio. 4:to. Pl. 3 $\frac{3}{4}$ ⁵⁾.

³⁾ Docet Celeb. SCHEFFERUS *Sveciae Literatae* p. 319, eum edidisse praeterea Fennice:

1. *Conciones in Confessionem publicam Poenitentialem et in Consecrationes Gratiisque Mensales*, Aboae 1644.

2. *Conciones in Lutheri Benedictiones Matutinas et Vespertinas*. Ib. 1644.

⁴⁾ Laudat quoque Cel. SCHEFFERUS *Svec. Lit.* p. 321 hujus Auctoris, Pastoris tum Ikalensis, *Concionem funebrem in Obitum D=ni Joh. Collini*, ex. 2. Tim. IV: 18, exc. Aboae 1671, 4:o; sed non indicat, utrum Svetico an Fennico idiomate: nobis non est visa,

⁵⁾ Offendas in hac Concione, ut et omnibus fere sequen=tibus, gemina exordia; qui itaque mos ineptus circa medium se=culi praeterlapsi, imitatione Germanorum, apud nostros invaluisse videtur.

5. *Concio Synodalis de Angelis.* Christillinen Saarna Engeleistä. Jonga Turun Duomiokirkosa Papein cocouyesa, 1666 wuona jälken Jesuxen Christuxen syndymisen, 19 Januarii on pitänht LAURENTIUS PETRI Praepositus et Pastor Tammelensis. Prändätth Turusa Johan Winterildä anno 1670. 4:to Pl. 3½.

6. *Lineamenta Veri Christiani.* Se on yhden oikian Christithyn hengellinen hahmo ja Wuoto; jonga sen Cunniallisen = = Wuorin ja Matronan, nht Herrasa edesmennen H. AXELINEN HANSEN, Her JACOB COLLINUXEN, hmyinasetetun Kirkoherran sinä Kumalises Uskelan Seuracunnas, muinen radkaan Puolisoin, Cunniallises ja Christillises Hautamises, cuin tapahdwi Uskelan Ios Kirkosa 12 Septemb. vuonna 1680, Yrifertaisest edespanti ja ulostoimiti JACOB FLACHSENIUS S. S. Theol. Prof. etc. Turusa Präntäisi JOHAN WARD. A. T. 4:to. Pl. 3½.

7. *Cordiale Morientium,* eli Cuolewaisten Ihmisten Sydämmen wahwistus walmistettu, cosca saatettin lepocammions 12 Sept. a. 1680 = = H:sttu AXELINEN HANSEN, = = Her JACOB COLLINUXEN, = = racas Puoliso. Ja anomisen jälken tälle Matrona wainaalte cunniallisexi Sälki muistogi Präntin annettu, a CHRISTIANO PROCOPAEO Past. Loim. TURUSA, Pränttäis Johan Winteri, Kuning:nen Bookt. Suures Ruhtinan Maasa Suomes, Wuona 1681. 4:o. Pl. 3.

8. *Portio Praepollens Primogenitorum.* Se on Esi-coisten Edustos osa. Christillises Ruumin Saarnas cosca se = = piscu Bilti ja racas Lapsi wainaja, JOHANNES GEZELIUS, joca lihallisest tähän ajalliseen, sinä 1 Junii, ja hengellisest siihen ijancaitkiseen, sinä 5 hujus, Elämähän syynhi; niyn myös cohta Sielun puolest, sinä 12 ejusdem, cuoltuans sinne sijrri. Ja jonga wäähä ruumis, = = S. Marian Kirkon Sacristohon, lepocammions, Maahan pandijn, sinä 17 Julii anno 1681, joca langeis sen seikemennen Sunnundain päälle, jälken P. Colminaisuden, = = lyhykäisest ja yrifertaisest coottu ja edestuuotu: a NICOLAO M. HAMMAR Verbi Div. Min. *ibid.* Pränttäis Turusa Johan Winter Cuning. Booktr. Wuona 1683. 4:to. Pl. 3. (praeter Progr. exseqv. et Epitaph. Pl. 1).

9. Christillinen Ruumin Sarna silloin kuin muinen, Sumalainen, ja Cunniallinen Matrona, = = = *BRITA MATTHIAEKEN TYÄN HERMIGENA* = = Her *MICHAEL HEINERZUKEN*, urholisen ja hyvästi ansainen Kirkon Herran, racas Puoliso, Savitaiपालen Seuracunnas; Cunniallisest haudattin Savitaiपालen Kirkoja, Pähän Colminaisjuden Sunnuntain päivän päälle, joca langeisi sen 15 Päivän päälle Kesä Kuusa, wuona jälken Christusen Syndhymän, 1690, Pidetty *PETRUS BÄNGBERD*, P. R. Doct. ja Bispalda. Wiburis Präntätty Daniel Medelplanilda, Gymn. Präntäribdä. 4:to.

10. *Bonus Episcopus*, Se on, Uscollinen ja hyvä Sumalan Huonen Halbia, edespandu yrifertaisesa Saarnasa, Turun Duomio-Kirkoja, cosca = = = Doct. *JOHAN GEZELIUS* Turun Hippiacunnan Corfiast hlistetty, ja cuulluinen hlimäinen Pappi, Bissa ja Academian Procancellarius haudattin, = = a *CHRISTIANO P. PROCOPEO* Pastore Voimjokiensi, 24 Junii anno 1690. Prändätty Turusa, *JOHAN WINTERBERG*. Cuningal. Präntäjälbdä. 4:o. Pl. 10.

11. *Efficacissimum Solatium Parturientis in vita et morte.* Se on Synnyttäjän, eli Synnyttämisen kipua ja waiwa lärswäisen, Lohdutus Elämäjä ja Cuolemasa: Muinen Cunniallisen = = = Matronan, *CATHARINA BARRIN*, = = = Her *HEINRICH MARMIN*, **Urdialan Seuracunnas**, huna hänen rackan Lapsens ja wähän Poicaisens, *BENJAMIN MARMIN*, Christillises hautamises **Urdialan Kirkos** anno 1698 den 6 November: Sanottu ja Selitetty a *JOSEPHO KOLCKENIO* Sacellano in *Achas*. Prändätty Turusa *JOHAN WINTERBERG*, Cuningal. Präntäjälbdä. 4:o. Pl. 3 $\frac{3}{4}$. (praeter Dedic. et Epitaph. $\frac{1}{2}$)⁶⁾.

⁶⁾ Praeter allatas Conciones, superiori seculo sequentes etiam Fennice editas esse reperimus, sed quas nobis aut plane non contigit videre, aut quarum lacera tantum fragmina comparare potuimus.

1. *ISAACI ROTHOVII* Episc. Aboens. *Conciones Sacrae XX in Threnos Hieremiae*. Prodiere hae Conciones Svecice, sub titulo: Then Christeligha Lärans om een sanffhyllig Bood och bättring, och om en saligh berebelse til vår Käre Herres och Frälsares Jesu Christi tilkommelse, hwilken wij dageligen i troone förwänte.

Methodus omnibus hisce Auctoribus observata, una fere eademque est. In universum materias libentius pertractatas videas Theoreticas s. Dogmaticas, quam Practicas, et ad docendum quam animos pietatis ac virtutis sensu inflammandos, magis esse comparatas. Id tamen in laudem nostrorum, observatu dignum videtur, eos contagionem, quae concionatores Anglos et Germanos, superiori seculo infecit, ut scil. conciones suas sic dictis *realibus* ornare studerent, seu verius deformare, (de qua stultitia cfr. MÖLLER om et Rätt Prebido-sätt, p. 110, 111, 253. sqq.), sedulo evitasse.

Supplementum.

Tanta laborat penuria omnis generis monumentorum Historia Fennica, ut litera fere quaevis, superioribus quidem

Utthaff Hjeremiae Klago Wijsor i tjugo Prebifningar författat och i Åbo Domkyrkjo hålbne aff Isaaco Bergeri Rothovio, Episcopo Aboensi, Aboae 1645, 8:o *minori*; quo vero anno Fennice impressae sint, dicere non valemus; nam fragmentum quod vidimus, quodque possidet D:nus Praeses, et initio et fine caret; neque aut a Cel. SCHEFFERO *Svec. Lit.* neque a Nobil. v. STJERNMAN *Bibl. Sviogoth.* vel *Ab. Lit.* hujus versionis fit mentio, quamvis editionem Svecanam adferant.

2. THOMAE RAJALENII Past. Tyrvensis, *Conciones in Evangelia Feriae secundae et tertiae rogationum. Item Duae Conciones de Sacra Coena, una de Passione Christi atque una de Ejusdem sepultura.* Aboae 1654. 4:o (Cfr. SCHEFFERUS l. c. p. 320). Neque harum nisi fragmentum lacerum videre nobis contigit.

3. GEORGH ALANI Prof. Theol. Primarii et Archi-Praep. Aboënsis *Concionem Synodalem de Angelis* 1668 4:o laudat SCHEFFERUS l. c. p. 319. An eadem quam supra p. 18 indicavimus?

4. AND. SIM. KEXLERI *Concio ex Matth. XX: 23. in obitum Joh. Melartopaei* Ab. 1679. 4:o. v. STJERNMAN *Ab. Lit.* p. 108.

5. JOH. GEZELII Sen. Episc. Ab. *Concio Funebris ex Joh. III, 16.* Ab. 1681. 4:o. Id. p. 76.

6. EJUSD. *Concio Funebris ex Apoc. XIV. 15.* 1683. 4:o. Id. l. c.

seculis a nostris hominibus profecta, quae inimica plerumque fata evaserit, avide sit rerum nostrarum curiosis conquirenda, et, si quam forte opem paupertati huic levandae afferat, consulenda: quo consilio, fatemur Concionibus etiam Fennice conscriptis colligendis perlustrandisque nos animum adjecisse. Ac quamvis nihil fere occurreret, quod ad Historiam quidem ipsam patriae illustrandam pertineret; quod tamen ad cognoscendum statum et Religionis, et eruditionis, in primis Theologicae, non prorsus nihil adjuvent, simulque mores gentis hic ibi cognoscendos praebeant, linguae autem Fennicae faciem, quali temporibus istis gauderet, solae fere conspiciendam nobis sistant: consilii capti haud omnino nos poenituit. Cum vero non ignoraremus, copiam illam Concionum Fennicarum, Typis editarum, qua inprimis adjuti, Dissertatiunculam hancee conscribere aggredieremur, quamque collegerat maximam partem Dn. Praeses, lacunis minime carere, nulla alia ratione feliciter explendis, quam si nostris opibus indicatis, doctorum porro popularium nobis subsidia expeteremus; hoc secuti consilium, nec male cessisse experti, supplementum indicis in priore opusculi parte dati, jam adjungimus: quod benivolentiae debemus, cum Reverendissimi Archi-Episcopi, atque Acad. Ups. Pro-Cancellarii D:ni D. MENNANDER, qui pro illo quo litteras nostras complectitur insigni favore, etiam huic conatui nostro opem non subduxit, tum Maxime Rev. Praepositi ac Tammelsundensium in Tavastia pastoris D:ni D. MICHAELIS AVELLAN: quorum ut alii etiam velint porro praeclarum exemplum imitari, ac si forte hujus generis quidquam possideant, D:no Praesidi nobisve significare, rogamus. Conciones igitur Fennicas, superiore seculo editas, reliquis adjungendas, has jam habemus:

1. Selityhet joca=päimäisten Huomen= Ehto= ja Ruoca=Lucuin, eli Siunausten yllize, yllfertaisill Saarnoil edespannut

7. M. JOHANNIS (THURONIS F.) WÄNERI (I. THURONII) *Militis Christiani Triumphus*, ex 2 Timoth. IV: 7, 8. Conc. Funebr. in *Magnum Wallaeum*, Pastorem in Messuby. Ab. 1689. 4:o. Id. pag. 51.

LAURENT. PETRI Aboico, Minist. Verbi Dei in Loimi-joki. Präntätty Turusa Pietari Waldilda, anno 1664. 4:o 7).

2. Charitas sine modo, Dilectio sine exemplo! Se on mittamaton ja tutkimaton Jumalan Raikas, nissä lohdullisissa Herran Christuksen Sanois: Nijn rakasti Jumala Mailma etc. Joh. 3. Vyhkäises ja hyfertaises Ruumin Saarnas = = = Herr JOHANNEXEN FAVORINUXEN Suomen Kyröin uskollisen Kirkoherra mainaan Christillises hautamises; joca tapahtui saman Pitäjän Kirkos vuonna jälken Christuksen syndymän 1673, yhdenpäivänä Maalis Kuusa, joca oli Puoli Paaston Sunnundai, edespandu, ja nyht anomisen jälken pränttin valmistettu ab ABRAHAM IKALENSI, Past. in Ikalis. Prändätty Turusa Pietari Hansoniuxelda. Pl. 3½ 4:o.

3. Concio Exequialis, eli Christillinen Ruumis Saarna uskollisten palmelioitten palcast ja lohdutuxist, muinen cunniallisen ja hywäst oppenen Herran JOHANNEXEN Christerin Pojan MELARTOPAEUXEN, Pälkänän Kirkoherran hautamises, 26 Jun. 1679, pidetty ANDREAS KEXLERUXelda, Hefwan Pitäjän Kirkoherralda. Text. Matth. XXV. 23. Turusa, präntätty Johan Waldilda. 4:o (Cfr. supra §. 4. not. 6).

§ V.

Hujus autem facultatis excolendae efformandaeque, quibus usi hoc seculo nostri fuerint subsidiis, non alienum est a consilio opusculi, paucis indicare. Praeter eosdem igitur illos, ad quos superiori sese contulerant seculo, vel sapiendi vel dicendi fontes ¹⁾ atque exempla cum Germa-

7) Cfr. supra §. IV, not. 3).

1) Cfr. supra §. III. Quod vero ibi laudauimus egregiam curam operamque B. Episcopi PAULI JUUSTEN, in Sacerdotibus suae gentis ad commodum fructuosumque concionandi morem adducendis, ac postea novum laudabilis hujus studii reperimus documentum, in Oratione quam a. 1573 hic Aboae, in Synodo, ad Clerum congregatum latino idiomate habuit, quamque MS. servat Bibliotheca Academica; locum inde, qui hanc attingit rem, adponemus: *Haec, inquit, scripta, (S. nempe codice comprehensa) vult Deus ut nocturna versemus manu, versemusque di-*

norum tum Svecorum, quae exprimere concionando studebant, neque a domesticis destituebantur vel consiliis vel

urna: et iis congruentem proferamus doctrinam. Utque ea Scripta intelligamus melius, excitavit Deus subinde peritos interpretes, qui non tantum viva voce confessionis suae, sed etiam editis Commentariis illustrant doctrinam et singulos ejus articulos sigillatim. Habet itaque haec nostra aetas Commentatores et interpretes Scripturae longe doctiores et peritiores, quam superior aetas; sicut videre est ex collatione Commentariorum LUTHERI, BRENTII, PHILIPPI, CRUCIGERI, MAJORIS etc. et aliorum qui paulo ante ista tempora suas ediderunt lucubrationes in Scripturam Prophetarum et Apostolorum. Horum igitur enarrationibus adjuti, possunt Ministri Ecclesiarum feliciter docendi ministerio fungi, si modo studium aliquod et diligentiam aliquam, in his pervolvendis voluerint conferre, et si meditatio aliqua accesserit sacrarum rerum, sicut certe debet. Verum quidem est, quod curae domesticae et rerum inopia, quibus multi premuntur, plurimos revocant a meditatione rerum Divinarum et studiis Christianae Religionis. Sed his posthabitis, conferendae sunt horae aliquae ad studium doctrinae Evangelicae, et meditationem rerum divinarum. Neque enim aliter unquam recte praeesse vocationi nostrae possumus, si saltem cogitare velimus quid et quantum ea requirit. Accedat ergo acre studium Sacrae Scripturae, ut majori fructu vocationi nostrae praeesse possimus. Et Domini Pastores non tantum curam habeant suarum Concionum, ut quadrent ad regulam mentis Divinae, et veram doctrinam Ecclesiae, verum etiam diligenter attendant et inspiciant, quid Sacellani profitentur, non sinant vagari eorum conciones extra septa, sicut fortassis multi faciunt, negligunt scopum Evangelii et institutae concionis, et arrepto aliquo vocabulo navigant nunc in orientem nunc in occidentem, inde ad austrum redeuntes, tandem in septentrione portum quaerunt. Talis divagatio non necessaria, non deservit erudito viro, neque est species eruditionis, sed testimonium inscitiae et ruditatis. Sic penitus rimari naturas et significationes singulorum vocabulorum, et inde exstruere doctrinam aliquam, firmam et convenientem rebus, non est cujusvis, sed tantum eorum qui habent linguarum peregrinarum donum (et) cognitionem. Melius ergo facerent alii, si probatos et certos authores in formandis concionibus imitarentur, quam dicerent non cohaerentia. Et quia mentionem facimus doctrinae in Ecclesia Dei proponendae, curandum quoque est, ne allegoriis sint alienae, et aliquando etiam absurdae; sed si illis uti voluerimus, adducamus potius eas, quas

concionandi formulis, ad quas imitationem atque conatus in hoc genere suos, dirigent. Inprimis post Academiam beneficentissimo consilio hic Aboae conditam, (cujus ope nova quasi lux et ad universam Fenniam et ad Sacerdotum maxime ordinem penetravit²⁾, officinamque Typographicam mox etiam ibidem institutam, suam industriam desiderari passi haud sunt viri de Ecclesia nostra meritissimi, in praecoonibus verbi Divini, vel futuris, vel minus exercitatis, adjuvandis, veroque, pro suo sensu, concionandi modo illis demonstrando. Pertinent huc, quas Disputationum Academicarum loco, ab anno Domini 1649, ad a. 1653, latino sermone edidit, in 4:a quam vocant forma, AESCHILLUS PETRAEUS, (eo tempore *S. S. Theol. Doct. ac. Prof. et Civit. Ab. Pastor, Episcopus* postea *Aboënsis*), *Meditationes S. Evangeliorum, additis S. Patrum dictis, Quaestionumque aliquot decisione, ad uberiores textus, cum opus est, explicationem et Heterodoxorum refutationem*³⁾. Quae singulae, a studioso aliquo juvene, sub praesidio ejusdem D:ni Doct. PETRAEI, publice fuerunt defensae. Idem simili prorsus consilio formaque, ab a 1652 ad a. 1657⁴⁾ edidit etiam

probat et recepti auctores excogitarunt, quam ut temere ipsi aliquid confingamus. Gestus quoque in docendo sint graves, modesti et convenientes; non ludamus manuum gesticulatione praeter necessitatem. - Sic etiam affectus moderandi sunt, ne aut nimis contentiosa voce, aut irato vultu et inflato auditoribus simus terribiles. Sic n. indulgere affectibus, ut vehut tonitru strepere videamur in suggestu, non est pro decore Concionatoris Evangelici. Servetur etiam in his aequalitas modesta. Quae verba satis ostendunt, quanto et studio et intelligentia laudatissimus Praesul hanc rem urserit.

²⁾ Quod antea paucioribus Theologiae studiosis facultatum satis suppeteret, Academias transmarinas, studiorum continuandorum gratia, petendi; nullis plerique aliis litteris, quam quas in Schola Aboënsi arripuerant, instructi, ad publicum in Ecclesiis docendi munus accedebant.

³⁾ Aboae typis Acad. excudebat Petrus Wald. Duo implent justae molis volumina.

⁴⁾ Episcopali quidem jam tum munere fungebatur; sed fuerintne prius in Academia ventilatae, quam typis vulgarentur,

Meditationes S. Epistolarum, additis S. Patrum dictis - - et Heterodoxorum refutatione ⁵⁾. Utrique deinde Syntagmati, justi molem operis implenti, generalem titulum, qualem attulimus, praefixit: qui libri perraro jam, posterior imprimis (*s. Meditationes in S. Epistolas*) visuntur. Ipsam quod attinet harum Meditationum rationem atque conformationem, non discedit a methodo, quam alii istius temporis S. Praecones observarunt, quamque supra § IV. p. 12 et 16 indicavimus. *Parasceves* loco dictum aliquod habet S. S:ae, non optime plerumque ad materiam in Tractatione postea explicandam quandrans, sed ad diei sollennitatem accommodatum, etc. In *Exordio* breviter Textum S. explicat, cujus postea contenta in certas partes tribuit, quas ordine persequitur, atque ex iis doctrinas sive locos communes sigillatim exhibet. Unum aliquod argumentum per totam Concionem tractandum, non proponit: neque Epilogum aut usum generalem subjungit. Interpretandae S. Scripturae talis est ratio, qualis illa aetate ubique obtinuit. Consilium praeterea, quod titulus operis indicat, studiose persequitur: e quo de more concionandi illis temporibus probato, judicare satis licet. Idem laboriosissimus Episcopus, toto administrati hujus muneris sui tempore, a. a. 1652 - - 1657, in gratiam Cleri Dioeceseos Aboënsis, breves delineationes S. Concionum, diebus tribus Poenentialibus solenniumque precum et gratiarum actionis publicae, habendarum, latino sermone quotannis edidit: eadem quam descripsimus methodo adornatas: contentum sc. textus cujusvis in binas dividere partes jubet, locosque communes, quos subjungendos utrique

an continuaverit Episcopus disputationes studiosorum e Cathedra Academica moderari, ego quidem, qui *Meditationes* ejus in *S. Epistolas* oculis non usurpavi, dicere nequeo. Ad finem perduxisse etiam hoc opus, paucis exceptis partibus, testantur SCHEFFERUS *Svec. Lit.* p. 135, et STIERNMAN Aboae *Lit.* p. 20.

⁵⁾ Aboae ap. Pet. Wald et Hansonium. Utriusque Syntagmatis partes singulas, recenset Cel. LIDÉN *Catal. Disputationum in Acad. et Gymn. Sveciae habitarum.* Sect. III. p. 144 - 151.

censet, indicat ⁶⁾. Continuatum post ejus mortem fuisse hoc institutum, ex delineatione similis plane formae rationisque, S. Concionum diebus solennibus precum publicarum a. 1662 habendarum, typisque in 4:o exscriptarum, discimus ⁷⁾. Ex quo autem Episcopale munus hic administran-

⁶⁾ Ejus etiam industriae forte debentur formulae s. Dispositiones Concionum V in Passionem Dominicam, per tempus Junii, Evangeliorum anniversariorum explicationi conjungendarum sive potius praemittendarum, quae sermone Svecico, neque auctore, neque loco, neque tempore indicato, foliis 6 in 4:o, typis impressae extant, atque hujus aetatis ostentant vestigia. Servantur jam in Bibliotheca Academica; volumine comprehensa, quod B. PETRAEI et illas continet litteras Circulares quas in Oratione *de Synodis, et speciatim Dioecesanis Aboënsibus*, recenset, qui harum rerum ditissima gaudet collectione et accuratissima cognitione, Reverendiss. Archi-Episcopus et Pro-Canc. Dn. Dr. MENNANDER, (p. 47 sq.), et aliam Epistolam repertu rarissimam, illa priorem, atque a. 1652 d. 2 Dec. ad Praepositos et Pastores Dioeceseos Ab. Sermone Svecico datam typisque expressam, qua Regii Diplomatis, quo PETRAEUS muneri Episcopali praefectus fuit, cum his exemplo communicato, varia praeterea monita atque consilia, ad officiorum suorum curam pertinentia, illis exhibentur. Adposuisse ultima verba juvabit: *Så är och vår wänlighe begäran, at alla oförsörgde Präster, med thet snaraste sigh hijt til Consistorium förfogha. Så och alla Praeceptores hoos Adel och Dabel sigh här inställa ifrån Nhåhret, och så länge åfeshret ståår, att tagha information huru the wijdare sigh ffola förhålla. Swad mera kan wara at påminna, spares till näste Synodum, hwilken anstält warder (wil Gudh) den 16 och 17 Junii Anno 1653. Befalle edher etc.* Nomina subscripta comparent, non tantum Episcopi, sed et omnium reliquorum, qui Consistorii Ecclesiastici tum erant Assessores, VII Professorum et Rectoris Scholae Cathedralis. De hujus Episcopi reliquis operibus in lucem editis, cfr. STJERNMAN l. c. ubi praeter *Conciones* ejus Svecanas, *Modus visitandi aegrotos, et alia ad munus Sacerdotale pertinentia, diversis Aboae edita temporibus*, commemorantur, quae ad nostras manus, ut quatenus nostrum attingant consilium judicare possemus, non pervenerunt.

⁷⁾ Utrum successoris ejus TERSERI, an alius opera nescimus. Conciones tres poenitentiales latino sermone, Aboae edidisse in 4:o, ENEVALDUM SVENONIUM, docet STJERNMAN l. c. p. 25, anno, ut videtur 1664; quas non vidimus.

dum suscepit JO. GEZELIUS, Pater, idem consilium magna diligentia quotannis exsequi perrexit; ab a. 1666 ad a. usque 1674, quo hanc curam laboremque in filium transtulit ⁸⁾. Methodum ille antecessorum more, constanter adhibuit analyticam: tractationem semper bifariam dispescens, in Explicationem textus, et Applicationem; in qua posteriore doctrinas atque usus e textu explicato eliciendas, demonstrat ⁹⁾. JOH. GEZELIUS Filius, non modo paterni hujus operis filium ab a. 1675, ad mortem usque suam a. 1718 perduxit; sed etiam homilias hasce ab utroque elaboratas, quae tum prodierant, anno 1693 junctim denuo edidit, homiliis etiam XIII Juridicis, suae operae, adjectis: titulumque Syntagmati hunc praefixit: *Fasciculus Homileticarum Dispositionum, annis circiter XXVII seorsim editarum, videlicet CCXX in textus Sacros Poenitentiales, et V in totidem textus solennes, Grat. Act. additis XIII Homiliis Juridicis; Auctoribus JOH. GEZELIO Patre, et JOH. GEZELIO Joh. Fil. Episcopis Ab. etc. Aboae impr. a Joh. Winter 1693, 4:o. Idem vir,*

⁸⁾ Anno 1668 excepto; quem defectum postea filius supplevit: quo contra impedito, Pater textus annorum 1678 et 1689, explicare et tractare docuit. GEZELII Senioris in litteras Ecclesiasque Fennicas exponere ingentia sane merita, hujus non est loci; grata illa semper nostrates memoria agnoscent. Vide Catalogum Operum a se, vel suis impensis, suaque cura editorum, apud Nobiliss. STJERNMAN I. c. p. 71—77; inter quae ad nostrum pertinent consilium, praeter Conciones suas, *Perbreves* illae *Commonitiones* quas Svecano sermone a. 1673, 4:o Clero Dioec. Ab. exhibuit, in quibus pauca etiam, ea tamen haud spernenda, de Concionum Sacrarum vera indole usuque, monita occurrunt.

⁹⁾ Mirum itaque haud est, tantas auctoritates, reliquis etiam Sacerdotibus nostratibus, hanc methodum maxime reddidisse commendabilem; uti nec ad insulsum morem retinendum, quem seculi consuetudo probabat, verba sententiasque latinas in orationes vernaculas inferciendi, non contulisse nihil, probabile est, quod exempla quae sibi sequenda proponerent Concionatores, quibusque meditandis proficere studerent, Latina fere essent lingua exarata. Itaque titulum, propositionem, partitionem, Concionis Fennicae, latinis verbis conceptam non raro videas, interpretatione deinde vernacula subjecta.

de patria Ecclesia multis nominibus meritissimus ¹⁰⁾, Professor Theol. ordinarius constitutus, Collegiis sic dictis Concionatoriis habendis, in quibus et praecepta S. Eloquentiae explicaret, et ad praxin recte concionandi juvenes studiosos adduceret, ad rationem ejus apud nos emendandam praecipue contulit; in cujus collegii sui usum edidit, quem commentationibus illustraret, a. 1679, 8:o, JO. BENED. CARPZOVII *Hodegeticum Concionatorium*; quem librum a. 1690 iterum typis vulgandum curavit, excudente Jo. Winter, 8:o. Unde non minus quam ex emissis in lucem Concionibus suis, Svecico idiomate conscriptis, qualem Oratoriae S. rationem probaverit, judicium fieri potest. Methodum ille nostris sensim probabiliorem reddidit Syntheticam; quam etiam in editis Dispositionibus suis homileticis adhibuisse fere reperitur; una plerumque propositione thema complectens, ac in partes deinde ubi videretur, duas aut tres, dividens; usum demum, qui ex materia tractata aptissime sequeretur, in Epilogo tradens ¹¹⁾.

§ VI.

Quae igitur hodie Concionatoribus nostris Sacris usitatissima est, Synthetica haec Methodus, circa finem superioris sensim recepta, hoc nostro seculo magis magisque

¹⁰⁾ Cfr. STJERNMAN l. c. p. 87—90.

¹¹⁾ Praeter opem, quam ex laudata Antistitum Ecclesiae Fennicae cura ac opera, Sacrae Eloquentiae cultores nostrates, ad hanc facultatem adjuvandam nacti sunt, nec alios quoque, commilitonibus hujusmodi auxilio inserviendi nullo ductos fuisse studio reperimus: quos tamen, quod Auctoritate non aequae valerint, praeterimus. Conferri potest passim STJERNMAN l. c. ex gr. p. 55 seq., ubi OL. ARENII, Past. Malaxensis, recenset huc aliquo modo pertinentes labores homileticos. Nec dubium est, quin a Professoribus quoque Theologiae, consiliis praeceptisque huc spectantibus, studiosi litterarum sacrarum, muniti pro temporis more fuerint; cujus tamen rei nullum monumentum litteris consignatum, ad nostras pervenit manus.

invaluit ¹⁾. Illustrant hanc rem satis fata Eloquentiae Sacrae Svecanae, ad cujus fere exemplum nostra componi perrexit, facile videndas ob caussas: ut plerumque Germanicam utraque imitata est, quae eodem fere tempore ab ineptiis repurgari coepit, quibus diu misere inquinata fuerat. Hodierno autem Eloquentiae nostrae sacrae statui ennarrando, diutius immorari, necessum nobis non est, quippe notiori, quam ut longa egeat expositione. Nec tamen quod mirum videri debeat, aut a veritate abhorreat, nos dicturos putamus, si aptissimam consilioque ipsius instituti vero accuratissime attemperatam Eloquentiam, vel hodiernum apud non paucos verbi Divini Praecones desiderari, monuerimus; licet quoad externam formam, nonnullaque alia, eorum Conciones meliores sint iis, quae antiquioribus concinnatae sunt temporibus. Sed illam rem accuratius persequi, a nostro alienum est instituto. Indicem modo Concionum sacrarum, chronologico ordine contextum, quae praesenti typis vulgatae seculo, in nostras inciderunt manus, subjungemus. Sunt vero sequentes:

1. Christillinen Ruumis Saarna, cofca = = Herr JOHANNES CAJANUXEN = = Prowastin Cajanan Vinnan Väänis, ja Kirko-herran Paldamois, = = Ruumis Iepocammioons, ja hautaans johdatetuksi, ja lasfetuksi tuli, 1703. 23 Augusti. Bidetty ERICUS WALLENIUGELDA, Dulun Trivial Schoulun Rectorilda. Text. Ps. 71: 16—21. Turusa pränttäis Henr. Christoph. Merckell. 1706. 4:o ²⁾.

2. Se pyhä Ewangeliumillinen Walleus, Taiwalliseja opija ja Pyhäjä Elämäjä ulosotettu ja eteen asetettu niiden joca-

¹⁾ Qui primi reperiuntur unam quandam doctrinam e textu sacro selectam, per totam Orationem plenius suscepisse tractandam, una tamen propositione Logica thema suum exhibere non semper instituebant, sed ipsas modo partes quas persecuturi erant sigillatim mox indicabant; more TILLOTSONIO etc. etiam familiari. Cfr. MÖLLER *Om et rätt Predikofätt*, p. 273.

²⁾ Inter Conciones Svecanas enumeratur a Celeb. STRICKER, *Förföt til et Swenfft Homiletiskt Bibliothek*, 1 Del p. 146 et Auctor *Gabriel* nominatur; quae corrigenda sunt.

vuotisten B. Evangeliumein jälken, jotca Sunnuntai- ja Suhla-
Päiminä niisä Christillisiä Seurakunnisa tavallisesti selitetän.
Stockholmisa, Prändätty Lars Salviuxelda, vuonna 1747; (ja
Toinen Osa 1749). Partes et Voll. II. 4:o. Postilla haec
Auctorem agnoscens D: num JOHANNEM WEGELIUM, Recto-
rem tum Scholae Tornoënsis, postea Praepos. et Past. Uh-
loensem in Ostrobotnia, docte elaborata est; saepe tamen
ad docentium firmandam augendamque cognitionem, quam
rudem plebeculam instituendam, accommodatior videtur: lin-
guae autem emendatione ita sese commendat, ut laude me-
rita non careat.

3. Se Cuoleman catkeruden makeuttawa Jumalan lasten
autuus. Christillises Ruumin Saarnas = = Herr NICOLAUS
AEIMELAEUXEN, ennen tätä Ison Rhyön Pitäjäsä = = Kirkoher-
ran hautausesa, = = joca tapahdui tämän Pitäjän Emäkirkos, en-
simmäisnä päivänä Huhti cuulla vuonna 1750; hixertaisest
edespandu THOMAS STENBÄCKILDÄ, Cappalaiselta Ilmolas ³⁾.
Stockholmisa, prändätty Jacob Merckellildä. pl. 10. 4:o.

4. Kucourest ja sen cuulemisest, tarpellinen tutkisteleuus
= = Kufous Sunnuntaina, puolipäivä-Saarnasa, Nousiaisten
Seurakunnas = = vuonna 1759 edestuoitu, ja fiiten pidemmälä
ulostoimitettu: jonga nyt on pranttijn andanut ABRAHAM ACHRE-
NIUS ⁴⁾. Aboae 12:o. 5 pl. praeter praefationem et canti-
lenam adjectam.

5. Christillinen valmistus mieluisehen ja autualliseen Cu-
olemaan, edesmennen ylistettävän Prowastin ja Kirko-Herran Du-
luborin ja sen alla olewaiisten Seuracunnain yllize, Herran JOHAN
WEGELIUXEN christillisessä hautamisesa, edespandu MATTHIAS PA-
ZELIUXELDA ⁵⁾ 1764. Text. Job. 14: 14. Turusa prändätty Joh.
Christ. Frenekellildä. pl. 4½ 4:o. (Ep. Ded. et Epiced. con-
numeratis).

6. Christillinen puolipäivä-Saarna ensimmäisnä suurna
yhteistä = = Kufous-Päivänä, pidetty vuonna 1766 Paldamon

³⁾ Deinde Past. et Praepos. in Limingo.

⁴⁾ Past. in Nousis.

⁵⁾ Past. et Praepos. in Limingo.

Kirkosa, ja nyt halullisille sieluille, ja rakahille sanancuulioille la-
wiammazi hlösrakennuzi prändättää annettu CARL HENRIC STÄH-
LELda ⁶⁾). Turusa, 4:o. 3½ pl.

7. Yxi Sumalalda opetettu Cuolewaisuden tutkinto; yxi-
kertaisesti edespandu, Kirkoherran Urdialan Pitäjäsä = = Herr
JONAS MENNANDERIN eläisens rakahimman Puolison = = MARIA
ELISABETH TOLPON Christillisestä Kuumin Saarnasa Urdialan
Pitäjän Kirkosa sinä 5 päiw. Elo Cuusa, vuonna 1767. Ja nyt
= = = pranttijn ulosannettu JOHAN LAIHIANDERILDA, Kirkoh. ja
Prow. Eurasa ⁷⁾). Turusa prändätty Cuningall. Academian alla
olewasa Prantisa, vuonna 1768. 4:o. Pl. 3½.

8. Wanhurseauden catomatoin Cunnia-Cruunu, Christilli-
sesä Kuumin-Saarnasa, Hänen corkiammast autuan Majestetinsä
= = Cuningas ADOLPH FREDRIKIN corkiana hautaus-päi-
wänä sekä Kuogalaisen että Suomalaisen cocoontullehen Seura-
cunnan edesä, molemmille kielillä Brahen Caupungin ja Salon
Pitäjän Emä-Kirkosa, 30 päivänä Heinä-Cuussa, vuonna 1771,
eteenasetettu THOMAS STENBÄCKILDÄ, Kirkoh. siellä ⁸⁾). Stockh.
Kuning. Suomalais. Prantisa, 1771. 4:o. Pl. 3½.

9. Yrikertainen Puhe pidetty Säkylän Kirkosa, sinä ti-
lasa kuin se wihittin, sinä 4 päivänä Elo-Cuusa, vuonna 1776.
Ja anomuzen jälkeen fitten ulosannettu Mag. GUSTAF G. HAART-
MANNILDA Prow. ja Kirkoh. Voimajoella. Turusa, prändätty
Joh. Christ. Frenekellildä. 8:o. Pl. 1.

10. Yhyh ja yrikertainen Puhe, juteltu = = aiwotun Huo-
weden Sjon Kirkon rakennuzesa, ja sen ensimmäisen Kulma-
Perustus kiven lastemisesä, kuin tapahtui sinä 15 päivänä Syys
Cuusa, vuonna 1777, sen Seurakunnan Kirkoherrasda LARS FOR-
SELIUXELDA ⁹⁾). Anomuzen päälle pranttijn annettu vuonna 1778.
Turusa prändätty Kuning:sen Acad. Kirjanprantäjälä Joh. Christ.
Frenekellildä, w. 1779. 4:o. Pl. 1½.

⁶⁾ Jam Past. in Uhleä.

⁷⁾ Hodie in Närpes, auctusque dignitate S. Theol. Profes-
soris et Doctoris.

⁸⁾ Cfr. supra N:o 3 not. ³⁾.

⁹⁾ Praepos. honore auctus.

11. Yrkertainen Saarna, pidetty Ruoweden uudesta ra-
ketun, ja nyt = = wihityn Ison Kirkon Seurakunnan ensimmäi-
sesä Kokous-päiwänä, kuin tapahtui sinä 23 päiwänä Elo-Kuusa,
eli 10 Sunnuntaina Pyhän Kolminaisuuden Päiwästä, sisälle ole-
waisna vuonna 1778; LARS FORSELIUXELDA, Kirkoheralda
Ruoweden Seurakunnasa. Ib. 1779. 4:o Pl. 3.

12. Yrkertainen Puhe, pidetty Ruoweden Seurakunnan
uudesa Emä-Kirkosa, koska se wihittin sinä 23 päiwänä Elo-Kuusa
10:nä Sunnuntaina jälken P. Kolminaisuuden Sunnundain, sisälle
olewaisna vuonna 1778, ERIC LENCQVISTILDÄ, Prow. ja Kirko-
Drihwedelä ¹⁰). Ib. 1779. Pl. 1½.

13. Se suuri Kysymys: Jos me olemme Jumalan
Lapsset? Tutkistelu, sen muinen Salosukuisen, ja Kortkasti oppi-
neen Herran Con-Rectorin Wasan Trivial Schoulusa, Ma-
gister JACOB WEGERLUXEN hautamisesa, Wähän Kyrön Kir-
kosa, colmandena Adwentinä, vuonna 1778. Sa edespandu Mag.
JOHAN ÅRMEKUXELDA, Kirko- ja Prow. Hofa Kyrösa.
Waafasa 1779. Prändätty Georg Wilhelm Londicerildä, 4:o.
Pl. 3½ ¹¹).

¹⁰) S. Theol. Doctoris auctus dignitate.

¹¹) Adjungere quodammodo his licet Postillam ADAMI S.
MISANDRI, in Fennicum idioma translata, quae hoc titulo pro-
diit: M. JOHAN ADAMI Pojan eli MISANDERIN Sabbathin lepo,
sisällensä pitävä kaikkein Sunnuntai- ja Zuhlapäiwän Ewangeliumein
Jumaliset tutkistelemukset yli koko wuoden. Kaikille siwioille Christi-
tyille, lijoitenkin maalla asuwille eli matkustawaisille palweluxeri ja
hyödytyxeri kirjoitettu; mutta lyhykäisembään sisälle pitoon kokoon we-
detty ja ensin Ruotzin kielexi Sagansta kääty, lisättyin selitysten kansa
neljännen Päiwän Ewangeliumein ylixä joka wuotistina Zuhlapäiwinä,
ynnä Pyhäin Miesten Päiwän kansa, edesmennen tämän Kirjan te-
kiän laadun jälken DANIEL ÖDMANNILDA, ennen tätä Kirkoheralda
Gäststadi Göttheborin Hjippakunnasa, mutta nyt Suomeksi kääty
DANIEL WIRZENIUXELDA, V. Past. Eccl. Fenn. Cathed. Ab. Stoc-
holmisa prändätty Arwid Carlbohmilda 1768. 8:o. pl. 59½. Nova
hujus operis editio prodiit ib. 1780, 8:o. Item: Doctorin AL-
GUST HERMAN FRANKIN Postilla, eli Sunnuntai- ja Zuh-
lapäiwä-Saarnat, Sagan kielestä Ruotzixi, ja sitte Ruotzixista Suomeksi
käätyt. Se edellinen Osa (Pars I.) Stochholmisa Johan Christo-
pher Holmbergin Präntisä 1780. Se jälkimmäinen Osa (Pars II.)
ib. 1781. 4:o. De quibus judicium interponere non est opus.

§ VII.

Non patitur instituti ratio, ut de optima Concionum elaborandarum concinnandarumque forma in genere hic praecipiamus; de iis tamen, quae Oratori Sacro Fennico speciatim observanda sunt, pauca monenda putamus. Quod igitur, ad *linguam* ipsam attinet, non difficulter intelligitur, cavendum esse, ne in puritatem ejus peccetur, peregrinasque, sermo rudis etiam plebis conformandus captui, redolet cupedias; sed ad eam rationem diligenter comparetur, quam solam auditores omnes sine mora comprehendere animo queant. Quam igitur illa vitiosa sit elocutio, quae barbarismis ac soloecismis quibusvis, et sveticismis in primis referta est, facile apparet; quod ultimo loco significatum vitium, vel eo magis vitare oportet, quo communius esse solet, ut pauciores sane ab eo immunes sint Concionatores: cujus rei caussa non ea solum est, quod libris atque Orationibus adeo sacris Svethicis inprimis legendis imitandisque advsveti ac illa maxime lingua cogitare docti, plerique ab obrepentibus sibi illius sermonis idiotismis cavere non valeant; verum etiam, quod vernaculae ejusque studio, nimis parum vulgo industriae plurimi tribuant. In quotidiano sermone, cum plebe tantum instituto, illam usurpasse contenti, ad res subtiliores gravioresque non adhibent; quare, ubi ad has transferenda est, ignorantia ejus, ac inopia verborum phrasiumque vere Fennicarum, laborant. Grammaticam linguae indolem, verasque ejus adhibendae leges, pauci rimari student; pauci iis etiam observandis, accurate scribendo, exercere sese mature solent. Unde Fennice scribendi, cum sacris initiati ordinibus hac facultate opus habent, insvetus plerisque labor est, nonnisi post longos demum annos facillime et feliciter succedens: ac multis verus interim vernaculae elegantiae sensus ac judicium perit. Nonnulli praeterea, sine debita praemissa meditatione et elaboratione, Conciones ad coetum habendas, in suggestu demum cudunt, quicquid mens in concionandi actu suggesserit, proferentes:

unde fiat necesse est, ut sermo eorum, quantumvis optime linguam calleant, illud tamen idioma redoleat, quo traditas veritates de quibus disserunt, familiares sibi reddiderunt. Accedit quorundam inconsultus sane mos, Conciones suas Fennice habendas, Latino ¹⁾ vel Svecano sermone conscribendi; qui elocutionem earum a genio linguae Fennicae non potest non reddere alienam. Ferendum hoc est in illis, qui Concionem eandem utraque recitare lingua, Svecica et Fennica, coguntur, quae dura nonnullis Concionatoribus incumbit necessitas; a reliquis vero sollicite fugiendum est, ac oratio eadem meditanda et concinnanda lingua, qua habenda est. Qui enim, quanta opus sit cura cogitaverit, ad orationem ex una in aliam linguam, etiam meditando spatio dato, feliciter transferendam; is quid ab extemporanea hujusmodi sperandum sit festinatione, facile intellexerit. Neque putet quis, levioris esse hanc rem momenti; pendet inde, ut orationem, quae sibi recitatur, auditores intelligant vel minus. Non putet Orator, quia ipse semi-svethicum suum sermonem intelligit, etiam a rusticis illum capi; quibus aequae fere obscurae et peregrinae esse sententiae suae esse saepe possunt, Fennicis quamvis verbis propositae, ac si Latino aut Svecico essent idiomate prolatae. Quia igitur Concionum finis postulat, ut auditoribus docendis, atque notitia veritatis coelestis imbuendis diligenter inserviant; auditores vero non nisi puram rite intelligere possunt linguam, (praeter quam quod Conciones idiomate corrupto recitatas fastidiant): sequitur, ut linguae vernaculae peritiam et emendatam facultatem futuri Oratores sacri studiose sibi comparare, et concionantes diligenter adferre debeant. Porro non modo doctrinae et eruditionis intempestivam ostentationem sollicite esse fugiendam, sed etiam stili reconditam et nimis exquisitam artem haud esse affectandam, aequae manifestum reddit ipsum Concionum S.

¹⁾ Ne ejus scil. adhibendi obliviscantur; qui tamen superioris potius aetatis mos fuit, quam nostrae, cui Latinarum litterarum nimium studium qui vitio verterit, nae ille injuriam ingenio seculi fecerit!

habendarum consilium ac finis ²⁾). Illam excusationem, quam nonnulli afferunt, quod scil. pars auditorum eruditior sit, locum hic minime invenire, eo facilius patet, quod eorum longe maximum semper numerum rudis plebs implet. Itaque non modo termini technici, ad imitationem peregrinae linguae ficti, sed et totae propositiones, phrases ac formulae, doctis solum intelligendae, studiose vitentur. Atque cum plures lingua Fennica habeat Dialectos, in diversis patriae provinciis locisque usitatas, cavere debent S. Oratores, ne verba phrasesque concionantes adhibeant, quae in alia licet regione familiares, ab eorum tamen, ad quos dicunt, consuetudine abhorreant. Itaque discere illorum loquendi morem, et ab ignota illis ratione abstinere debent: potiusque ad illorum sese dialectum conformare, quam suam illis obtrudere. In quo tamen vitiosas manifeste formas fugere oportet, ac veriores, quae tamen audientibus cognitae sint, earum loco frequentare. Ac quoniam communis quaedam dialectus, libris imprimis propria, omnibus fere jam, religionis cui instillandae inservit, auctoritate probata, familiaris evasit; illi Orator S. maxime se conformet: cujus rationem ex S. praecipue Bibliorum translatione vernacula, hauriat. Singularibus enim quibusdam haec licet non prorsus careat, ac supersint quaedam adhuc mutanda et emendanda; classicam tamen merito apud nos, stilus quo exarata est auctoritatem obtinet, ad majorem sensim elegantiam accurationemque adducta ³⁾).

²⁾ Itaque Poëtico adsvetis stilo, familiares, aliis vero incognitas, aut intellectu difficiles, vel voces vel locutiones in suggestum adferre sacrum, quamvis elegantissimas ac maxime natives, non licet. Probatorum tamen lectionem Carminum Runicorum, ad copias linguae, verumque ejus genium cognoscendum, permultum conferre, extra dubium est. Sed imitatio in prosa oratione, iudicio non careat.

³⁾ Nostro hoc seculo, post Academiam in his Oris restauratam, nulla nobis nota sunt edita typis subsidia aut consilia homiletica, quae Fennicas quidem speciatim Ecclesias respicerent; praeter egregia illa monita quae in Oratione comparent a Reverendiss. Archi-Episcopo et Pro-Canc. MENNANDER ad Clerum

Dioceseos Aboënsis in Synodo congregatum ac jam dimittendum a. 1774 habita: Tal, hållit af en Swensff Biffop = = = mid flutet af et Prästmöte, Stockh. hos Henr. Fougt 1774 8:o: quamvis haud ignoremus, Theologos apud nos fuisse, qui et artis praeceptis explicandis, et exercendi diligentia, Oratoriae S. studiosos juvenes adjuverant. Veneratae praeterea sunt, inter summos suos Praefectos, Ecclesiae nostrae, celeberrima hac facultate nomina BROVALLII et MENNANDRI; quorum exempla non poterunt non et ad verum hujus rei judicium formandum, et ad imitandi diligentiam excitandam, magnopere conferre: sed Conciones quae typis vulgatae sunt, paucae illae quidem, Svecico habentur idiomate conscriptae; quas igitur, ut nec alias, quamvis in Fennia habitas editasque, et a Fennis auctoribus profectas, (multo quidem plures illas, quam quae Fennico idiomate vulgatae reperiuntur), Svecana tamen lingua exaratas, instituti ratio adferre non permittit. Neque enim falcem in alienam cupimus messem immittere. Cfr. de iis Cel. STRICKER l. c.

DE SUPERSTITIONE VETERUM FENNORUM
THEORETICA ET PRACTICA.

DISSERTATIONES

QUAS

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN.

EXAMINI PUBLICO OBTULIT

CHRISTIANUS ERICI LENCQVIST.

Aboae 1782.

§ I.

Quam praestans Dei donum, quo homines beare voluit, sit Verbum ejus sive Scriptura Sacra, vel mox patescere arbitror, si conferre quis voluerit lucem Christianismi, cum tenebris paganismi. Quis nauta, intempesta et illuni nocte mare sulcans, in tot et tam exitiales incidere potest syrtes, ac genus humanum, gentilismo occaecatum, circa doctrinam de Deo? Quam insane opiniones? quam ridiculi mentis conceptus? quam mira somnia? quam stultae inventiones fuerunt illae, quibus gentes in divinis et sacris se deceperunt? Quam absurda fuit Theologia gentilis, et quam stolidus Deum colendi modus? Quot nationes exstiterunt, tot in religione diversi sensus; qui in nulla alia re, tam conspirarunt amice, quam in eo, quod omnes a vero aberrarunt. Scopus quidem horum hominum fuit, Numinibus suis, seu invisibilibus illis naturis, quibus salutem suam cordi esse putarunt, et a quibus bona malaque in se proficisci censuerunt, pietatem praestare, ipsisque se reddere gratos acceptosque. Sed placita ipsorum de istis naturis, ac cultus ille, quem ipsis praestare voluerunt, in absurdissima abierunt figmenta. Quod maxime mirari convenit, est, quod una fere natio et gens prae alia multum hic de meliori sensu et sapientiori instituto gloriari nequit. Ipsi Philosophi eorum, et qui aliis videri volebant sagaciores, aequae ferme desipuerunt ac vulgus. Quocirca etiam, quod maxime dolendum, totam religionis gentilis fabricam, apud nullum reperimus populum, ad emendationem morum collineasse vel eo spectasse ut homines redderentur meliores, sed potius incitamenta vitiorum ipsis suppeditasse.

Describere igitur cujusque gentis sacra, nil quidem aliud est, quam enumerare varii generis ineptias, longamque nectere catenam stultissimarum fabularum; qualem laborem suscipere, vix esse operae pretium videatur. Attamen cum omnis cognitio historica delectet, ac nihil fere sit, ad antiquos mores et instituta gentis alicujus spectans, unde aliquid ad suum studium adjumenti non hauriant priscarum rerum curiosi; spero haud ingratum fore litterarum amicis conatum meum, si veterum Fennorum Theologiam et Magiam, licet nil aliud fuerit, quam vana Superstitio, in lucem protrahere annitar. Omnes videlicet cultae nationes, nostro aevo multum jam desudarunt, in depingendo gentilismo suo; ut quales fuerint olim in ethnicismo, et quales jam sint, monstrarent. Quare igitur Finlandia diutius celabit priscas suas tenebras, et non ad gloriam Patris luminum, qui ipsam tandem gratiose illuminavit, in aprium producet, quomodo ipsa quoque quondam a principe tenebrarum occaecata, procul fuerit a municipio Israëlitis, et Diis alienis serviverit? Sed dum mare hoc ingredi conor, horridum et seopulosum id occurrit, mihiq; vix ulla suppetit cynosura et pyxis. Nam in historia Fennica non licet scriptis niti analibus, nec fontibus propriis aliis. Gens etenim haec olim ignorantiae et oblivionis tenebris, velut sepulta fere jacuit. Non litterae nobis erant, nec monumenta ulla supersunt; ita ut sub gentilismo nemo nostrum valuerit, aliquid de gentis rebus posteritati prodere. Ex gentium vicinarum actis et historiis pauxillum lucis mutuamur, et reliquiis quorundam carminum, (valde quidem laceratis jam illis, disjectis, interpolatis et inter se confusis), quae a majoribus accepta vulgi ore in remotioribus regionis angulis adhuc, parcus licet, feruntur. Quod igitur de idolomania atque superstitione Fennorum proferre possum, id ipsum maximam partem ex hujusmodi carminibus conquisitum est, consultis reliquiis priscae superstitionis, adhuc exstantibus apud plebem; nec non ex poemate quodam brevi, maxime trito, quod Episcopus quondam Aboënsis M. MICHAEL AGRICOLA de Diis Fennorum composuit et *Versioni* suae *Psalteri* Da-

vidici praemisit A:o 1551 editae (cfr. Tidn. utgifne af et Sällskap i Åbo, pro A:o 1778, p. 93 et 96). Hoc carmen lucubrationibus suis, cum brevi commentariolo inseruerunt Episcopus PETRUS BÅNG in *Hist. Eccl. Sveo-Goth.* (Lib. XI. C. XI. p. 206. sqq.), et M. GABRIEL ARCTOPOLITANUS in Dissertatione edita Upsaliae A:o 1738, *De Origine et Religione Fennorum* (Cap. II. § IV, p. 35 sqq.) unde hic repetere piget. Cfr. etiam MICH. WEXIONII *Epitome Descr. Sveciae, Gothiae, Fenningiae*, etc. Lib. X. Cap. II. Sed carmen hoc duo habet vitia: primum enim inter Tavastorum et Carelorum Deos numerat tales, qui Dii fuerunt communes totius Finlandiae; deinde plures magni nominis Deos Fennorum plane praeterit, nominatis aliis, quos an nostrates adoraverint, dubium videri possit.

Tam levibus etsi adjutus auxiliis, tenui quae mihi est Minerva telam tamen hanc, quam exorsus sum, pertexere conabor; quam alii meliori instructi supellectili libraria, ac praesertim carminibus vetustis Fennicis, aliisque opibus, continuanto; meque si lapsus sim, benigne emendant. Tu vero, benevole lector.

*Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.*

SECTIO PRIOR,

De

Superstitione Veterum Fennorum Theoretica.

§ II.

Superstitionem, dum veterem Fennorum religionem nuncupo; nihil praeter rem et veritatem ipsi tribuere, me puto. Quamvis enim non plane negem, majores nostros etiam in ethnicismo multos habuisse sanos et rationi convenientes sensus, utpote de immortalitate animae, de existentia Dei ac necessitate eum venerandi, et sic porro; ut plurimum tamen in divinis et sacris a norma rectae ratio-

nis, et veritatis revelatae, longe recesserunt, ac miserae superstitioni litarunt. Quid autem intellectum velim vocabulo *Superstitionis*, et quotuplex illa apud nostrates fuerit, enodare paucis me oportet.

Superstitio mihi nihil aliud est, quam vitium mentis humanae, quo divinitatem quandam iis rebus inesse opinatur, in quibus tamen divinitas nulla est; ex qua falsa opinione, actiones variae stultae nascuntur, et consilia perversa, quae adminiculis aequae ineptis, specie quadam supernaturalibus, vel in suum commodum vel aliorum detrimentum, promovere laborant. Hinc recte dispesci eam in *Theoreticam* et *Practicam*, facile patet. *Superstitio* nempe *Theoretica* nihil aliud est, quam vana de Deo persuasio, qua divinitas tribuitur vel hominibus defunctis, vel rebus creatis aliis, vel ipsi genio infernali; talesque pro Diis coluntur. Pertinet ergo huc paganismus totus, cum sua idolomania et daemolatria. Nascitur porro hinc *Superstitio practica*; quae in ipsius cultus ratione, qui ejusmodi idolis exhibetur, consistit, aliisque inde fluentibus institutis et actionibus. Quorum etiam ars magica et incantatoria spectat; de qua in sequentibus.

§ III.

Noachus quidem proximique ab ipso nepotes, nequamquam intermiserunt, ut credibile est, liberis posterisque suis, instillare sanos de Deo et religione sensus. Proximis ergo a diluvio temporibus, doctrina de Deo penes homines, quodammodo adhuc mansit intemerata; ita tamen, ut puritas haec ejus, apud unam gentem rectius diutiusque conservaretur quam apud aliam. Sensualitas vero, seu inclinatio hominum ad res visibiles, et in sensus incurrentes maxime amplectendas, cum desiderio auxilii citi et praesentis in quavis calamitate sibi comparandi, stupidis hominibus, in infantia mundi, sine dubio primam dedit ansam in idololatriam prolabendi. Parentes et praeceptores, invisibilem Dei naturam et praesentiam, suis proponere voluerunt modo vivido, ipsis-

que conceptibili, per imagines, simulacra et symbola visibilia illis exhibita. Sic sensim prolapsus fiebat a creatore ad creaturas, ab invisibili ad id quod oculis cernitur. Rom. I: 19—23. Defectus verbi scripti et penuria fidae institutionis, accedente quoque astu principis inferorum, ad lucem exstinguendam tenebrasque inducendas, non parum contulit. Id vero maxime est pudendum, doctrinam de Deo uno et omnipotente, tam facile ac cito fuisse deperditam, insanumque polytheismum et Aristocratiam quandam in coelum ejus loco introductam; quasi unus non sufficeret Deus rebus singulis gerendis, mundoque gubernando, et tot hominum salutis curandae, precibusque audiendis, sed vi unita multorum opus esset; licet unus tamen communiter ut praeses et reliquorum omnium supremus rector agnosceretur. Crassus videlicet hic sese prodit Anthropomorphismus. Qui sapientiores haberi volebant ceteris, machinamque mundi oculis scrutari attentioribus videri cupiebant, Philosophos innuo, in Hylotheismum fere inciderunt, Deumque cum natura turpiter confuderunt. Quorum quidem multos ego istis etiam coeciores judico; utpote qui mentis sapientissimae opus, fines et providentiam in universo animadverterent nullam, sed vel fortuito atomorum concursui, vel necessitati cuidam fatali, cuncta tribuerent.

Generatim vero omnis superstitio idololatræica universa in duos velut ramos principales abit; *Occidentalem* seu Graecanicam, et *Orientalem*, appellare liceat ¹⁾. Nimirum apud *gentes ad occiduum solem vergentes*, Graecos praesertim et Romanos, invaluit opinio ex hominibus oriri posse Deos ²⁾.

¹⁾ Praeunte VITRINGA, (*ad Jesaj. C. XLVI. v. 1. T. II. p. 601 sqq.*); a quo tamen dissentit BRUCKERUS *Hist. Philosophiae*, T. I. P. II. Lib. II. Cap. II. § XV.

²⁾ Manifestior saltem, notior et vulgatiores haec vesania, in his populis fuit, quam in Orientalibus. Non tamen negamus, traductas ad novos hos coelites multas opiniones et traditiones fuisse, quae ex antiquissima mortalium religione remanserunt; ut etiam postea Philosophi vulgaris superstitionis palliandae causa, magnam ejus partem, ac Deorum istorum gesta et attri-

Quare plerique Graecorum Romanorum Dii Deaque, nil aliud fuerunt, nisi celebres olim reges, principes, heroes, alique magni nominis viri et foeminae. Hi post mortem coelites facti putabantur, hominumque in terris viventium curare res; certaue cuius potentia adjudicabatur, aliis imperium exercentibus in coelum, aliis in elementa, aërem, ignem, aquam, terram, plantas, montes, imo orcum ipsum. Et quod Dii ipsorum quis certis modo praeficerentur rebus, potestateque divisa uti existimarentur, ista quoque inde nata est opinio, eos raro consentire, sed locum habere inter eos discrepantes sententias; ita ut quod alius vellet promovere, id alius repellere studeret. Qui HOMERI *Iliada* vel obiter inspexerit, non sine stomacho animadvertet, quomodo in senatu Deorum, belli Trojani tempore, ex mente Graecorum omnes illae technae et fraudes usurparentur, quae in aulis regum et principum a corruptissimis sceleratissimisque solent adhiberi purpuratis et ministris.

Sed *Orientalium populorum* idololatria aliter videtur fuisse comparata. Sic HERODOTUS Libr. I Cap. 131, Persarum mores docet maxime diversos fuisse a Graecis. „*Apud illos enim non in usu fuisse templa, altaria et imagines Diis statuere; quin stultum ab iis hoc habitum: quod non putarent Deos posse ex hominibus oriri. Quare solitos esse editissimis conscensis montibus, Jovi hostias immolare, toto caeli ambitu Jovis nomine appellato; sacrificasse autem soli lunaeque et telluri, igni, aquae atque ventis.*“ Orientalium itaque religio consistebat in naturalium rerum praecipuarum cultu et veneratione³⁾; praecipue autem *Solis*, quem

buta plurima, ad physicas et philosophicas rationes traducere studuerunt. De Celtarum ac florentium apud eos Druidarum religione, ob defectum monumentorum, e quibus plene tutoque cognosci queat, neque hac in parte certi quid statuere valemus: quos recentiorum multi acriter defendere conantur. Cfr. ex. gr. *Galic Antiquities* - - - by JOHN SMITH. Lond. 1781. 4:0

³⁾ Quia a primaevo lumine propius aberant, ac virtutes Creatoris divinas, ex his ejus operibus maxime elucere putabant; illa primum ut divinitatis symbola venerabantur, mox iis ipsis

Phoenicii, Midianitae etc. vocabant *Baal*, Babylonii *Bel*, quod dominum significat; Ammonitae *Milcom* vel *Moloch*, quod regem notat; Persae *Mithram*. Colebant etiam *Lunam*, quam ut foeminam repraesentabant, ac Syri vocabant *Astaroth* vel *Atergatin*, Chaldaei *Mylyttam*, Arabes *Alittam*, Persae *Mitran*⁴⁾. Aegyptiorum vero superstitio adeo erat enormis, ut divinitatem tribuerent etiam tauris, (qualis eorum fuit *Apis*) serpentibus, crocodilis, et id genus aliis animalibus; imo, quod mane primum conspexissent, id, eo die pro numine haberent. A quibus Israëlitae quoque cultum vitulorum aureorum mutuati sunt. Ut ejusmodi cultus redderetur speciosior, tribuebant rebus etiam inanimatis, ut fluviis, montibus, silvis, fontibus etc. quandam velut animam et personalitatem; addebant ipsis nomen personale, ac adumbrabant ipsas imagine aut simulacro, vel hominis, vel animalis. Sic *Nilus* ut vir serto scirpeo redimitus pingebatur; et sic in ceteris. Quando Graeci et Romani rerum domini evaserunt, quandam similitudinem se animadvertere inter suos et aliarum gentium, etiam Orientalium Deastros pu-

divinitatem tribuebant: quam hominibus aequae facile adscribere nequibant, quorum et natales et mortem noverant. Graeci autem, ex foeda barbarie, in quam nationes a primis mortalium sedibus longius dispersae inciderant, sensim emersi, facilius in turpem hunc errorem ferebantur. Haud tamen negamus, postquam naturales illae res ac virtutes symbolice repraesentare instituisent, (quod a plurimis etiam orientalibus gentibus factum fuisse notissimum est) eoque consilio formam quandam humanam signis hisce divinitatis non raro dedissent; faciliorem fuisse prolapsum ad homines etiam suae gentis magnos, ac benefactores insignes, divino honore mactandos; confundendo illos cum diis suis priscais, quorum benignitate satos, ductosque fuisse, aut quos ipsos sub illorum forma delituisse, sibi persvadebant. Cujus stultitiae multos orientales populos reos fuisse, non diffitemur. Cfr. JERUSALEMS Betracht. über die vornehmsten wahrheiten der Religion, II. Th. III. Betr. II. Abtheil. initio, p. 206—211. BRUCKERUS l. c. C. III. § X. et C. VII. § XII. SELDENUS *de Diis Syris*, Proleg. C. III. etc. VOSSIUS *de Theologia Gentili*, passim.

⁴⁾ Cfr. HERODOTUS l. c. SELDENUS l. c. Synt. I. C. VI. synt. II. C. I et II. BRUCKERUS l. c. C. III. § X et XIV.

tantes, illos cum his confundebant; quare *Jupiter* et *Baal* componebantur, *Venus* et *Mylitta*, et sic porro. Unde magna confusio tam nominum, quam functionum enata fuit.

§ IV.

Ut jam ad veterem Fennicam propius accedamus idololatriam, videtur illa esse (ut nec paucarum gentium aliarum) velut mixtum quoddam ex Orientalium et Occidentalium placitis, religionis genus. Nemo facile, credo, dubitabit, quin aquilonis nostri aborigenes, qui haud diu post diluvium illud Noachicum, boream versus migrantes, ex locis mari Caspio vicinis huc sensim accesserunt, primitus saniores de summo Numine, et cultu ejus sensus foverint; quamvis hi deinde temporis successu apud nos aequae ac alios populos, magis magisque evanuerint. Comprobare hoc autumamus ipsum nomen Dei Fennicum, *Sumala*, quo divinam significamus naturam. Hoc, in lingua nostra non est nomen proprium cujusdam deastri veteris, sed appellativum, quo Deum sive verus ille sit, sive falsus, indigitamus. Si *Sumala* esset nomen proprium alicujus idoli, ut *Jupiter*, *Thor*, *Odin*, non facile admitteret usum familiarem numeri pluralis, quem tamen admittit vocabulum *Sumala*, sicut vel ex prisca carminibus constat. Sic ex. gr. cantilena quaedam venatoria antiqua, canit ursi captor sic:

Sulfi tuli Sumalista,

Sanſa ſaalin iloifeſti. h. e.

Palam veni a Diis,

Cum praeda laetus.

De origine vocis *Sumala* plures adsunt sententiae et conjecturae. Generos. VON DALIN, *Svea Rifes Historia*, l. Del C. III. not. r), C. IV. not. m), C. X. not. l), deducit nomen hoc ab antiqua voce Scando-Scythica *Humal*, *Hamal*, *Amal*, l. *Jumal*; quam Deum et principem significasse asserit, cujusque primitiva notio adhuc supersit in vocabulis *Gumme* et *Gammal*; natu enim maximos prisco aevo maxima veneratione fuisse cultos: hinc etiam stirpem regiam Gothorum *Amalicam*, quasi *Divinam*, fuisse dictam. Sed merum

esse ingenii lusum, nec etiam Fennicae vocis originem facile ex veteri lingua Gothica esse arcessendam, levi negotio patet. Alii vocem Sumala derivant a Svethica voce *Šimmel*, *coelum* notante. Sed quamvis in quibusdam dialectis Lapponicis Deus vocetur Šbmel vel Šmmel; tamen inde verisimile haud est fluere vocem Sumala: quod Fennos et Lappones dudum ante Svio-Gothorum adventum in Scandinaviam, loca sub aquilone sita inhabitasse, et Diis suis, Sumalat a se vocatis, serviisse et litasse probabile est. SCHEFFERUS in *Lapponia* sua C. VI. p. 43. (auctore JOH. TORNAEO) et ex illo ARCTOPOLITANUS *Dissert. cit.* p. 12 afferunt quandam traditionem veterem de communi Fennorum et Lapponum satore et duce *Jumo* ac *Jumi* dicto, quem post mortem pro Deo fuisse habitum, ac inde nomen Sumala Divino adhaesisse Numine, quis suspicari possit. Conveniunt haec cum iis, quae habet *Edda* de gigante *Yme*, quem facit parentem *Jotarum* et *Thussorum*, qui forte Fenni ei sunt et Lappones. Sed neque haec commoda videtur vocis derivatio; praeterquam, quod fabulam sapiat, tota haec, de isto Patriarcha seu duce gentis utriusque traditio, cujus nos quidem nulla apud Fennos vestigia reperimus. Meliori via insistere videntur, qui Fennos nomen hoc Dei habuisse sciscunt, ante quam ad has regiones subpolares commigrarent, dumque adhuc maris Caspii vel Ponti Euxini essent accolae. Quia igitur hujus gentis lingua non levem habet convenientiam cum linguis Orientalibus, Ebraeam matrem agnoscentibus; hinc vocem Sumala a fontibus Ebraeis derivare student. Alii igitur deducunt vocem Sumala ab Ebraeo *Jom* dies et *El* Deus; quo pacto Sumala vi vocis tantum valeat ac *Deus lucis* vel *diei*. Fac. Theol. Aboënsis quondam Adj. M. MATTH. HALLENIUS, a *Jom*, (*dies*), et *Malech*, (*plenus fuit*) censet Sumala apte arcessi, ita ut aeternitatem, omnipotentiam et quasi plenitudinem dierum Numinis notet. Alii vocem per metathesin ab *Elohim* deducendam statuunt. Quas conjecturas suo loco relinquimus. Si quis autem hujusmodi conatibus tribuere aliquid voluerit, poterit etiam vocem nostram compositam statuere, ex vocibus *Jum*

vel *Jub*, et *Baal*, quod in compositione ob euphoniā transierit in *Mal*, ita ut significet *Coeli Dominum*. Est autem *Jum* vel *Num*, adhuc in usu apud Samojedas; et lingua eorum notat *coelum*, ut habetur in vocabulario Samojedico Msc. b. m. Consil. Dicast. Aboëns. SIMONIS LINDHEIM¹⁾. *Baal* vero Ebraice vel Syriace notat *dominum*, ut patet ex Lexicis; cui affine videri queat verbum *Paßua*, Esthonibus significans *orare, adorare*, et *Paßwella*, quod Fennis est *servire*, dominis debitum cultum exprimentia. Sed non est operae pretium his immorari. Objicere autem adversus allata, quis forte poterit *Biarmiorum*, qui populi fuere stirpis Fennonicae, idolum proprio nomine nuncupatum fuisse *Somala*; cujus templum, apud ipsos olim maximo honore habitum, et in antiquis etiam Islandorum monumentis celebratum reperiatur. Sic dicitur in *Historia Herraudi*, p. 27: *Thar er gofgað God, thad er Somala heitir*; et apud SNORRONEM STURLONIDEM P. VII. sive in *Historia S:ti Olavi* C. 143: *Þ gartþinom stendur Goth Biarma, er Somali heitir*: cujus ornatus ditissimus loco utroque latius deinde describitur. Descriptio autem Idoli datur, quae simulacro *Thori* Svecorum, illud simile fuisse indicat; et probabile est, cum praedones peregrini, idolum illud *Sumala*, vel Deum appellari audissent, verae rationis ignaros, pro nomine proprio hujus deastri illud habuisse, quod tamen fuit appellativum omnibus Diis commune.

§ V.

Veteres Fenni superstitione sua et idololatria, primum ferebantur in res naturales praestantiores, utpote sensibus obvias, *Solem* videlicet, *lunam, stellas, terram, montes, maria, fontes, silvas* et *Lapides*; quibus vel ob proprietates admirabiles, phaenomenaque singularia, vel ob usum ad se ex illis redundantem, Divinitatem quandam inesse, putabant.

¹⁾ De quo cfr. *Nova Acta R. Societatis Scientiar. Ups.* Vol. II. p. 34.

Deinde etiam poëtica quadam fictione, ipsis phaenomenis, quorum causas non satis perspiciebant, cultum divinum tribuebant, atque in personas quasi peculiare commutabant, quod etiam *morbis* et *morti* ipsi etc. contigit. Haec omnia ritibus quibusdam colebant, et precibus sibi conciliare studebant. Significat hoc AGRICOLA in memorato supra carmine, sic canens:

Palwelstin myös paljo muuta,
 Kivet, kannot, tähdet ja kuuta.

Colebantur et multa alia,
 Lapides, stipites, stellae et luna.

Sol oriens, praecipue oculos et animos hominum, in Ethnicismo, in se vertit, ac ad cultum sui incitabat. De solis cultu apud Lappones, quem *Beime* vel *Peime* vocant, (Fenn. Päiwä,) videatur CANUTUS LEEM in libro *Beskrifvelse öfver Finmarksens Lapper*. In vetusto quodam poemate sic Fenni alloquuntur Solem:

Tuo tulliaises tullesasi,
 Tuo meill' täyhtä terveyttä;
 Siirrä saama saattawihin,
 Onni ongemme ohaise,
 Pyytö päähen peukalomme.

Affer veniens munera tua tecum,
 Affer plenam nobis salutem;
 Promove praedam ad captum,
 Fortunam ad hamum nostrum dirige,
 Optata ad pollicis nostri apicem.

Inter *Constellationes* non immerito eminere nostris visa fuit *Ursa Major*, *Otawainen*, in cuius *humeros ascendere*, *Otawaisen olkapäälle*, in vetustis carminibus idem significat ac in coelum supremum attolli. Huic vero sideri etiam conjugem, *Otawatar* (terminatione Savonum et Careliorum foeminina sic vocatam), tribuunt eadem carmina; cuius auxilium contra furem nocturnum, ut hunc cogat rem ablatam reddere, his verbis imploratur:

Otawatar Päiwän tyttö,
 Tule tänne, tarwitahan,
 Omoani ottamahan,
 Kadonnutta kaihtemahan. h. e.

Otawatar Solis filia,
 Veni huc, opus te est,
 Ut rem meam recipias,
 Perditam serves.

Terram omnes Fennicae gentes, velut communem omnium animantium matrem et nutricem veneratae sunt, spe-

ciatim Esthonum catervae; a quibus, sunt qui putent hodiernos Fenniae incolas agriculturae artem accepisse¹⁾. TACITUS non modo quosdam Germanos *Hertham*, id est terram matrem (*Herthe*, Germanis hodie *Erde*) coluisse docet²⁾; sed etiam de Aesthyis commemorat eos *Matrem Deum* venerari³⁾: quo nomine Cybelem, adeoque Terram Romanos significasse, notum est.

Montes etiam et *Lapides solitarii ingentes*, tam apud Fennos, quam Lappones divinitatis honore digni censebantur. Tales montes sacros Lapponia plures habet, sub nomine *Passe vare*; et in Finlandia adest *Eräpähä* in Paroecia *Orihvesi*, promontorium celsum, notas superstitionis in jugo suo gestans, lapides in quadrangularem formam dispositos. *Pyhämaa*, hoc est terra sancta, nomen paroeciae est in Finlandia Boreali; quae aliquid forte sanctitatis olim continebat, licet hodie nulla ejus rei vestigia supersint.

Lacus et Flumina multa reperiuntur, sacrorum nomine notata, quibus prisca superstitio aliquid sacri et divini tribuit; ut *Pyhäjoki* in Ostrobotnia, *Pyhäjärvi* multis locis, (ut in illa ipsa paroecia, in paroecia *Vichtis* et *Eura* etc., nec non in Savolaxia et Carelia); *Pyhälampi* in *Kisko* etc. Cataractae fluminum majores multis locis nomine *Pähä* (sancta) insignantur, ut in flumine *Uloënsi* et *Pyhäjokiensi* in Ostrobotnia; quibus, aut earum numinibus sacra fecerunt homines, vel alias, reverentia earum ac horrore capti, vel cymbas suas demissuri.

Fontes superstitiose cultos olim fuisse, testantur infinitae acus, et id generis munuscula, quae nostris adhuc temporibus, illis injecta multis in locis visuntur. Nymphis autem quibusdam fuisse, ex mente majorum, inhabitatas, vel haec invocatio docere videtur, ad talem Nympham directa, qua auxilium ejus, utpote frigidi fontis incolae, con-

1) Cfr. LINDHEIM in *Novis Actis R. Soc. Ups.* l. c. p. 15.

2) *De Moribus German.* C. 40. Cfr. SUHM *Åfsh.* om *Odin*
2 B. 2. C. p. 243.

3) *Ib.* c. 45.

tra vim ignis imploratur, atque pro sanando vulnere hujus saevitia inusto:

Rouffe Neitonen norosta,

Surge virgo e rimula (unde scaturigo emicat) ⁴⁾

Siene helma hettehestä,

Tenero sinu praedita e fonte,

Syömähän tulen kipua x. h. e.

Ad exedendos (tollendos) ignis dolores etc.

Silvae, Luci et Frutices etiam frequenter, ut et *Arbores*, (sub nomine *Peätäjät*, postea etiam *Hiistin-Rannot*), sacrae habebantur, et cultu quodam honorabantur. *Litteris Papae GREGORII IX, datis Perusii XI calend. Febr. A:o 1228* ⁵⁾, Episcopo Finlandensi venia conceditur, *lucos et delubra deputata olim ritibus paganorum, quae de novo per eum conversi ad fidem, Ecclesiae ejus voluntate spontanea contulerant*, eidem Ecclesiae vindicandi. Quare etiam Episcopus THOMAS non multo post, *quandam terram in parochia de Masco cultibus idololatriae olim deditam, Capellano suo WILHELMO jure perpetuo contulisse possidendam*, reperitur ⁶⁾. *Delubra* autem in litteris Pontificis commemorata, non *aedes*, sed *loca* tantum quaedam sacra significare, eo probabilius est, quo certius constat, (id quod in sequentibus demonstrabitur) majores nostros paganos nulla diis suis templa struxisse: quare etiam, quod de aedibus templi *Somala* illius Biarmiensis narratur in *Historia Herraudi*, l. c. aut in eundem modum interpretandum est, aut inter auctoris fabulas, quibus tot tamque absurdis abundat, referendum: idque eo potius, quum STURLONIDES l. c. narret *locum* tantum fuisse (intra silvam densam) *arboribus nudatum, in quo area erat, ligneo sepimento altissimo cincta*, ut verba ejus interpretatur SCHÖNINGIUS (Ed. Havn. 1778). In No-

⁴⁾ Hanc significationem tribuit verbo JUSLENIUS *Lex. Fenn.* Fortassis tamen rectius hic vertitur: *e valle* (unde - - emicat), quo sensu verbum illud vulgo adhiberi, certum est.

⁵⁾ SPEGEL *Skrifteliga Bewis hörande til Sw. Rysdio-Historien* p. 159. N. 94.

⁶⁾ Diplomate dato Nousis A:o Domini 1234. *Ibid.* p. 158. sqq. N. 93.

vellis Aboëns. A:o 1772. N:o 14. pag. 3. legitur *Paulum Lydikäinen*, aedituum Ecclesiae Cuopioënsis circa annum 1656 multos ejusmodi frutices et arbores sacras in Cuopio excidisse. Nec illa superstitio ita eradicari plene potuit, ut tales quasdam arbores sacras adhuc in provinciis superioribus, homines quidam fatui non habeant, quas veneratione prosequantur.

Ventis idem quoque honor praestitus esse videtur; nam et in Carmine quodam invocatur *Auster, virgo juvenis*, *Etletär* (genere foeminino) *neiti nuori* ⁷⁾, et *Boream* prae caeteris magnae dignationis et potentiae deum habitum credas, si ejus quidem domicilium fuisse putemus *Þohjala* l. *Þohjola Borealem villam*, s. *habitationem* atque *sedem*, in car-

⁷⁾ Nisi *προσωποποιειν* tantum atque *Ἀλληγοριαν* audacem, ut aliarum gentium, ita nostris quoque vatibus familiarem, hujusmodi locis adesse malimus statuere; quod interdum saltem fieri debere indubium est. V. g. Cum canunt *Siſi tyttö, maito neitti, Sudor puella, lac virgo!* Verum potuit contingere, ceu multis aliis in populis, ut has fictiones pro rebus vere existentibus rudis plebecula acciperet, atque allegoricas hujusmodi personas reliquis suis idolis addens, cultu illas religioso, aequae ac haec prosequeretur; ut Romani Pietatem, Fidem, Fortunam, etc. colebant, illisque templa consecrabant, sacrificia, precesque offerebant etc. Atque hoc modo factum est, ut similiter ac Graeci Romanique olim cuius fere fonti, arbori etc. suum deum nymphamve praeponerent, nostri quoque majores singulis fere rebus naturalibus, talem genium tutelarem tribuerent. Sic *Ferro* deus quidam praeses imperavit *Rauta Neſki*, vel *Rauta Neſi* dictus; quem honoris caussa, et ad praestantiam ejus significandam reperias ornari epitheto *Rulta-ſilpi, Aureo scuto insignis*. In hujusmodi vero deorum nominibus indicandis, vetusta carmina constantiam non servant; ita alio loco de Ferro dicitur:

Rauta poika **Wuolangoifen,**

Emä Raudan **Ruojuatar,**

Ac rursus alio

Rauta poika Wuolahaisen (Wuolainen
l. Wuolahainen),

Wuolahettaran, (Wuolahattaran) te-
femä,

Lemmetären liehuttama, (al. liehu-
tama?)

Ferrum filius dei *Wuolangoinen*

Mater ferri *dea Ruojuatar* (quasi rubico s. ochra)

Ferrum filius dei *Wuolahainen* (s. de
gente *Wuolainen*)

Deae Wuolahetar, (quae ejus uxor?)
opus.

Deae Lemmetär, (quam caloris deam
esse, ipsum nomen indicat) afflatu
genitum.

minibus nostratum superstitiosis famosissimam⁸⁾: qua sententia probata, etiam *Matremfamilias Borealis sedis*, Pohja-

In quibus Allegoriae vestigia haud obscura comparent. Sic *Vapor calidus balnei*, Löyhly, in carmine quodam ei dicato vocatur Löyhly poika Mutterinen (Mutterisen) Mutteretaren tefemä, *Vapor filius dei Mutterinen*, *Opus deae Mutteretar* (quae dei istius conjux?) cujus dei deaeque nomen a verbo autta (juvare), derivandum esse credam (quasi *juvatore* et *juvatricem* dicas), quod balnei hunc vaporem Fenni nostri omnium fere morborum remedium esse credunt optimum. Additur etiam deinde: *Sifi wanhjan Wäinämöisen*, *sudor senis Wäinämöinen* h. e. divinus. Sic ignis genius vel parens allegoricus, in carmine quodam dicitur: *Þunaparta*, Tuonen poika, *Ahenobarbus*, *mortis filius*. Alio carmine morbus infantum *Kiisi*, *Atrophia*, dicitur: *Kiisi poika Kijentehen*, *Kijentehen*, *Käijäntehen* (alia exemplaria habent *Kiiwanteen*, *Kähwänteen*); quos Atrophiae natales fateor mihi esse interpretatu difficillimos; addit vero deinde vates:

Sifi tulsta Ilmarinen, h. e. Ignem elicit (ex silice) Ilmarinen (*aëris deus*).
Wälähyyti (wälfhytteli) Wäinämöinen; Scintillam coruscantem excussit Wäinämöinen.

Atque paucis interjectis subjungit: *Solla poltan Kijen suuta*, *Kijen hammasta hajotan*, h. e. *quo* (nempe igne illo coelesti) *aduram Atrophiae os*, *Atrophiae dentem comminuat*. Plura exempla addere hujusmodi Prosopopoeiarum atque Numinum allegoricorum, locus prohibet.

⁸⁾ Ita se, jam haec varie mutata, interpolata, truncata, et commixta, ab ipsis mystis adhibentur, ut difficulter ex iis tuto pleneque eruas, qualis revera veterum Fennorum Mythologia olim fuerit. Celebrem illum locum Pohjola, in ultimo borealis plagae angulo situm, ex majorum nostrorum opinione, fuisse, praeter multa alia argumenta, vel nomen ipsum demonstrat; frigoris patria sedesque consequenter habita simul fuit: Unde synonymum ejus fere semper reperias esse *Kylmä kylä*, *Frigidus pagus*, l. locus. Ex. gr.

Tuunwoe hyytä Pohjolasta, Adducito nivem aquosam ex Boreali sede,

Jäätä kylmästä kylästä. Glaciem ex frigido pago.

Item:

Syntyi Neiti Pohjolassa, Nata est virgo in Boreali sede,
Jmpi kylmästä kylästä. Puella in frigido pago.

Ian Emändä, cujus frequentissima fit in iisdem carminibus mentio, uxorem ejus fuisse statuendum videtur; de qua infra commemorabitur.

Sed in hoc ipso remotissimo boreali atque frigido domicilio, deorum insignem numerum habitasse, interdum significare videntur; ut in sequenti carmine, (quo tamen Frigus compellari videtur):

Lule Poika Pohjolaſta,
Mies iso Jſän aloſta,
Weiſo wennon joufioſta,
Hyinen kattila kädellä,

Hyinen kauha kattilalla;

Wiſſoa wilua wettä &c.

Veni juvenis ex Boreali domicilio,
Vir magne ex patris sede,
Frater e sociorum coetu,
Nive-glacieque-repletus-lebes in manu
(tua sit),

Nive - glacieque - obductum - cochlear
(Slef) in lebete

Adsperge frigidam aquam etc.

Malorum vero atque nocentium deorum, imprimis credas sedem fuisse; non enim uno loco mystae ad vulnus sanandum atque dolorem, cui mederi nituntur, superandum, deorum dearumque omnium, et superiorum et inferiorum implorantes opem, (flectere si nequeant superos, Acheronta moturi) impie dicunt:

Onko Hiitä Pohjolaſa
Jumalata Taitwahaſa,
Tämän pulman purfajata,
Tämän jaron jaxajata? &c.

Estne Daemon aliquis in Boreali sede,
Deus aliquis in coelo,
Hujus incommodi (saevitiae) remotor,
Huic labori peragendo par? etc.

Atque in alio carmine mysta morbum abacturus ex malitia atque incantamenti magi alterius, scilicet, aegroto immissum, hac utitur exorcismi formula:

Mene tuonne kunna läſſen,
Hiiden hiili huonesehen,
Pimiään Pohjolahan,
Mieſten syöjään kylähän;
Kus on muutkin murhamiehet,
Jkſieſet (ikuiſet) pahan tefiät. h. e.

Abi illuc quorsum jubeo,
Daemonis prunis-infestam-in-domum,
Caliginosam in Borealem-sedem
Anthropophagorum in pagum;
Ubi sunt aiii quoque homicidae,
Perpetui malefici.

Facile hinc patet, ideas quasdam, majores de *Γέεννα* jam tum habuisse, et malis geniis, carmini huic immixtas; quod firmat conjecturam, malis diis sedes ad ipsum septentrionis verticem fuisse olim assignatas; in horum autem numerum *Boream*, propter saevitiam suam, in his terris notissimam, relatum, ac forte loci illius dominum habitum fuisse. Cfr. quae de hujus domicilii matrefamilias infra dicentur.

Boreae autem conjugem nostros dedisse, mirum haberi minime debet, cum nec saniores fuerint olim Athenienses; qui, testante HERODOTO, *Boreae* acceptum ferebant, quod triduo suo flatu vehementi classem Xerxis dissipasset, et ex ea quadringentas naves submersisset: Quem favorem sibi *Boream* praestitisse autumabant, propter *Erithyam* *Erichthei* filiam, *Atticam*, quam in matrimonio habebat. Lib. VII. Cap. 189.

Frigus etiam ut Numen quoddam, cultum et invocationem ab ipsis meruit. Ut patet ex hac precatiuncula, qua morbos vulneraque ex inclementia ejus orta sanare voluerunt:

| | |
|---|---|
| Packanen puharin (puhurin) ⁹⁾ poifa, | Frigus flaminis (<i>Boreae</i> , ut videtur) fili, |
| Älä kylmä kynstäni, | Noli adurere ungues meos, |
| Älä päättäni palele! | Noli caput meum frigefacere! |
| Kyll' on sulla kylmämistä; | Satis habes quod geles; |
| Kylmä soita, kylmä maitta, | Gela paludes, gela tesqua, |
| Kylmä puita ja pehujä, | Gela arbores et frutices, |
| Kylmä kovia kiviä! | Gela duros lapides! |
| Tulda (tulen) tungen sukahani, | Ignem intrudo in tibialia mea, |
| Keikälettä (kekäläisen) kengähäni, | Carbonem in calceos meos, |
| Packasen palelemata, | Absque laesione a vi frigoris, |
| Rowan ilman koskemata. h. e. | Absque noxa a saeva tempestate. |

Morbis quoque divinitas adscripta est; quos placare precibus et ritibus variis, consultum videbatur. Deam autem quandam, nostris creditam esse, morborum praesidem ac potentem, carmina fidem faciunt; in quibus aliquando vocatur *Ripumäen Iso Emändä* (*morborum collis magna materfamilias*), atque etiam nomine expresso *Rimutar*, (a *Ripu morbus*) *Kauhia Emändä Morbona terribilis matrona*, plerumque autem *Puella mortis filia*, vel *virgo*, nuncupatur; cujus sedem et officium ita describunt:

| | |
|--------------------------|------------------------------|
| Ripu tyttö tuonen neity, | Morbis puella, mortis virgo, |
| Ripuja kokelepi, | Morbos studiose colligit, |

⁹⁾ Alia exemplaria habent etiam *Puhharin*, et quaedam *Pupulin*. Cujusmodi atque multo majores variationes in carminibus hujus generis raras non sunt: vix enim duo reperias calamo excepta eorum exempla, quae per omnia consentiant: quod neque mirum videri debet.

Kesellä kipu-mäkiä,
 Ripumäen kukulalla;
 Kirja wadanan kädesä ¹⁰⁾,
 Kirja kanji kainalosa;

In medio morborum colle,
 In morborum collis vertice;
 Variiegata capsula est (illi) in manu.
 Variiegatum operculum (capsulae) sub
 axilla;

Itkiä tihuttelepi,
 Kuin ei näe kivot tulewan,
 Etkä wammat wailahuwan.

Lacrimas uberes destillant,
 Cum non videt morbos venientes,
 Neque ulcera (vulnera) accedentia.

Implorabant vero illam ut morbos ab hominibus abigeret atque ad sese revocaret, sicque ab eorum injuriis aegrotos liberaret; nec dubitabant mystae, per exorcismum quandam ad dominam suam illos ablegare; Exemplo haec sunto vetusti carminis loca:

Ripu tyttö tuonen neito,
 Kivot fiini ottuwohon,
 Kirjawan kippasehen,
 Walkiahan wadasehen!

Morbis puella, mortis virgo,
 Morbos captivos factos includito,
 In variegatum vas,
 In splendidam capsam!

Item:

Tuonne mä kipuja kiistän,
 Tuonne mä panen pahoja,
 Keselle kipu mäkiä,
 Ripu wuoren kukulalle!

Illuc morbos abire jubeo,
 Illuc colloco mala,
 In medium morborum collis,
 In morborum montis verticem.

Mors ipsa, Dea quoque esse putabatur, cui nomen Tuoni vel Marta ¹¹⁾ additum, regnumque et domicilium ejus seu status defunctorum Tuonela nuncupatum. Senex quidam piscator, sic canere auditus est, mortis indicium sibi ominatus, cum piscatura eum fefellisset:

Joko nyt Marta merrasani,
 Tuoni liene tokeisani,

Jamne Letum cassem meam,
 Mors invasit instrumenta piscatoria
 mea

Etä kaloist owat paigi,
 Tyhjät weden sikiöistä?

Quod piscibus sunt vacua,
 Cassa aquea prole?

¹⁰⁾ Alia exempla, loco hujus et sequentis versus habent:
 Kuuba kauhainen kädesä, h. e. Cochlear aureum manu gestans.

¹¹⁾ Cognatum est vocabulum Marras fragilis, *Morti proximus*; Unde Marras Cuu, *November*. Dicunt etiam: Kuolema

§ VI.

Sed fingebant majores nostri alias praeterea naturas, seu Genios et Daemones, quibus divinitatem adscribebant; verosimiliter priscos heroës vel viros summae olim auctoritatis, quos praeficiebant coelo, ventis, piscibus, bello, paci, annonae, rebusque aliis usui vitae inservientibus. Quorum numerus fuit omnino maximus; sed non omnes tamen eodem honore afficiebantur, nec a tota natione Fennica, singuli esse culti videntur. Unde Dii Fennorum, ut olim Graecorum et Romanorum in Deos majorum et minorum gentium dispescendi veniunt. Prioris generis cum *Diis* Romanorum *consentibus*, quodammodo comparandi, totius fere Fennicae gentis patroni fuerunt:

I. UCKO vel UCKONEN; nomine *senem* significante. Hunc primarium fuisse totius Finlandiae Deum, coeloque praefectum, vel inde credas, quod *tonitru* nostris Ukonen l. Ukoſen jhlinä (s. jyrinä) *Ukonis* l. *Senis fragor* adhuc dicitur (ut Lappones dicunt *Ajia rätja*, s. *jutsa*, s. *kleibma*, senex tonat); hanc autem tonandi in nubibus atque pluvias ciendi provinciam, omnes gentes summo Deo, reliquorum Regi et domino, augusto atque tremendo hoc phaenomeno percussi, tribuerunt. Ipsi etiam adscriptam fuisse felicitatem annonae, hinc credibile est, et tempestates laetas ¹⁾. Vocabatur

lyöpi ihmiset maahan martahari, Mors homines dejicit in terram exanimatos.

¹⁾ Haec omnia confirmat AGRICOLAE carmen saepe jam commemoratum, ita de Careliorum idololatria loquentis:

Ja quin kewähylüö kyluettin,
Silloin Ukon malja juotiin,

Sihen haetin Ukon waſta.

Nin joopui pifa että aſta.

Siittä palio häpie sielle teſtin,
Dwin ſefe cwſtin ette neſtin.

Dwin Rauni Ukon naini härſty,

Cum vero satio verna perageretur,
Tum Ukonis poculum ebibebatur, (in
ejus honorem),

Quem in finem investigabant Ukonis
craterem.

Ita inebriatae sunt cum puella tum
anus.

Inde multa turpia ibi fiebant,
Quae cum audiebantur, tum videban-
tur.

Cum Rauni Ukonis uxor streperet,

quoque *Þittäinen* seu *longus*, (sicut Estonibus fulmen *Pikne* audit) ut inter Deos maximi corporis et staturae: quibusdam etiam dictus *Þäinen* seu *Pater*, forma diminutiva, (ad pietatem affectumque exprimendum): nec non *Wanha mies*, seu *vir senex*, tamquam totius aulae coelestis senior et praeses²⁾. Hisce videlicet nominibus Deus fulminis potens a

Jalosti Ufoi pohjasti pärstty.

Valide Ucko prorsus tonabat.

Se siis annoi ilman ja wden tulon.

Ille igitur dedit tempestatem (exoptabilem) et novam annonam.

2) Non dissimulandum tamen, haud videri D:no PRAESIDI sententiam hanc de *Uckone*, summo quondam Fennorum Deo, dubiis omnibus vacuam: 1:o quod rarissime ejus in Carminibus vetustis, contra fas sit expectare, mentio fiat, nec ita unquam certa, ut nomen *Ufo*, *senex*, etiam appellativum haberi non possit, ac honoris caussa, alii cuidam numini esse tributum statui nequeat. Quin apertissime aliae quoque res aliquando hoc nomine *Senis*, venerationis quasi testandae caussa, honorantur; Sic ex. gr. *Ursum* sibi conciliaturi, blande eum compellantes, in carmine appellant: *Ufoiseni*, *linduiseni*, *kaunoiseni*, *kulbaiseni*, „Senex mi (dilecte), avicula mea, Pulchelle mi, aureole mi (sc. amice)“. Atque hoc carmine, quo felicem Leporum capturam sibi expetunt, ac *Tapionem* igitur potius quam *Uckonem* invocari probabile est, ita eum alloquuntur:

Anna Ufo uuhiansi,
Anna oinahat omanši;

Largire Senex oves tuas,
Largire arietes proprios.

Quasi pecora enim ejus domestica, haec habebant; paucisque interjectis pergunt vates:

Ufo kullainen funingaš,
Euwoš ilman tuuſimata,

Senex auree rex

Baromata waaputtele (al. waapustele).

Adducito ita ut nihil praesentiant,

De cavendo non admonitos admoveas etc.

2:o Quod eadem carmina nullum alium deum exhibeant illo, qui *Wainämöinen* dicitur superiorem; hic autem summa quaevis semper perficiat, ei nullus resistere valeat, is honoris caussa *Wanha*, *Senex*, proprio quodam epitheto ubique dicatur, atque *Þe wanha Wainämöinen*, *Ipsa senex Wainämöinen*, plane emphatice plerumque audiat, fulminandi etiam potestas ei atque *aëris deo*, *Älmärinen*, tribuatur, ita tamen, ut huic ille semper praeferatur; quin expresse aliquando *Ufo wanha Wainämöinen* appellatur. Videri igitur queat, hunc ipsum *Wainämöinen* supremum fuisse

Fennis appellatur. Idem fuit igitur ac *Thor* Svecorum, Celtarum *Taranis* (tonitru enim adhuc Galica s. Scotica vetere lingua *Tarnanich* vocatur), et Lapponum *Atia* l. *Ajia*, quae vox *avum* proprie significat, atque nostrum *Äijä* (*senex*, idem ac *Uđo*), manifesta cognatione attingit; (*Äjia* etiam Fennis pro *Äfa Anus*, in usu est). Licet autem tonitru et fulgur in Uekonis praecipue essent potestate, tamen non ita soli vindicabant, quasi alii Dii illa ciere non possent. Nam in priscis carminibus dii *Väinämöinen* et *Ilmarinen* etiam ut fulguratores celebrantur, ad potentiam eorum designandam: de qua re mox exponetur.

II. CALEVA insigne nomen inter Fennos, habuit. Gigantem fuisse, atque ut primarium olim ducem ipsorum, vulgi carminibus celebrari, asserit in *Descriptione* sua *parociae Paldamöensis*, Praepositus olim ejusdem ecclesiae JOH. A. CAJANUS ³⁾. Nobis nulla talia carmina neque visa neque audita sunt. Duodecim porro robustissimos eum filios habuisse idem tradit, qui non omnes tamen noti sint: ut praecipuos, nominat *Soini*, *Hiisi*, *Rihavansfoinen* ⁴⁾. Quin Fennorum Deum: atque cum fulminis dominus *Uđo* aut *Uđonen* etc. nominaretur, eum ipsum fuisse intellectum, indeque hanc appellationem fulmini adhaesisse. Tempore vero Papismi, diviso cum *Maria matre virgine*, *Neiðy Maria Emoinen*, imperio contentus esse cogebatur: quare etiam interrogatus unus ex mystis Careliorum haud infimae famae, quis olim majoribus suis paganis deorum habitus esset maximus? lepide respondebat: *Senex Väinämöinen et virgo Maria mater*; tempora non distinguens. Horum autem auxilium in carminibus veterum superstitiosis, maxime implorari repererat. Post cognitum, per Christianismum, verum Deum summum, huic quidem primas dederunt homines; sed ita tamen, ut vetera idola ei adsociarent. Itaque hujusmodi reperias preces: *Ëhe ilmoinen Jumala, Ëhe wanha Väinämöinen, Ëhe seppä Ilmarinen, Täjä myöskin tarvitahan. h. e. „Ipse note (vere) Deus, Ipse senex Väinämöinen, Ipse ferrifaber Ilmarinen, Hic vobis quoque opus est“*. Haec igitur ulterius perpendenda significare volumus.

³⁾ Vid. *Tibn.* utgifne af et *Sällff.* i Åbo, A:o 1777, N:o 18, p. 140 sqq. Cfr. MATHESII *Disp. de Ostrobotnia* p. 18 sqq.

⁴⁾ Hujus nomen non habet l. c. MATHESIUS, qui contra nominibus *Väinämöinen* et *Ilmarinen* addit *Kiekiöinen*.

ipsos illos celebres olim gentis deos Väinämöinen et Ilmarinen filios ejus fuisse, ibidem narratur. Post fata divini adscriptos esse, credere licet. *Filios Calevae, Kalewan pojat*, (quo nomine Gigantes Fenni significant) inter veteres Tavastorum deos recenset AGRICOLA l. c. ac de iis canit: *Calewan pojat niittut ja muoðh löit, h. e. Filii Calevae prata aliaque metebant.* Itaque pratis et foenisecio fuisse praefectos, oportet. Idem sensit auctor Carminis Latini de priscis Fenorum Idolis (de quo vid. *Tibn. utg. af et Sällskap i Åbo, a. 1778. N:o 15*), sed Calevae ipsi hanc provinciam assignans his verbis:

Prata bonus Kalevas viridanti gramine textit,
Atque replet foeno rustica tecta novo.

Kalewan mieða, i. e. gladius Calevae in partibus Finlandiae Australioribus hodie vocatur fulgur autumnale, quod hordeum maturare creditur, (vulgo *Korn-bfrist*) ⁵⁾, quod phaenomenon Satacundenses et superiorum regionum incolae *Salama* vocant.

III. *HISI*, inter filios *Calevae* (genealogia sc. illa quam CAJANUS l. c. tradit, probata), fortissimus, idemque ferocissimus gigas habebatur. Hic, ut Deus ursorum et ferarum domitor colebatur. De Carelliis id testatur l. c. AGRICOLA, canens: *Hiisi megeleift foi moiton, i. e. Hiisi de feris largitus fuit victoriam*, sive ut vertit auctor Carminis latini nuper laudati:

Hisis prosequitur tristeis ursosque luposque.

Saepissime ejus fit in carminibus mythicis mentio, semper ut potentis, sed simul ferocis et terribilis: unde etiam ejus domicilium, *Hiisi l. Hiitis*, ut locus teter et horridus, animo concipiebatur: ita ut mala alicui imprecans etiamnum vul-

⁵⁾ Aliud autem significet in his versibus oportet, quibus *ortus serpentis* mythice exponitur (*Kärmen synðy*):

Misti' on tieli keitolaisen?

Unde lingua coquinarii? (Serpentis, qui venenum in ore gignat et quasi coquat?)

Miekasta Kalewan pojan. h. e.

E gladio Calevae filii (h. e. formidolosissimo?).

gus dicat: mene *Hiiteen*, *abi in locum ubi Hiisi habitat* h. e. *in malam rem*. Ob quam nomini ejus adhaerentem ferocitatis notionem, ferae etiam bestiae, (alias *Þedot*) *Hiidet* vel *Hiijet* appellantur; imo malo etiam genio designando, haec vox adhiberi coepta fuit. Filiarum etiam ejus in carminibus fit mentio, quin etiam *Caballi* in suo genere plane eximii, nec non *felis*, animalis ferocissimi, cujus opem imploratum reperimus in carmine, quo furem ad rem ablatam restituendam cogi posse putant: *Kipinätär Hiijen fiſſa, Kewi reifä jalosti, Kipinänä fiirehtiös*: h. e. „*Kipinätär (terminatione foeminina, quasi dolorificam dicas)*, *divi Hiisi feles*, *Lacera femora acriter*, *Scintillae (urentis) instar ad festinandum urge*“, furem nempe, rem ablatam restituere festinantem prae dolore. De caetero, ubique fere in Finlandia extant loca, quae nomen ab hoc *Hiifi* habent, ita ut vel hinc per totam terram nostram cultum fuisse, appareat; talia sunt: *Hiifi*, villa in *Pikis*, *Hiidenala* in *Pemar*, *Hiitis* in *Kimito* et *Lojo*, *Hiidenkangar* in *Nousis*, *Hiidenwesi* et *Hiidenwainio* in *Vichtis* etc.

Immo, Daemon custos montium metalliferorum, in carmine, quo favor ejus ab homine occultas ejus divitias investigaturo imploratur, quasi honoris caussa appellatur huic *Hiisi* cognatione propinquus. Verba sunt:

Lule Hiijen heimolainen,

Buorten halbia lupia z. h. e.

Veni divo Hiisi sanguine conjuncte,

Montium- custos- daemon eximie etc.

Ut plura de illo in carminibus mythicis praedicata, jam praeteream.

IV. TAPIO sylvarum Deus, venatoribus praedas concessit. De hoc AGRICOLA l. c. Tavastorum Deos recensens: *Tapio mehest pydhxret ſoi*, h. e. *Tapio de sylva capiendi instrumenta (praedam?) concessit*. Precatiuncula ad ipsum (conjugemque suam) directa, sic audit in vetusto carmine, post Christianismi tamen tempora, ut quisque videt, absurde interpolato:

Meſän Guſto kaunis karwa,

Sylvae matrona. pulcricoma (l. pulcra forma insignis),

Tuo itse meşän Tapio;
Pinneys Tapion poika,
Älä pidä, älä pinnei:
Sinun on Kristus ristinnynnä,
Kaikivalda kaştanunna,

Keskellän meşän lehoa.
Tule kuin tuli punainen,
Wieri kuin wesi keşäinen,

Keskell' kulda rengaseni,
Amoimen apajaiseni. h. e.

Tu ipse sylvae (dominus) *Tapio*;
Pinneys fili *Tapionis*,
Noli detinere, noli cohibere:
Te (enim) *Christus* baptizavit,
Omnipotens aqua adspargenda initia-
vit.

In media sylvae regione.
Veni ut ignis ruber (cito scil.)
Proflue ut aqua aestiva (adducens scil.
praedam tecum),
In medium orbem dilecti retis mei,
In apertum spatium everriculi mei.

De conjugē hujus *Tapionis* dicemus infra. Ipse in carminibus appellari solet: *Meşän kullainen kuningas*, *Sylvae aureus* (praestantissimus) *Rex*, atque sedem suam, quae *Tapiola* (*Tapionis domicilium*) vel *Mehtola* (quasi *sylvae aula* seu *villa*) vocabatur, in abditissimae sylvae regione habere credebatur. Inde medicinam vulneribus ulceribusque sanandis praestantissimam adportare, *Apis*, sacrum nostris olim insectum, in carminibus frequentissime mythicis jubetur, mel nempe sive nectar divinum, omni malo dolorique leniendo efficax:

Mehiläinen pieni lindu,
Tuopas mettä Mehtolasta,
Simoa Tapiolasta h. e.

Apis parva avicula,
Adduc mel e sylvae villa,
Nectar e *Tapionis* aula.

Postquam vero Christianismus docuisset, deorum sedes ex terra in coelum remove, etiam longius iter *Api* fuisse imperatum videtur, divinum hoc mel vel nectar adducturae; ita in alio carmine hujusmodi mandatū illi reperimus dari:

Mehiläinen ilman lindu,
Lennä tuonne löyhyttele,
Dhegen meren ylişe,
Meri puolen hymmenettä;
Käy kuun kehää myöden,
Päivän päärmättä samoas;

Apis aëris (incola) avicula,
Vola illuc, alas per aërem agitando,
Novem super maria,
Usque ad decimi dimidium;
Vade qua lunae rotundatur halo,
Solaris disci extremitatem premens,
iter festina;

Tuo mettä Mehtolasta,
Simoa Tapiolasta. h. e.

Adduc mel ex Sylvae villa,
Nectar e *Tapionis* aula.

Hunc deum etiam precabantur, cum vere pecora in sylvas pastum emitterent, ut a ferarum insultibus, suo dominio subjectarum, ursi imprimis, illa tutaretur: quas preces his verbis carmen vetustum exhibet:

| | |
|--|---|
| Meñän (meñän) kullainen kuningas, | Sylvae auree rex, |
| Meñän hippa halliparta, | Sylvae <i>hippa</i> (<i>vox obscura</i>) aenobarbe, |
| Pane panta pihlajainen | Applica vimineum cingulum (capistrum) ex sorbo |
| Umberin nenän nylkerön ⁶⁾ . | Circum proboscidem (ursi) brevem. |
| Kun ej pihlaja pitäne | Si ex sorbo non satis firmum sit, |
| Riin sä rautanen rakenna zc. | Tum ferreum fabrica etc. |

V. ILMARINEN, aëris tempestatumque praeses et dominus fuit; quem igitur etiam pro serena et laeta tempestate obtinenda, itineribusque prosperandis, invocabant. Ipsum nomen, ab ilma (*aëre, ejusque ac coeli constitutione*) natum, munus suum mox indicat. De Tavastorum diis canens AGRICOLA l. c. scribit: Ilmarinen rauhan ja ilman tei, Sa matfamiehet edeswei, h. e. *Ilmarinen pacem (aërem serenum?) et tempestatem tranquillam praestitit, Atque iter facientibus successum dedit.* Socius fere perpetuus, in carminibus mythicis deo Väinämöinen adjungitur, quem vel tonasse, vel alia praeclara edidisse facinora, nisi hoc comitante, vix reperias. Perpetuo fere epitheto in iisdem carminibus Seppä *faber* appellatur; quae in igne quoque generando insignes ejus fuisse partes, ostendunt: Adeo ut cum Vulcano Latinarum aliquam habuisse similitudinem videatur.

VI. KEKRI, s. alia dialecto KÖYRI, (nam prior illa forma Careliis propria est ⁷⁾) Episc. AGRICOLAE l. c. dicitur ex Careliorum mente rem pecuariam curasse: *Kekri se liseis carian casmon, Kekri auxit pecoris incrementum.* In cujus honorem computationes et convivia ineunte hyeme celebra-

⁶⁾ Nylkerän alii: quin et nylkerä, ut sit imperativus verbi, significans *cinge*.

⁷⁾ Ad quorum rationem etiam *Kekritär*, terminatione foemina, (quasi hujus *Kekri* vel uxor vel filia), superioris regionis incolis *spectrum* dicitur.

bantur, quae cum festo Agni Paschalis Judaeorum similitudinem quandam habere, non paucis visa sunt; descripta reperiuntur a Pastore hodie Pudasjerviensi M. ERICO CASTREEN, in Diss. Aboae Svethice edita A:o 1754, *de Territorio Cajaneburgensi*, § 35, p. 76. Cum hoc festo magnam similitudinem habet illud, quod locis adhuc quibusdam Caroliae et Savolaxiae, *die S. Olai* celebratur, quo agnus ille sacer *Willawuona* dictus, mactatur et consumitur; quod descriptum legi potest in Diss. Praepositi hodie ac Pastoris in Leppävirta M. GUST. FRID. AURENII: *Praesagia tempestatum quae collecta sunt in Carelia exhibente*, (Ab. 1751) § III p. 13 sqq. Ac non modo locis quibusdam, festum utrumque in unum coaluisse sensim videtur; sed etiam, tempore Papismi, Festum Omnium Sanctorum, cum illo, quod in memoriam veteris illius idoli celebrabatur, confusum fuisse apparet: unde dies omnium sanctorum, hodie etiam quibusdam locis *Röyriin päivä*, h. e. *dies* idolo illi *Köyry* vel *Kekri sacer*, vulgo dicitur. Multis enim locis *Retri* et *Röyri* promiscue dicitur. Dubitandi vero caussa non levis suboritur, annon *Agrorum cultui* potius quam *rei pecuariae*, ille *Kekri* l. *Köyri* praepositus olim fuerit; aut toti forte rei rusticae? Cum agrorum certe cultu arctam rationem habuit festum illi dicatum, tempus illud celebrandi etc. Instituebatur haec celebritas autumnno vergente, post trituram frumenti peractam, dum in paleis et stipulis comminuendis agricolae occuparentur, larga, ut indicavimus, esculentorum potentiorumque praebita copia: ita ut festi eucharistici similitudinem, ob felicem annonae proventum celebrati, non obscure prodant. Ex hac celebritate remansit, ut adhuc multis locis, dies post festum vel convivium (sc. *Autumno celebratum?*), quo rustici maxime crapula laborant, *Köyri* appelletur. In carminibus vero antiquis, nullam hujus idoli mentionem injectam reperimus.

VII. VÄINÄMÖINEN; qui *Äinemöinen* AGRICOLAE l. c. audit, de Tavastorum diis canenti: *Äinemöinen* wirdhet tacoi, h. e. *Äinemöinen carmina fabricavit*, ab eo ut rei Poëticae tantum praefectus commemoratur. Sed ille non modo Apol-

linis loco nostris fuit per totam Finlandiam cultus, Poëtas Runas suas sive Carmina componere docens, (cujus igitur opem haud raro invocant), Musicae primus auctor, itemque eruditioni, si qua hic fuit, ingenique culturae, benignam praestans operam; sed longe omnino ampliorem habuit provinciam. Cfr. nuper dicta, not. 2). *Lyrae* quidem (quae Scandese nostris) inventionem, disertis verbis vetusta carmina illi adscribunt, ac miram ejus hoc instrumentum tractandi peritiam, non secus ac Graeci Orphei artem, celebrant. *Ignem* etiam ab eo in terram primum esse delatum, eadem carmina innuunt; quae *Navium* etiam aedificandarum insignem fuisse artificem, perhibent. Una cum socio suo *Ilmarinen* fulminis potentem fuisse, vel hi versus docent, supra jam allati:

Ësti tulsta Ëlmarinen,
Wälkytteli Wäinämöinen.

Excitavit ignem *Ilmarinen*,
Fulguravit *Wäinämöinen*.

Quae pluribus deinde verbis exponuntur, mythicisque nugis adornantur; *ignis* sc. *natales*, hoc ipsum carmen exhibet. Contendere cum eo ausum deum *Jouckavainen*, juvenem, (quare semper appellatur *nuori*, *adolescens*), severe punivit; de quo certamine plura commemorant carmina vetusta. Sequens vel ideo apposuisse juvabit, quod potentiam *Wäinämöinens* simul adumbrat, atque adeo totius terrae formationem ei adscribere videtur:

Ennen wanha Wäinämöinen,
Ja tuo nuori Jouckavainen,
Tulit tiellä wasturuta:
Misa aisahän taistii,

Olim senex *Wäinämöinen*,
Et juvenilis ille *Jouckavainen*,
In via sibi invicem occurrebant;
Temo trahae (fimmelstång) temoni adhaesit,

Wembel tartui wembefeseen.

Arcus trahalis (lofa) implicabatur arcui.

Tum *Jouckavainen*, juvenili arrogancia elatus, dixit:

Se nyt tiellä olkojon
Joka tienepi enämmin;
Se tiellä pois poikettojon,
Joka tienepi wähemmin!

Ille nunc viam teneat,
Qui majore pollet scientia;
Ille de via decedat,
Qui minus novit!

Muistan meret hynnettyri,
 Sarka jaot sauwoturi,
 Ilma pielet pistettyri,
 Mäet mylsermöitettyri,
 Rivet luoduri kokuhon. h. e.

Memini ega maria arata ⁸⁾,
 Jugera primum mensurata ⁹⁾.
 Aëris postes erectos,
 Montes exaltatos,
 Lapidés coacervatos.

Respondet Väinämöinen:

Lapsen tieto, waimon muisto,
 Ja ei Uron partafuisen!
 Minun on meret kyndämäni,
 Sarkajaot sauwomani,
 Ilmapielet pistämäni,
 Mäet mylsermöitemäni,
 Rivet luomani kokuhon. h. e.

Scientia infantis, memoria mulierculae,
 Nec viri barbati!
 A me sunt maria arata,
 A me jugera mensurata,
 A me postes aëris erecti,
 A me montes exaltati,
 A me lapides coacervati.

Comprehendit deinde Jouckavainem, et projecit in stagnum, dicens:

Mitäš mulle nyt lupaat,
 Jos mä luowutan luotteheni,
 Pyörtyän pyhäät sanani. h. e.

Quid jam mihi promittis,
 Si fatum tuum relaxo,
 Et verba mea sancta revoco?

Jouckavainen respondet:

Lupaan ainoan sisareni,
 Koskaš tulet koshin. h. e.

Promitto tibi sororem meam unicam,
 Quando venis procatum.

In alio carmine ejusdem generis, *Jouckavainen*, semper adversus senem Väinämöinen petulans, (nunquam licet impune), provocat hunc ad canendum, his verbis:

Laula, laula Väinämöinen,
 Syräri hywä suluinen. h. e.

Canta, canta Väinämöinen,
 Ede stridorem claro prognate genere.

Pergit Poëta:

Tuopa Wanha Väinämöinen
 Warmon kyllä vastaaki,
 Warainen on laulamaqi,

Ille vero senex Väinämöinen
 Strenue satis respondebat,
 Matutinum nimis est tempus cantandi,

⁸⁾ Intellige *emollita*, (ut ager aratro emollitur), hoc est *fluida* primum *facta*, sive *creata*.

⁹⁾ Scilicet tam vetusti instituti hoc visum poëtae fuit, ut omni hominum memoria prius haberet, a mundi initio, diisque auctoribus, arcessendum.

| | |
|----------------------------|--|
| Uicainen ilon teori. | Tempestivum nimis, gaudium excitandi. |
| Leuivat lijuu, pää järifi, | Maxillae movebantur, caput tremuit, |
| Kivet rannassa rakovi, | Lapides in littore dirumpebantur, |
| Paacet paudu kallioilla, | Saxa crepuerunt in rupibus (cum cre- pitu diffringebantur), |
| Wäinämöisen laulaissa; | <i>Väinämöine</i> cantante; |
| Portit pohjalla repäisi, | Portae septentrionis diffringebantur, |
| Ilman kannet katkeeli, | Aëris operculum (quasi coeli fornices) rumpebantur, |
| Wäinämöisen laulaissa. | <i>Väinämöine</i> cantante. |

Ex quibus omnibus potentia sua ac magnitudo operum suorum patet. Nomen ejus varie scribi videas; praeter AGRICOLAE supra notatum morem, alii exhibent *Väinämöinen*, (ita nobis videntur poëtae rustici semper vocem efferre), alii *Veinämöinen*, alii *Veinemöinen* l. *Veinemöinen*: qui posteriorem hanc rationem adoptant, foemininum illi sexum attribuire velle videntur, quasi dicas *Wein* (*aquarum*, more Saxonum adhibito) *Emöinen* (*Mater* s. *domina*); cui opinioni ita quosdam indulsisse reperimus, ut esset qui in carmine, ubi alia exempla habent udo *Wäinämöinen*, *vir senex Väinämöinen*, semper scriberet acfa *Weinemöinen*, *vetula Veinemöinen*. Cui tamen rationi obstat, primum, quod virile saepe nomen ac virilia semper opera carmina illi tribuunt; deinde, quod illum ab *aquarum domina* sive dea, expressis verbis eadem distinguant. Ex. gr. in hoc carmine, quo Lyrae ab eo inventae, artisque suae eam pulsandi, laus celebratur:

| | |
|---------------------------------------|---|
| Sitte wanha Väinämöinen | Tum ¹⁰⁾ senex <i>Väinämöinen</i> |
| Jsturen itel' ripahan, | Sedens ipse ad- (vox nobis ign.), |
| Otti soiton formillehen (formillensa) | Prehendit musicum instrumentum di- gitis suis, |
| Käänsi löyrän polvillehen, | Subvertit curvum instrumentum in genua sua, |
| Kantelen kätensä alle. | Lynam sub manum suam. |
| Soitti wanha Väinämöinen; | Pulsavit (lyram) senex <i>Väinämöinen</i> ; |
| Wasta iso ilolle käwi, | Tum demum laetitia laete successit, |
| Soitto soitolle tajusi. | Musica ad musicae leges congruebat. |

¹⁰⁾ Sc. postquam hominibus omnis generis, instrumentum recens inventum tractandum frustra dedisset.

| | |
|---|--|
| Ei sitä metästä ollut, Jalan neljän juoksewata, Koirin koirilehtawata, Jok' ei tullut kuulemahan, Lehestä Jän iloa, Wäinämöisen soitelestä. Karkurin aidalle kawahti, | Non illud in silva erat (animal) Pedibus quatuor currens, Pedibus (ferinis) cursitans, Quod non veniret auditum, Cum efficeret Pater laetitiam, Wäinämöinen lyram tractaret. Ursus etiam se ad sepem subito motu applicuit, |
| Soitettua Wäinämöisen, Ei sitä metästä ollut | Tractante lyram Wäinämöine. Non illud in sylva erat (animal, sc. avis), |
| Rahen siiven suikawata, Jok' ei tullut tuisuttain. | Duabus alis praecipiti motu latum, Quod non veniret procellae instar (ce- lerrime). |
| Ei sitä merestä ollut | Non illud in mari erat (animal, sc. piscis), |
| Sevän kuuden kulkewata, Kaheran maeltawata, Jok' ei tullut kuulemahan. Stedin wein (weden) Emändä, | Pinnis sex cursum urgens, Octo (pinnis nixum) procedens, Quod non veniret auditum. Ipsa etiam aquarum materfamilias (do- mina), |
| Rinnoin ruohosen rojasti ¹¹⁾ , | Pectus ad graminosam ripam vehe- menter allisit (prae festinatione), |
| Wedetti wesi kiewelle, Wastallehen (wastallensa) waiwoaren. | Ascendit super saxum aquae vicinum, In ventrem se projecit molesto moli- mine. |
| Stestänni Wäinämöisen, Wedet juogit filmistähän, Kaseimmat (kaijammat) karpaloita, Pyyliämmät (pyyhiämmät) pyyn munia, Reheille rinnoillehen, Rinnoiltahan polwillehen, Jaloin jalkainsa päälle. Putoisit wesi pisarat. Läpi wiiden willa waiwan, Sarka kauhtanan kaheran. | Ipsius etiam Wäinämöinis, Lacrymae manabant ex oculis, Grandiores oxycocci baccis, Majores attaginis ovis, Super generosum suum pectus, De pectore in genua sua, In strenuos suos pedes. Penetrabant aquae guttae (lacrimae) Per quinque vellerea tegmina, (quin- tuplicem vestem), Pannicea amacula octo (pallium octu- plum). |

Ornatum magni hujus dei satis lepidum fuisse, ex ultimis
verbis concludas. Cingulum autem, Americanorum more
(neque hunc tamen deum solum) pennis contextum gestasse,

¹¹⁾ Alii habent: Rinnan ruohoon ajaren, Wederen w. f.

fidem faciunt hi versus ad Mariam Virginem, familiari nostris vatibus syncrético, directi:

| | |
|----------------------------|---|
| Simalla simanen siipi | Rape melleam ¹²⁾ alam |
| Wyölkä wanhan Väinämöisen, | Ex cingulo senis Väinämöinis, |
| Wyölkä ainosen Rapeen 2c. | Ex cingulo sempiterni dei <i>Kapet</i> etc. |

Morbum scilicet atque dolorem abstersura; contra quem auxilium ejus hic imploratur. Sed locus non permittit de hoc deo plura adferre.

VIII. TURRI vel TURISAS bellatoribus opem ferebat. AGRICOLA l. c. inter Tavastorum deos commemorat, canens: Turisas annoi voitton södhäst, *Turisas dedit victoriam in bello.* Fuitque hic Fennorum *Mars*. Convenire videtur cum Sveonum *Tyr*. In paroecia *Cackis* vel *Euröpää* Careliae, fertur esse mons *Tyriän Wuori* appellatus, ubi hic deus speciatim putatur sedem habere, et *Tyriän Äijä* vocatur. Fabulantur de ipso accolae, eum saepe, imminente bello, exire, et in nubibus tympanam pulsare, quod praesagium belli futuri certum habent. Hujus vero, de cetero, nullam reperimus in carminibus vetustis factam mentionem.

§ VII.

Atque hi fuere Dii veterum Fennorum communes et maximi nominis; praeter quos minores et particulares hic illic colebantur. Quales sine dubio fuerunt hi ab AGRICOLA l. c. recensiti Careliorum Dii *agrestes*:

Köndös, qui agros et arva sylvestria (*Suhtat*, Sveth. *Swedjor*) curabat.

Rongoteus, qui secalis proventui favebat.

Pellonpecko, qui hordeo praefuit.

Egres cui fabas et pisa, rapas, olera, linum et canabim debebant.

Virankannos tantum avenam curavit.

Item, eidem memorati Dii ipsorum *Sylvestres*:

¹²⁾ H, e. vel *divino nectare tinctam*, vel simpliciter *virtute leniendi praeditam*.

Nyrckes, qui concessit illis sciuros.

Hittavanin, qui timidos lepores illis praedam largitus est. *Hitta Fennis* notat canem foeminam; unde conjicere forte licet, hunc Deum, vel Deam, canis more lepores agitasse.

Tales quoque erant, ut credo, hi Tavastorum dii peculiare, AGRICOLAE item memorati:

RAHKOI, deus ecclipsium. (De diis *Kapeet* dictis, postea dicemus).

LIECKIÖ, qui gramine, radicibus, arboribusque imperitabat. Idem videtur ac *Liekiöinen* ille supra § VI not. 4) commemoratus.

AHTI, quem ex *ex aquis pisces attulisse*, adeoque piscatorum deum fuisse, docet.

KRATTI qui thesauros custodiebat. Hunc a Svecis mutuatos esse, verisimile est; qui vocant *Sfratten*, voce Islandis *malum daemonem* notante. Cfr. IHRE *Glossar. Sveogoth.* in hac voce. Ex domestica majorum traditione, in terram defossas et reconditas opes ad quendam AARNI potius pertinuisse credas; quia thesauri hujusmodi defossi vocantur *Narnin hauta*, l. *Narnen hauta*. Quamquam ab *Narre*, l. *aarnio*, quo nomine hujusmodi thesaurus appellatur, ea vox potuerit nasci.

Horum omnium deorum, solus nobis AGRICOLA notitiam exhibet; nulla eorum fit in carminibus vetustis mentio. Quin nomina etiam quorundam, ut ejus quem diximus *Kratti*, *Rongoteus*, *Egres* et *Hittavanin*, linguae nostrae consuetudini non optime conveniunt.

§ VIII.

Celebrantur praeterea in carminibus vetustis Dii multi alii, quorum nomina nemo hactenus in lucem proferre studuit; nec satis liquet, an per totam Finlandiam noti fuerint 1). Huc pertinent ex. gr.

1) Cfr. tamen dicta supra § V not. 7); atque quae de carminum vetustorum, in hujusmodi rebus, inconstantia monuimus ib. not. 9).

1. KAVEH s. *Kavet* (etiam *Kavoh*, et alia dialecto *Kapeh* atque *Kapet*) qui in Carminibus non raro commemoratur. Ad hujus opem, ut et potentis et benefici, contra morbi vim hujusmodi carmine confugiebant:

Kaveh ennen jazon jatoi,
Kaveh ennen päästön päästi;
Miret sä minua päästä?

Caveh antea juvare valuit,
Caveh olim liberationem praestitit;
Cur me non liberas? etc.

Quin ipsius hominis formationem huic adscribere videntur vates, v. gr. cum jubent morbum abire:

Jhotta imehnoistaisten,
Emon tuoman ruumiista,
Karmoista Karvon (l. Karvoin) tefemän. Ex cute (hull) hominis,
A matre editi corpore,
Ex tergo operis a *Kavoh* facti.

Sic alio loco de se dicit vates:

Minä mies Jumalan luoma,
Luoma kolmen luonnottaren,
Kantama kape kapeen. h. e. Ego vir, a Deo creatum opus,
Opus trium creatricium²⁾,
Partus duarum e Diis *Kapeet*.

Alio loco sic objurgat serpentem:

Suin purit Kapeen karvan, (Tu) qui momordisti tergus (corpus)
a Deo *Kapeh* formatum,
Suin purit ihon imeisen. Qui momordisti cutem (hull) hominis.

Nec raro hominem vocari reperias *Karva emo* (l. emi) *Kapeen*, *tergus* (s. quasi *formam* et speciem corporis) a matre *Kapeh* (h. e. *primaria*) formatum. Quae simul innuere videntur, numen hoc foeminini fuisse generis? Num *naturam* significare volebant? Nihil audemus definire.

2. De VUOLAINEN, ferri patre, mentionem jam fecimus (§ V not. 7).

3. LEMMINGÄINEN, adjecto epitheto *Muori*, adolescens. [In carmine de Lyrae inventionem, supra jam p. 63 commemorato, narratur, senem *Wainämöinen*, postquam eximium suum navigium ab hominibus propelli non posse vidis-

²⁾ Quid hic voluerit vates innuere, difficile dictu est. Num ex Christianismi doctrina male intellecta et stulte mutata hausit?

set, deum hujus generis (etiam hunc frustra) ad remos admovisse; Pani sieto Lemmingäisen, sc. soutamahan, *Admovit* (ad remos tractandos) *deum Lemmingäinen, terrae arenosae praesidem* (l. incolam?)] Num hic cognatus spiritibus dictis *Meningäiset*, de quibus infra?

4. Mentio etiam saepe fit in his carminibus numinis ejusdam potentis, in mari habitantis, quod proprio nomine non indicato, Uroš tantum appellant, h. e. *Virum* quendam *fortem*. Describitur hic ut brevis staturae, sed admodum robustus et validus; ita ut efficere valeat et audeat, quod non audent, aut valent alii Dii; ne ipse quidem *Väinämöinen* et *Virgo Maria Mater*. Sic ille *scintillam* ignis a *Väinämöine* in terram e coelo dejectam, solus ausus fuit eruere ac tractare, idque nudis manibus ac nullis munitus *Chirothecis*. En miram ejus in carmine vetusto descriptionem:

Mies musta merestä nousti,
Uroš (al. Uro) aallosta yleni,
Kolmen formen korkeinen (korkeinen),
Neljän peukalon pituinen;
Wähän kuollutta parembi,

Ratonut' on kauhiambi.

Jalass' on kiviiset kengät,
Pääs' on paašinen typerä,
Šivus kannolla takana,

Barba rinnalla edessä. h. e.

Vir niger e mari surrexit,
Heros ex unda emersit,
Trinos digitos altus,
Quatuorve pollices longus³⁾;
Parum mortuo homine est melior
(facie)

Quin perdito (aeternum!) est truculentior.

In pedibus erant lapidei calcei,
In capite saxeus pileus,
Coma ad calcaneum a tergo (pendebat),

Barba ad pectus ante (porrigebatur).

Cum certamen deorum *Väinämöinen* et *Jouckavainen* diremturus esset, alio modo fuit armatus; nempe in carmine supra p. 61 sq. citato legitur:

Ei ennen ero tullut,
Šuin Uroš merestä šyndyi,
Rautalacki lainešista;
Rautafintahat lädešä zc.

Non facta est prius separatio,
Antequam *Heros* ex mari emergeret,
Galea ferrea tectus ex undis prodiret;
Ferreae chirothecae in manibus
(erant) etc.

³⁾ Alii tamen liberaliores sunt, et cubiti longitudinem illi concedunt.

5. MERI-TURSAS (non abhorret nomen ab AGRICOLAE *Turisas*), qui in mari habitasse dicitur; littoris etiam dominum fuisse, probabile est, quia partafainen, *littoreus* vocatur, ac *littoris sui* alicubi mentio fit. Hic compressisse Borealem Nympham dicitur, de qua in sequentibus; pater ita factus infelicis illius novenae prolis, quam illa peperit. Cfr. infra § IX p. 71.

§ IX.

Omitti autem non debent, in hoc recensu, *Deae*, quae vel Deorum conjuges fuisse perhibentur, vel alias magni nominis et meritorum divae. Inter has commemorandae sunt:

I. RAUNI, quam tradit AGRICOLA l. c. fuisse conjugem *Uckonis*; quae una cum ipso detonabat in nubibus, et cum qua ei non melius convenit quam Jovi cum Junone apud *Homerum*: unde alterni fulminis ictus atque fragores. Versus ipsos jam attulimus, § VI not. 1). Nulla hujus *Deae* occurrit in carminibus mentio; neque definire audemus, quam cognationem nomen suum vel cum voce Fennica *Raunio*, *acervus lapidum*, vel cum nominibus propriis hinc derivatis habeat, e. gr. *Raunistula* prope Aboam.

II. VEDEN EMÄ, s. VEDEN EMOINEN, *mater* s. *materfamilias* ac *domina aquae*, pisces ex aquis concessit; de qua mentio facta jam est supra, §. VI. p. 63. Papismi tempore sanctissimo Servatoris nomini hoc idolum piscatores adsociabant, ut ex hac patet invocatione:

Rjesus ja Weden Emoinen,
Rähetä kalainen parwi,
Apaille aiwotuille,

Muinaißill' wero-wesille.

JESUS et *Aquae Domina*,

Mitte piscium gregem,

In tractum piscaturae (notwarp) a me
electum

In aquas olim mihi lucrosas.

Nisi eandem ipsam credas alio nomine *Vesi Hüsi*, *Aquae Daemonem* fuisse appellatam, conjugem saltem hujus fuisse habitam, non est improbable: ac nomen ipsum *Hüsi*, masculinum ejus daemonis sexum indicare videtur, a piscatori-

bus formidati. Favet huic opinioni, quod in carmine, quo piscator Lyrae inventionem a *Väinämöine* factam, celebrat, nervi ejus dicuntur desumpti *Souhista hýmän orihin, Siurista Sijen Emännän, Veden wahoista waltut: Ex setis strenui equi, Ex coma dei Hiisi matrisfamilias, Ex aquae spumis (prole?) selecti.* Quae utique aquae praesidem designare videntur. Aliud carmen hujusmodi, habet: *Siurista Sijen hirwen, Karwoista meri Kateen, Ex capillis dei Hiisi cervi, Ex pilis invidae maris deae.* (Kati, dea invidiae in carminibus passim commemoratur. Unde *Kadehtia*, verb. *invidere*, et *Kadeh invidus*). Num celebratus etiam ille *Uros*, de quo supra § VIII p. 68, idem ac hiece *Wesi Hiisi*, cujus nomen ipsum potentiam ac ferocitatem suam indicat? Aut num diis, aqua non minus abundavit quam terra? Sane contra ulcerum vim in carmine quodam invocatur deus marinus, qui utrum a supra nominatis diversus sit nec ne, haud liquet:

Sala poika Väinämöisen,
Nosta mielestä merestä,
Lapiofi lainehista;

Jollaş ruhtat rupia,
Eli painat paisuita!

Occulte fili (spurie?) Väinämöinis,
Extolle gladium tuum e mari,
Ligonem (*tridentem? qualis Neptuni*
fuit) ex undis;

Quo castiges scabiem,
Aut deprimas ulcera.

Hos versus vel ideo adferendos duximus, quod caeterum vel conjugum vel liberorum *Väinämöini* adscriptorum, nulla reperimus in carminibus vestigia. Nescio an alius ab horum alterutro fuerit *Näcki*, ad Svecorum forte morem ita dictus; quem etiamnum superstitiosi aquis praesidere, et insidiari natatoribus eosque submersos et suffocatos ad sua regna saepe trahere, credunt. Quod *Ahti*, cujus AGRICOLA meminit, eandem habuit ac *Veden Emä* provinciam, nec illius ulla fit in carminibus mentio, aut hodie vestigia cultus ejus ulla apud piscatores superstitiosos reperimus; credi forte possit, nomen fuisse aliud ejusdem dei aut deae. Confirmat hanc conjecturam, quod ex *Descriptione Lapponiae* Msc. SAMUELIS RHEEN adfert SCHEFFERUS l. c. C. X p. 107. *Sädana stenar (idola) kalla the, then första Storjunkaren, then andra haus Aefe eller qwinna, ic. Tabium lapidum primum*

vocant Storjunktaren, secundum Acte ejus, id est conjugem. Quae si vera sunt, (nam vox in Lexico Lapponico egregio, nuper edito, non comparet), Acte l. Ahti Lapponum lingua foeminam aut uxorem, idem fere ac nostris Emä l. Emoinen, significat; flexum forte ab Akka, voce (et apud Fennos et Lappones) idem denotante, unde hoc nomen apud veteres Tavastos aquae deae adhaesisse, existimes: nihil tamen audeamus definire.

III. POHJOLAN EMÄNDÄ, materfamilias Borealis sedis, supra jam a nobis commemorata est. Ejus saepe fit in carminibus vetustis mentio; partim ut matris malorum ac incommodorum, partim ut ea avertere et superare potentis; cujus igitur opem videas in iis implorari. Etiam nomine eam nonnunquam appellant, vel Louhi l. Loveatar s. Lovehetar. Uxorem Boreae fuisse, verisimilitudine non caret. Itaque in carmine quodam dicitur:

| | |
|--------------------------------------|-------------------------------------|
| Porto Pohjolan Emändä, | Meretrix (impudica?) Borealis sedis |
| | materfamilias, |
| Lovehetar (al Loveatar) wanha waimo, | Lovehetar vetula mulier, |

| | |
|----------------------------|-------------------------------|
| Tefti tuuli tiineheri, | Fecit gravidam ventus, |
| Ahawa kōhulliseri ꝛ. h. e. | Ventus-acris praegnantem etc. |

Peperisse porro novem filios narratur, omnes deformes et aliqua parte corporis mutilatos; quod etiam nomina indicant, quae iis dedisse dicitur Kuho, Ramba, Perisofia ꝛ. (*tardus prae nimia mole corporis, Captus pedibus, Plane coecus* etc.): maligna tamen omnes erant indole, ac sagittis homines infestabant. Videtur morborum describi genesis. In alio carmine etiam Lupi et Canes iracundi ejusdem proles vocantur. Cum hac fabula cognationem habere illa videtur, quam aliud carmen narrat, cujus hoc est initium:

| | |
|---------------------------|----------------------------------|
| Synty Neity Pohjolaſa, | Nata fuit virgo in boreali sede, |
| Smbi kylmäſä kyläſä, | Puella in frigido pago, |
| Soſ ei ſuoſtu ſulhaisſin, | Quae non assensit procis, |
| Mieſſyi miehiin hywiin ꝛ: | Probavit viros egregios etc. |

Postea vero, prae libidinis aestu in mare se praecipitavit, ubi a deo Meri-Turjas compressa, peperisse dicitur novem

filios, pessimi moris, et maligni patris sui indolem servantes; inter quos recensentur *frigus, vulnera a frigore inflata* etc. In aliis carminibus Borealis istius sedis dominam invocare reperiuntur, ut auxilio adsit, imprimis contra ignis violentiam; ut in hoc exemplo:

Nouse Neitonen norosta,
 Vuotehilda hyisen pojan,
 Jäisen pojan lappeasta;
 Weä wiittasi wilusta,
 Sameensi hallan alda &c.

Surge Nympha e lecto,
 E cubili nivosi juvenis (Boreae)
 Glacie cooperti filii e toro;
 Subduc togam tuam frigori,
 Pallam tuam gelu surripe etc.

Plura adducere vetat angustia paginarum.

IV. TAPIOLAN s. MEHTOLAN EMÄNDÄ, *Aulae sylvestris materfamilias atque domina, Tapionis conjux*, in carminibus vetustis, a venatoribus saepius fere invocatur, quam ipse *Tapio*; inprimis cum non saevas feras, Ursum, Lupum etc. sed Lepores, Aves etc. insidiis petunt. Hujusmodi igitur sylvestrem praedam vocant *Emon mijsä, Matris annonam vel donum*. Nomen illi dant vel *Hongas*, (quasi *Nympha abietis* s. *sylvae abiegnae domina*), vel *Mielus* (quasi *benigna, facilis*). Prioris appellationis in his exemplum est:

Mejän kuldainen kuningas,
 Hongas ehjosa (ehjosa) ¹⁾ Emändä &c.

Sylvae auree Rex (Tapio ipse),
 Hongas in indagando (bestias) domina

Posterioris vero, et multo frequentioris, haec adponemus:

Boi Mielu, Metän Emändä,
 Tuo tarka Tapion waimo &c.

O Mielu, Sylvae materfamilias,
 Acer illa *Tapionis* uxor etc.

Et alio loco:

Mielus Mehtolan Emändä,
 Tapiolan tarka neito,
 Weä riistasta rekiä,
 Tawaroista taluttele,
 Kohden kulda langojani &c.

Mielus Sylvestris sedis materfamilias,
 Aulae Tapionis strenua Nympha,
 Adduc penus (tui, sc. bestiarum) vehem,
 Opum tuarum ductita (sc. copiam);
 Versus aureos (dilectos mihi) laqueos
 meos etc.

¹⁾ Al. tamen habent ehjä, pulcra.

V. SUCKAMIELI, amorum Dea, puellarum animos demulcens erga procos, et vice versa. Cujus opem implorabant hunc in modum:

Suckamieli mielen fäändäjä,
 Mehilläs tuon mieli haudo,
 Haudo mieli mielettömän,
 Armahani armottoman z. h. e.

Suckamieli animorum mutatrix,
 Melle tuo animum fomenta,
 Fomenta animum sensu carentis,
 Amici (l. amicae) imitem etc.

VI. De VUOLAHATAR, ut et conjuge suo *Vuolainen* supra commemoravimus § V not. 1) et § VIII 2). Conjugia deorum dearumque, ex mente nostratium non fuisse sterilia, et ex jam dictis patet, et multis praeterea exemplis doceri posset, si locus permitteret.

§ X.

Hi Dii Deaeque bonae plerumque erant frugis, et in cultores suos, ex mente nostratium, natura sua benefici; quare variam ab ipsis opem ad commoda vitae pertinentem, exspectabant precibusque flagitabant. Sed erat quoque majoribus nostris res cum spiritibus et naturis quibusdam plane maleficis; a quibus varia mala et damna sibi metuebant; quaeque hoc solum nomine placare studebant. Quamquam non facile est ubique definire, ad quam praecipue classem daemon aliquis, in vetustis carminibus commemoratus, per-

2) Narrat SCHEFFERUS l. c. C. IX p. 93 ex. TORNAEO (cfr. hujus *Beskrifn. öfwer Torneå och Kemi Lappmarker*, typis impr. Stockh. 1774 8:o, p. 15 sqq.) *in medio marchiae Tornensis olim celebrem fuisse Seitam* (idolum) *Wiran* (*Wiron*?) *Adā dictum, quod anum Livonicam significat, (etiam Fennice). Hunc omnes circumjecti Lappones coluere, etc.* Si Fennis etiam haec dea culta fuit, ab Estonibus, quorum genti regionique forte nomen dedit, (*Wiron maa, Wirofaisjet*), ad nostros delata, *Terram* ipsam significasse probabile est; quam nostros olim adorasse, supra docuimus § V. p. 45. Extat ad *terrae dominam* precatio, qua rogat eam castrator, ut equo jam prosternendo, cubile quietum concedat: *Anna maata Maan Emändä, Anna maafi asbihiri. Permitte cubare, Terrae domina, Concede terram tuam propitiam.*

tinere debeat; quod et boni aliquo peccato offensi, iratiores interdum essent, et mali quoque saepe cultoribus suis, sibi mancipatis, favere putarentur. *Diabolus*, quatenus est hostis DEI et hominum spiritualis, peccatique auctor, ipsis ante Christianismi tempora ignotus quidem erat; ut et sedes ejus infernalis. Variis tamen noxis corporalibus, quas vel ipse immediate, vel per homines sibi addictos, Magos videlicet et Sagas infligeret, malus quidam genius satis innotuit etiam Fennis paganis; quem sub nominibus *Lembo*, *Piru*, (Genius, ad ejus familiam pertinens, hinc vocabatur *Þirulainen*, *Þahalainen* etc.) *Perkele*, *Peijakas*, l. *Peijanen*, *Paha Kurki*, *Pendele* etc. innuebant ¹⁾; non secus ac Lappi illum sub nominibus *Fuodno*, *Stalo*, *Pärkel* etc. aversantur. Esthonibus est *Kurrat* l. *Kuratti*, quod vi vocis idem notat ac *Ἕν Ὀνδε*, sive ὁ πονερός, seu malus ²⁾. Hunc Magi ipsi

¹⁾ Negare tamen omnino nolumus, quaedam horum nominum olim ad daemonem forte aliquem pertinuisse inter deos gentis cultum, ac post tempora Christianismi, ex odio idolorum, sensu pejore adhiberi coepisse: quod de *Hüsi* supra observavimus. Sic in carminibus interdum deus aliquis, v. gr. *Tapio*, simul *Lembo* vocari videtur, ita ut hanc vocem *daemonem in genere*, non modo malum illum significasse, credas. Vox etiam *Þiru* cum Deo *Perun* l. *Perum*, fulmen notante, a Novogordensibus olim culto; et *Perkele* cum summo deo Prussorum veterum *Perkuno*, aliquam habent similitudinem. *Perku* Esthonibus hodie significat *infernum*, s. sedem diaboli. *Occopirnus*, quem VAISSELIUS in *Chronico Prussico*, supremum fuisse Prussorum numen docet, ab illo forte *Peruno* et *Percuno* diversus non fuit. Cfr. HARTKNOCH alt und neues Preußen I Th. VI. C. MOLLER Beskrifning öfver Est- och Lifland p. 81. Sic etiam *Peijanen* l. *Peijakas* forte primum *deum inferorum*, *Plutonem*, significavit: unde adhuc *inferiae*, (Gräföl) *Þeijaiset* l. *Þeijahaiset* vocantur, quasi festum huic deo sacrum, cujus regni mortuus factus sit incola, quoque huic propitium illum reddere studebant.

²⁾ Malus enim *Kurri* Esthonibus dicitur. Habet haec vox similitudinem quandam cum deo veterum Prussorum *Curcko*, (Cfr. HARTKNOCH l. c. C. VII). *Kurki*, quod Fennis spectrum et terriculamentum notare docet JUSLENIUS (*Lex.* hac voce), et *Paha Kurki* (malus genius) cognatum vocabulum videtur, ut et vocabulum *Kurja*, *miser*.

tanquam suum socium et auxiliatorem, ad bona vel mala praeternaturalia procuranda advocare videntur; quem sic in carmine hoc describunt:

Ei minusa miestä lieenf,
 Jos ei tuosa weidosani,
 Joka Hiisfä asupi,
 Wuorisa walaelopi
 Ei tamminengan kureka,
 Kuuta polwesta porota;

Ei wassinengan wefära,
 Wedä werta hartioista;

Ei pohjanengan pahembi,
 Hiusta forwilda kohota x.

Non in me virile robur esse queat,
 Si non in illo socio meo,
 Qui in Hiisis sede (cum divis) habitat,
 Qui in montibus vagatur.
 Ne quercina quidem clavä,
 Valet os elidere (cum dolore) ex ejus
 genu;

Ne aeneus quidem mucro,
 Valet sanguinem extrahere ex ejus
 humeris;

Nec boreas intensissimus,
 Valet capillos levare ad aures ejus.
 (Scil. tam durus et solidus est).

Mali generis numen etiam fuisse credas deam SYÖJÄ-TÄR, non raro in vetustis carminibus commemoratam, ipso etiam nomine (quasi dicas *consumtricem, corrodentem et exedentem*), id innuente. Ex hujus sputo in mare demisso, *serpentem aquaticum* enatum fuisse fabulantur; qui alio loco dicitur Kinta solki Shöjättären, Paholaisen paidan nauula, *Fibula pectoralis deae Syöjätär, Mali-daemonis indu.sii fibula*.

Ex malis hujusmodi daemonibus fuit etiam quidam Satyrus silvestris, LIECKIÖ nuncupatus, (alius omnino, ut videtur, ab illo cujus AGRICOLA l. c. meminit; cfr. § VIII). Fingunt hunc, homines in silvis terrere et in errores inducere, varias assumentem formas et voces, nunc sub specie graculorum latrantem, nunc sub forma canum, hominum, ignotarumque voluerum apparentem. Ab igne nomen habet, ob celeritatem qua fertur; Liecki enim est *flamma*. AJATTARA l. *Ajattaro*, est similis malus genius silvestris, sed foemini generis, terribilis, celer et homines in errorem inducens. His geniis comminiscendis occasionem forte dedit notum illud meteoron, nostris licet in terris rarius, quod *ignem factuum, erraticum aut ambulonem* Physici dicunt. Nostros autem rusticos lusisse, minus mirari convenit, cum etiam non multo sanius SENNERTUM et CARDANUM Philosophatos

esse, constet; qui animas mortuorum, aut cacodaemones esse tradiderunt, malignitate sua viatores vexantes. Vid. KRAFT *Prael. in Phys. P. III C. V. § 271.*

§ XI.

Sed nondum est finis Theognosiae Fennicae superstitionis. Nam praeter istos Deos, fingeant sibi adhuc inferiores quoque aliquos Spiritus, sive Genios ac Daemones ¹⁾, quibus etiam vim male et benefaciendi tribuebant; quosque sibi faventes reddere studebant.

I. *Haldia*, sive genius familiaris, seu rector et praeses, Svecis *Hå.* Fuerunt hi velut Dii locorum apud Romanos; nam cunctis locis, domibus, villis, suum majores praefecere rectorem, qui tanquam hospes invisibilis ibi cum quodam imperio commorabatur. Lacus sylvestres, praesertim minores, talem singuli putabantur habere praesidem; quem quidam piscatores adipe phocae fugare se posse putant. Imo cuique homini suum Genium familiarem, tanquam rectorem adesse, superstitiosi autumant; cujus instinctu et ope, consilia et coepta successum habere arbitrantur. Quamobrem hominem entusiasmo percitum, qui se habet ut fanaticus, ajunt esse *Haldioisa*, seu *incitatum ab hoc rectore*. Hinc venatum profecturi, vel aliud opus majoris momenti effecturi, eum hujusmodi verbis ducem ad vocant:

*Nouse luondoni lowesta,
Kiven alda kiilu filmä,
Paaden alda paida possi,
Songan alda Haldiani!*

Pue päällēs palawa paita z. h. e.

Surge ex rima naturae meae,
De loco tuo sub lapide paetulae,
Subter cippo mi genie decore,
Subter abiete mi rector!
Indue indusium ardens etc.

II. *Tontu* sive Lar, a quo magnam exspectabant opem et curam rerum suarum domesticarum; qui saepe damna aver-

¹⁾ Difficile quidem est ubique definire certos limites inter genus utrumque; quod ipsi Dii gentilium non omnes ejusdem essent dignitatis aut potentiae: sed tamen illae naturae, ac quaedam imprimis, quae in hac § enumerantur, inferioris omnino fuerunt generis.

tebat, et varia bona procurabat, cum propitio esset animo; at offensus tumultuabatur. In quibusdam domibus putabant dominari Larem masculum, in aliis foeminam; cur vero monoculum esse perhibeant, nescio. Nomen a Svecis mutuatum, suspicandi praebet ansam, hunc larem Papismi forte tempore primum nostris innotuisse; quibus ejus loco, hactenus, prius tantum illud genus cultum fuisse videtur, scil. *Suonen-Saldia*, *custos* nempe s. *praeses domus*.

III. *Maahiset*. Hi erant iidem, qui Svecorum *Öffmor* et Venedorum *Barstucci*, Germanorumque *Erðmängen*, seu homunculi subterranei, qui certis in locis, sub arboribus, lapidibus, et domuum liminibus, hospitari creduntur. Horum favorem variis captare muneribus fuit necesse. Quoties cerevisia coquebatur, vel panis pinsebatur, his primitiae debebantur. In conviviis et festis nefas erit eorum oblivisci. Si felicem rei pecuariae successum materfamilias exoptabat, lactis participes hos fieri oportebat. Qui in novam domum commigrabat, ante omnia, quando primum illam intrabat, debuit incurvare se ad omnes angulos, et salutare hos incolas subterrestres, si in illa domo salvus et incolumis degere cuperet, et litare illis sale, zytho et pane. Si quis urina mittenda aut alio profanationis genere conspurcabat domicilium eorum; ut impune id laturas essent, timere debuit, morbis vel alio infortunio tale crimen luiturus. Lappo quoque sub focum suum, vel limen tentorii, tales degere credit. Adeo ut mirum sit, tot gentes in futilibus stultisque his nugis adoptandis consensisse.

IV. *Capeet*, fuere ejusmodi maligni daemones, qui cuncta voracitate sua consumebant, remque familiarem in aretum redigebant. Unde verbum *skapendua* significat coartari. Sed non modo hominibus hi noxii erant, verum ipsam Lunam aggredi audebant; unde eclipses ejus oriri credebantur, ac remansit hodieque phrasis fuenta *shöddän*, *Luna exeditur*, h. e. *deliquium patitur*. Hinc timor ridiculus; non secus ac Sinensibus, quos solem et lunam, a dracone quodam coelesti eclipsis tempore consumi, credere ajunt. Haud sapientius Graeci olim et Romani eclipses ex veneficarum

vi oriri putabant, quae cantu suo lunam coelo deducerent, quamque tinnitu aeris juvari posse credebant. *Kapeet* hos, piscaturae etiam deditos fuisse, plura carminum loca indicant; sic alicubi dicitur *Kapeet* *falasse läxi*, *Kapeet piscatum proficiscebantur*, et alio loco mentio fit *tractus aquae ubi piscatum Kapeet exercebant*, *Kapeen kala wesi*: victu opus habuisse largo, ob voracitatem sc. suam, videntur. A Deo autem *Kapet* l. *Kaveh*, supra commemorato, benefico, diversi omnino fuisse videntur!

V. *Menningäiset*, erant aliud genus daemonum et spectrorum, qui in montibus, locisque solitariis agere putabantur, hominesque terrere. [JUSLENIUS in *Lex. Fenn.* hoc vocabulum interpretatur *manes*, *dödas själar*, *jordspöfen*. AGRICOLA autem, carmine saepe commemorato, viduis inprimis cultos docet; de Careliis canens: *Menningäiset mös heiden wffrins fait*, *Roffa leffet hoolit ja nait*, h. e. *Menningäiset etiam sacrificia eorum obtinuerunt*, *Cum viduae (et vidui) lugerent et nuptias facerent.*]

VI. *Paara*, *Sveth*. *Wjäran*, est daemon factitius, quem veneficae ipsae creare putantur, et ad ferendum lac et butyrum cogere. Etiam has nugas, Svecis nostros debuisse, nomen ipsum indicare videtur; *Papismi* igitur forte aetate, apud nos haud superiores. Modus construendi hujusmodi animalis talis dicitur esse: Caput formant ex infantis galero, qui variis et multicoloribus laciniis oppletur, in quo conditur etiam hostia, ab aniculis in Sacra Synaxi ore accepta, cujus sc. ope vitam ipsi daturae sunt. Stomachus ex linteo tegumento capitis foeminarum fit; qui stupa farcitur. Huic tres fusos l. rhombos (*sfändor*) divergentes adfigunt. Quo facto, opus hocce praeclarum portatur ad vestibulum templi, summo mane diei cujusdam dominicae; ubi tenetur aliquantisper, deinde circumitur templum novies, identidem mussitando: *Synny Paara!* h. e. *nascere Paara*. Brevi post, vitam, scilicet, accipit, salitque tribus pedibus. Tunc ajunt ad ipsum:

Kanna woita, fanna maito,
Suo woita wuoren duko,

Affer butyrum, offer lac,
Affer butyrum, montis avia (anus).

Piimää pirun emändä!

Lac concretum uxor diaboli!

Päästä piimen pindehestä,

Libera lac-coagulatum ab angustiis,

Maido happaman hallusta²⁾.

Lac a dominio acidi.

Hujus possessor deinde abundare semper creditur lacte et butyro. Mucorem unctuosum flavum, *Linn. Flor. Sv. N. 1282*, statuunt esse hujus excrementum; et nugantur si quis talem virgis caedat, ac alternatim igne torqueat, ipsam cogi ut prodeat veneficam, et pro foetu suo oret.

VII. *Painaja*, Sveth. Maran, de qua natura malefica, eandem opinionem fovet vulgus Fennicum, quam Septentrionales populi reliqui; Cfr. ill. *SUHM om Odin III B. 2 Cap. § 33, p. 288*. Forte tamen a Svecis etiam hanc persvasionem nostrates acceperunt.

§ XII.

Auxilium, quod a Diis suis, majores nostri, tempore paganismi expetebant et sperabant, nequaquam fuit Spirituale aliquod bonum, ad salutem animae pertinens, de quibus rebus, utpote verbo Dei destituti, nullas sibi formare poterant ideas; sed totum spectabat commoda vitae praesentis: temporaliaque solum curantes, Deos suos colebant. In tam spissis autem superstitionis tenebris licet constituti, non tamen omni prorsus naturalis Theologiae luce caruisse censendi sunt. Habuisse aliquam, quamvis debilem, cognitionem de Numine quodam summo et omnipotente, videntur, auctore rerum omnium; quem in carminibus suis vocant *Quoja* et *Raicivalda*, hoc est *Creatorem* et *omnipotentem*. Nisi quis loca carminum veterum, ubi hujusmodi voces occurrunt, post Christianismi tempora interpolata esse existimet; quod quidem pernegare haud conabimur. Notionem tamen aliquam de creatione mundi habuisse, atque omnium rerum initiis divinae potentiae adscribendis, etiam locus ille

²⁾ In omnibus hujusmodi carminibus a nobis allatis, eam servavimus orthographiam, eamque dialectum, quam exempla nobis alicunde acquisita, praeferebant; quod saepe non sine incommodo, dialecto alia indui queant. Plurima dialectum Savonicam produnt; quod in ea Provincia maxime vigent.

de *Väinämöine* supra adductus § VI p. 62 indicare videtur, quem Deum aliud carmen vocat *Totius mundi opificem*, (qui *tundendo*, prout in officinis ferrariis fit, illum formaverit), *Aëris operculi* (coeli) *fabricatorem*, *Räifen* mailman tasoja, *Siinan* kannen fassuttaja. Verum, uti diximus, interpolationem nullam fuisse experta, praestare haud valemus. In eo vero maxime errarunt, quod hoc Numen oeconomiam universi, et curam praecipue hominum, delegasse certis ministris et spiritibus finitis, se inferioribus putarent, quales ipsorum Dii erant.

De *immortalitate animae* et *vita futura*, obscura quoque notione quadam gavisos fuisse, probabile est. Obscuram dico, quia multis superstitionis nugamentis circumsepta erat. Existimabant enim majores nostri vitam illam futuram similem esse huic praesenti; adeo ut quibus negotiis occupati fuerant in hac vita homines, iisdem etiam in futura addictos fore, putarent; victu et amictu ibi opus fore aequae ac in hac; conjugio aliisque carnis oblectamentis locum esse, etc. Hinc in *regno illo mortis*, Tuonela, eadem omnia atque in terra, carmina docent adfuisse: mentio fit, non modo *piscium mortis regni*, Tuonen Hauti x. sed etiam *hordei ibi crescentis*, Tuonen otra l. ohra. Cfr. quae supra de *Peijafas* et *Peijaiset* diximus, § X not. 1). Hinc est, quod defunctis arcum et sagittas, arma et solita utensilia, ajunt, in sepulcro, ad caput reposuisse, atque ipsis cibum et potum obtulisse 1); quod animos eorum iis locis delectari post mortem, in quibus vivi maxime commorabantur, autumabant; quod Thesauros suos, ubicunque reconditos, identidem visitare perhibebant. Qualibus fabellis adhuc vulgus delectatur ubique, et quarum nullus finis est, si aures iis audiendis adhibeas.

1) AGRICOLA carmine saepe citato: *Coolumden Hautiin rooca mietin, Soisja walitin, parghutin ja idetin*, h. e. *Mortuorum sepulcris cibum intulerunt, In quibus querebantur, lamentabantur et plorabant*. Cujus moris reliquiis forte debetur ritus Fennorum Graecae religioni addictorum, qui adhuc praeficarum opera et naeniis (itfu=runot) in funeribus celebrandis utuntur.

SECTIO POSTERIOR

De

Superstitione Veterum Fennorum Practica.

§ XIII.

Lustrata sic qualitercunque superstitione nostratium in Ethnicismo Theoretica, jam ad vim considerandam, quam in praxin habuit, nosmet conferre, ratio instituti nos jubet.

Verbo monuimus § II, *superstitionem practicam* nasci ex Theoretica, et consistere in ejusmodi actionibus, quibus honorem quendam et cultum Diis suis et Daemonibus praestabant veteres, quo varios sibi praestitutos fines opera eorum attingere potis essent, vel ad suum suorumque commodum, vel damnum aliorum, quibus male volebant, tendentes.

Duo ergo superstitione practica spectabat, cultum videlicet et officia Diis Daemonibusve praestanda, et fructus inde speratos, sive quos illorum opera sese percepturos vani homines expectabant. Quae momenta jam curatius erunt consideranda.

§ XIV.

Ad cultum Deorum, quod attinet, constitit ille in *Laudibus*, quas Diis suis decantabant, ac in *Precatiunculis* ad eos fusis. Nescio quem rectorem, (Halbia), intelligat is, qui in carmine quodam vetusto sic canit:

Jumalani Sukkeroinen,
Halbiani Kefferoinen,
Kanna Miestä kaikien päiwän,
Seitä illalla rifoille. h. e.

Mi Deus jucunde,
Mi rector robuste,
Porta virum tota die,
Projice vespere in stramenta, (sc. ad quietem),

Blanditiis porro ad ipsos usi sunt. Quarum omnium rerum, supra quaedam exempla adduximus.

Gestibus praeterea *submissis* eos venerabantur: in genua procidentes, locis iis sacris, aut ubicunque eos adoraturi, caput denudantes, corpus incurvantes, ac humi se prosternentes. Saltem his ritibus adhuc, quae sancta habent superstitiosi, venerantur.

Sacrificiis tandem variis et *oblationibus* eos honorabant. Cujus rei vestigia adhuc in variis quorundam superstitiosorum ritibus supersunt: ut in illo quem significavimus more acus etc. in fontes sacros injiciendi; in primitiis lactis, quo die primum pecora in sylvas pastum emissa fuerunt, ad sacras arbores effundendis, quas frugum quoque primitiis offerendis colunt; in agno quem festo S. Olai, ac quidam etiam festo S. Michaëlis mactant, et religiose comedunt; in votis denique, quorum vestigia, carmina quoque vetusta exhibent. Sic in fine carminis, quod ursi venator canit, expeditionem suam contra hostem hunc accerrimum suscepturus, *Tapioni* aut nescio cui deo, si faverit sibi, gallum gallinaceum sese oblaturum promittit, ac epularum (ut videtur) solennitatem, dicens: *Ructo finulle, Ructo faitelle fh-lässe, h. e. gallus tibi, gallus toti pago!* Forte ex hujusmodi more etiam ortum habet, quod in plerisque *lectionibus* superstitiosis, recitato ad finem carmine, addere solent: *Ructo!* De ritibus sacrificantium commemorare plura liceret, si nostrorum mores similes iis fuisse ostendere possemus, quae de Lapponibus habet SCHEFFERUS *Lappon: C. X*, et de Finmarchiae incolis ex Norvegicarum rerum scriptoribus excerpit WEXIONIUS *Epit. Descr. Sveciae etc. L. X, C. II*, quaeque de nostris etiam Fennis, nullo licet nixus argumento, affirmat. Sacrificia humana apud Fennos fuisse usitata, non comperimus. Se ipsos autem Diis devovisse, inde credas, quod ejus moris vestigia recentioribus etiam temporibus deprehensa sunt. Ita de rustico quodam Savolaxensi, non ita pridem fama fuit, eum in jus vocatum, quod aliquas guttas sanguinis è digito suo minimo, in crustam ovi cavam immisisset, et in acervum formicarum defodisset, se sic *Tapioni* devoturus, ut successu laetiore in capiendis feris avibusque uteretur.

In adversa vero fortuna, non aequè bene majoribus nostris cum Diis suis conveniebat; quos non raro objurgasse dicuntur et male habuisse, alio tempore iterum cum iis in gratiam redeuntes: quomodo multae gentes barbarae facere solent, ac Russos quoque erga icones sanctorum suorum se gessisse, notum est. In carmine venatorio, modeste tamen satis, de sylvae Domina, (vid. supra p. 72) benefica interdum, interdum dura, ita canit vates:

Mielestä Metän Emännän,
 Usein hyvän Emännän:
 Sormet kulta formurissa,
 Käet kulta käärehiisä;
 Jotk' on suonut annillahan:
 Usein pahan Emännän;
 Sormet vihta formurissa,
 Käet vihtä käärehiisä,
 Mina auttamattueja.

Ad placitum sylvae-matris-familias,
 Saepe bonae matris-familias:
 Digni sui aureis ornantur annulis.
 Manus aureis armillis;
 Quas largita est muneris:
 Saepe malae matris familias;
 Dignorum virgei annuli,
 Manuum virgeae armillae,
 Usque auxilium negantium.

In superstitione hac sua, fuisse ferventes et obstinatos, difficultas testatur, eandem etiam post Christianam religionem introductam, compescendi et eradicandi: quamquam haec difficultas inde major etiam evasit, quod majores nostri convertendi, non de priscae superstitionis vanitate novaeque religionis praestantia, studiose edocerentur, sed adhibita vi ad sacra sibi fere ignota amplectenda, pro infelici temporis more, compellerentur. Hinc enim factum, ut occulte venerari veterem superstitionem, et eandem ad posterum religiose propagare, quamvis publice cultum Christianum professi, pergerent; quae ex ipsa hac arcani disciplina, pretium etiam majus accepit, ut post sapientio rem quoque initam rationem, (maxime post reformationem ecclesiae nostrae) tamen sine magno labore sensim eliminari, non potuerit. Cum suscepta autem nova fide, veteres de diis suis persvasiones conciliare et confundere, gens rudis et male instituta, brevi coepit, deosque majorum Christo atque matri ejus, (quam Papistica stultitia ipsi Deo aequare, cultuque religiosissimo prosequi docuit) associare, ut amicos, socios, et ministros, instituit. Unde absurdus ille Syncretis-

mus, qui in plerisque regnat veterum carminum reliquiis: cujus quaedam in exemplis etiam supra allatis indicia habentur, v. g. in carmine de *Tapione* p. 58 exhibitio; quem a Christo ajunt baptizatum, hoc est, hac caerimonia quasi inauguratum et praesidem sylvae factum: Sinun on Ristuſ ristinnhunnä, Raidiwalda kastanunna, Reskellän mežän kesoä.

§ XV.

Festa quoque quaedam in honorem Deorum suorum majores olim celebrasse constat, ex quibus haec imprimis ad memoriam nostram pervenere. Scilicet:

I. *Festum Uconis*, post factam sementem vernalem: cujus notitiam verbis supra a nobis adductis, (p. 53 not ¹) exhibet AGRICOLA. Vestigia ejus hodie superesse, nobis non constat; nisi aliquis huc referre voluerit, quod panem grandem, ad celebritatem festi Julii augendam confectum, tum autem haud frangendum, sed per totam hiemem in granario intra frumenti acervum condendum, quo die primam sementem vere facere instituunt, comedendum familiae distribuunt, arcanis quibusdam interdum caerimoniis et oblationibus adjunctis, ad annonam prosperandam: unde *Touſo Reipä*, *panis sementivus*, vocatur.

II. *Köyri*, l. *Kekri*, post trituram. Quod festum multis adhuc locis Finlandiae, hoc nomine celebratur; aliis autem appellatur *Lakaiset* vel *Rundu*. Latine *Palaria* dixeris; quia paleas, cum stipulis et stramentis tunc comminuunt. Papismi tempore, cum festo Omnium Sanctorum in unum coaluisse, supra monuimus (p. 60). Ob annonae autem felicem proventum celebratum fuisse, vel illud indicio est, quod puls ex novo frumento cocta, primum in hoc festo ferculum censetur: quod Savones ex farina avenae (l. hordei), coctae primum ac salitae, deinde vero tostae, *Tasfuna*, praeparant. Computatione et commissatione ludicraque hilaritate, haec peracta fuisse, quivis facile novit, qui rationem festorum apud alios Gentiles, Graecorum Romano-

rumque Bacchanalia et Lupercalia etc. sibi habent perspecta. Cfr. etiam testimonium AGRICOLAE supra allatum.

III. *Vuoden Alkajaiset*, seu festum ineuntis anni, apud Cajanenses; quod ex reliquiis superstitionis priscae adhuc usitatum, describit D:n CASTREEN in Diss. cit. de *Territorio Cajaneburgensi* p. 76 sq.

IV. *Festum S. Olai*; quod, licet Papismi tempore ad hunc praecipue diem translatum sit, ex gentilismo tamen natales repetere, ipsa caerimonia indicat agni illius sacri mactandi et comedendi, quae hoc festo observatur, descripta locis supra (p. 60) a nobis laudatis. Ad fortunandam rem pecuariam, comparatum fuisse videtur; quare etiam a foeniseio hoc die abstinendum fuit, ne ab urso pecora infestarentur.

V. *Festum S. Michælis*; quod multis adhuc locis simili fere solennitate a superstitionis celebratur, agnoque, haedo aut vitulo mactando et comedendo, ritibus iisdem peragitur. Festum fuisse eucharisticum ob feliciter auctam rem pecuariam, dubio caret; quare etiam omne pecus hoc die stabulis continent, variosque stultos ritus, ad mala quaevis per sequentem hyemem ab iis arcenda, observant, qui paternae superstitioni tenacius adhaerent. Dies autem quod hic praecipue delectus sit, quo haec sacra fierent, ex papismo est; quem, familiari majoribus syncretismo, cum avita superstitione in concordiam redigere studebant. In omnibus his epulis eum observant morem, ut victima tota assetur et comedatur, nihil reliqui conservetur, nullum os frangatur: quare communem majoribus sacrificantibus fuisse ritum colligas, nec ad unam magis quam alias caerimoniae et solennitates sacras pertinentem.

An *Templa* habuerint olim Fenni nostri et *Altaria*? hic quoque paucis dispiciendum nobis venit. Vestigia quidem harum rerum nulla supersunt, neque nomen exstat domesticum; neque etiam probabile est, nationem paucis contentam, his omnino opus esse putasse. Diximus supra, ad Orientalium morem accessisse priscorum Fennorum religionem. Inter orientales vero, Persae pluresque aliae gentes

templis caruerunt ¹⁾, ac in montibus, lucis, sub arboribus, etc. diis suis sacrificavere. De Germanis veteribus, ex TACITI testimonio, infra adferendo, idem constat; ac etiam ex testimonio ADAMI BREMENSIS de Saxonibus, ad tempora usque Caroli Magni. Quod de nostratibus non minus valet. Exstant autem hic inde apud nos in summis montium jugis lapides magni, tales tamen, qui virtute humana moveri potuere, in ordinem dispositi, forma plerumque quadrangulari, seu ad modum litterae u latinorum, latere uno aperto. In his existimare quis possit incolas terrae nostrae priscos conventus suos sacros et etiam civiles egisse, atque (quod de *amplicis circulis e lapidibus constructis*, in montibusque paroeciae Tavastensis *Hauho* obviis, populari ibi fama traditur) variis ludis sese exercuisse. Vid. Disp. Spect. D:ni HERKEPAEI de *Paroecia Hauho*, An. 1756 hic Aboae Svetice edita, p. 55. Tales conspiciuntur ad *Bälstaholm* in paroecia Finström Ålandiae, in *Eraepyhä* paroeciae Orihvesi, ad Fulckila paroeciae Uskela, ad *Voipala* paroeciae Säxmäki etc. Item in Savolaxiae paroecia Cuopio (vid. *Novell. Ab. pro A:o* 1771. N. 16 pag. 126), aliisque Finlandiae locis. Convenit mos veterum Britannorum, quorum etiam templa talia fuisse autumant, non clausa, sed aperta, et lapidibus circumsepta; qualia visuntur ad *Stoneheng*, *Abury*, etc. ²⁾. Quod ex templo Jumalae Biarmiorum contra nostram opinionem desumi possit argumentum, supra jam, pag. 47 infirmavimus. Nec effigies aliquas deorum suorum majores nostros formasse aut habuisse, comperimus; (ubi videlicet a naturalibus rebus recesseris, quas aut ut deorum sedes

¹⁾ CICERO *de leg.* L. II. C. X. Magis auctoribus Xerxes inflammasse templa Graeciae dicitur, quod parietibus includerent Deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset et domus.

²⁾ Vocabula nonnulla linguae Anglicae, quae reliquiae esse Britannicae veteris videntur, cum Fennicis convenire, observavimus. Ex. gr. *Cock*, gallus gallinaceus, Fen. *Ūdo*; *Woman* mulier Fen. *Waimo*: quae comparatio institui diligentius poterit, cum novum Lexicon Galicum s. Scotticum ad nostras manus perveneri t.

ac symbola, aut ut ipsas divinitatis alicujus participes, venerabantur); sed ut naturas invisibiles, subinde licet sub humana forma apparentes, coluisse videntur. Adeo ut prorsus ad eos quadrent verba TACITI de veteribus Germanis: *Nec cohibere parietibus deos, neque in ullam humani oris speciem adsimulare, ex magnitudine coelestium arbitrantur. Luco et nemora consécrant, deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident, l. c. C. IX.*

§ XVI.

Flamines quoque Sacros, seu *Mystas*, Deorum cultui peculiariter dicatos, Fenni veteres ignorarunt. Nec est in lingua nostra patria nomen indigenum, quo Sacerdos designetur. Nam *Þappi* vel a Russico *Pop* vel a Latinorum *Papa* ortum habet. Interim tamen adfuerunt alii superstitionis vel Magistri vel Ministri, loco flaminum ab ipsis culti, quos appellabant *Tietäjät* vel *Šndomichet*, hoc est *Scientes* l. *Magos*, qui putabantur plus scire quam alii homines, et Deorum peculiari favore frui. Si quid furto ablatum fuit, si damnum clam acceptum, si aliquid deperditum, si equus, aut aliud animal domesticum aberravit, si commorationem hostis aut amici ignotam rescire e re fuit, si quis exitum propositi sui, vel rei alicujus gravis cognoscere cupiit; ad hos tanquam oracula confugiebatur, qui statim ad ejusmodi quaestiones responsa dabant. Et sane, si ex umbra corpus metiendum, scientiam humana sorte longe superiorem hi profitebantur, nostrique aevi Philosophos omnes longe superasse videri debent.

Hi fuere simul gentis *Medici*; sed a nostris Medicis admodum diversi. Non enim illis opus fuit aegrum videre, aut cum eo loqui; nec morbum, quo laborabat sibi describi volebant. Si aliquid modo vestimentorum aegri, femoralia, tibialia, tunica, indusium, aut tale quid, ipsis tradebatur, id versando, scrutando et intuendo aliquantisper, ipsi mox indicabant morbum, et unde ortum haberet, aut quis eum intulisset, (nam plerique malorum hominum

artibus adscribebantur) et quo remedio curandus esset. Remedia autem eorum raro fuere naturalia, aut quae in pharmacopoliis reperias. Quod ex consiliis colligi potest, quae successores sui hodieque dare petentibus solent. Ex illorum enim praescripto debet aeger vel bibere ex amne versus septentrionem decurrente, et vas quo bibit retrorsum post tergum super humeros suos abjicere, vel ex cadavere hominis aliquid decerpere, vel clam, omnibusque insciis, summo mane, motu solis cursui contrario, circumire templum, aut aedem bis terve loco motam, vel muneribus placare genios subterraneos, quos forte offendisse putant; vel simile quid suscipere. Si interdum remediis naturalibus, unguentis, emplastris, herbis et radicibus utuntur, carmina vel lectiones incantatorias, super iis mussitant, efficaciam iis sic addituri. Si aegrotus queritur se ex his omnibus rebus nullam fuisse opem expertum, culpa conjicitur non in malam diaetam, cibum incommodum, perfrictionem corporis, quae omnia nil nocere putantur; sed inde arcessitur, quod fortem genium adversarium, qui resistat sanationi ejus, vel alium inimicum habeat, vel quod consilium datum rite non sit executus, vel quod acus, bacilli, aliaeque ejusmodi res, quibus est incantatus, non sint locis suis exempti, etc.

Hi impostores simul *Magi* sunt, qui ad opem *socii sui*, mali genii, provocant, multasque malas artes, adhibitis veneficiis, ossibus et craniis humanis, susceptis infanticidiis, aliisque execrabilibus rationibus exercuisse olim, dicuntur; quales apud omnes gentes, etiam eas, quae nullo invicem commercio junctae erant, reperti sunt; quos Lappo jure, *Pärkel Gadse*, hoc est diabolorum commilitones appellare dicitur. Hi inscitiam suam gravi supercilio, vita severa, pauciloquio, murmure incondito, velabant; responsa eorum fuere ambigua et obscura, loquebantur non cohaerentia, quasi ab alio cum ipsis colloquente interpellarentur. In mendo ita se gerebant, quasi malum daemonem ex aegroto ejicere vellent, gestibus horridis, vociferando, exspuendo, furiosorum et fanaticorum instar, ad majorem sibi conciliandam auctoritatem et fidem. Plura de hisce hominibus eo-

rumque carminibus habet *Dn. Praeses* in *Dissertatione de Poësi Fennica* part. IV et V. Atque tales nebulones, ut jam innuimus, reperire adhuc licet hic ibi inter rudem plebeculam; ad quos consulendos, saepe longis proficiscuntur itineribus, et ab his misere decipiuntur. Inter Cingaros et erroneos alios, talium copia invenitur, qui se fingunt vates et fatidicos, hominesque minis suis, nisi bene habentur, terrent. Pudor est Christianismi, in tam clara luce verbi divini, homines eo dementiae procedere ut Deo ejusque verbo et ordine neglecto, ad homines confugiant de quibus nesciunt, utrum atri an albi sint, vel utrum ope Dei an diaboli nintantur. Sed tamen, si quis adminiculis ordinariis et naturalibus fatuos hos juvat, raro gratiam habent. Si vero casu quodam, nam artes eorum nil sunt nisi imposturae, quis a Magis opem expertus fuit, miris in coelum laudibus hi fratres ignorantiae evehuntur, et omnibus artis medicae consultis praeferuntur.

§ XVII.

Jam fines quoque et adminicula quibus superstitiosi ad optata quaevis, Deorum et daemonum opera, consequenda utuntur, considerare nos oportet. Utraque, tam fines nempe quam adminicula horum hominum, naturalem modum supergressa, a norma rectae rationis, nimium quantum aberrant. Communiter autem vel fortunam commodaque sua amicorumve promovere, vel damna inimicis inferre ac ab his illata propulsare, satagunt. *Superstitionis* igitur *practicae* hoc caput in duos abit velut ramos, *magiam* videlicet *beneficam* et *maleficam*. *Beneficam* vocamus illam, qua commoda sua vel Amicorum, praeternaturalibus adjumentis promovere student. *Malefica* autem involvit studium, ad damna aliis his artibus inferenda intentum. Utriusque descriptionem, qualis olim apud Fennos exstitit, dare jam studebimus. *Superstitionis*, *Magiam* *beneficam* respicientis, haec sunt genera.

Primum *Divinatio*, Fennice *Zeidon* feino. Omnes gentes verbo Dei destitutae, salutisque spiritualis et aeternae quae-rendae nesciae, ac temporalia tantum bona curantes, in-

sano ferebantur studio fata sua futura resque abstrusas scrutandi, exitumque coeptorum suorum etc. praenoscendi. Ideo in nationibus cunctis reperti sunt *Vates* et *Oracula*, quorum ope talem scientiam obtineri posse autumabant. Quo nomine etiam Deos suos, eorumque sacerdotes, maxime coluerunt; sc. ut beneficio ipsorum talia cognoscere quirent, quae sibi scitu necessaria esse putarent. Atque haec stultitia adeo altas egit radices, ut nec hodie e Christianismo extirpari plane potuerit. Praecipue vero Fennorum hi scientiae magistri, *Tietäjät*, duobus utebantur divinandi adminiculis. Unum erat *Scyphus* vel *Phiala*, aqua, et nuperiore aevo, vino combusto repleta. Hujus fundo et operculo extus infigebantur duo cultri, quorum ope, ita tamen ut non vertetur, circa axin quasi rotabatur quam citissime, adjuncta mussitatione certorum carminum, donec aqua, vel spiritus frumenti ebulliret, quo facto in spuma evanescente se videre putabant eventus rerum futuros, aegrorum convalescentiam, vel mortem, faciem furis, si de furto quaestio erat, aliaque similia. Ab hac stultitia non multum abludit *Caffeomantia* quorundam hodierna. Alterum erat pars quaedam *vestimentorum* aegri, de cujus morbo consulebatur, indusium, femoralia, tunica aut tale quid; ex quo considerato, Magus de natura morbi, quo vestimenti laborabat possessor, iudicabat.

Pertinent huc etiam *Omina*, *Sortilegia*, atque *Dierum delectus*.

Omina, Fennis *Ilawet*, quasi praesagia rerum futurarum, capiebantur a rebus variis obviis et fortuitis. Aurium tinnitus, novas res auditum iri portendebat; occursum vetulae, offensio pedis contra limen, lapsus ex equo, pro malis ominibus habebantur; Graculorum strepitus, felis clamor, gallorum cantus, titillationes genarum et menti, adventum hospitem significabant. Mortis praesagia varia fuere, crepitus quem in pariete edit *Thermes Pulsatorium*, canum et bubonum ululatus, crux ex straminibus vel frustulis ligneis ante fores jacens. De procis et nuptiis sumebantur praesagia, a glaciei fragmentis vernis, eorumque appulsu ad lit-

tus hujus vel illius pagi, a scopis e fronde nova compositis et in tectum balnei projectis, similibusque frivolis casibus. Imo puellae nupturientes, faciem proci futuri se viuras putabant, in rivo manante, si nocte festum Johannis Baptistae antecedente, omnibus insciis, attente illum inspicerent. Plures tales nugas piget narrare.

Sortilegia exstantiora, Fennis ἄρπα, duplicis generis in usu fuere. Unum per *Cribrum*, quod quidam hoc modo instituunt. Forficem, qua tondentur oves, infigunt margini cribri, cujus interiori ac inferiori simul parti imponitur annulus copulatorius, et penicillus setaceus (Borste) erectus; quo facto, unus immittit digitum indicem in manubrium forficis, et manu exporrecta sustinent hanc molem. Consultor deinde, qui vult rescire auctorem damni sibi illati, sive ille sit fur, sive incendiarius, sive homicida, sive alius sceleris auctor, enumerat omnes, quos maleficii hujus habet suspectos. Si inciderit in nocentem, cribrum se sponte scil. convertet, sicque eum indicabit. Alio vero modo alii hoc experimentum instituunt, sic: Sumitur forfex sartorius et infigitur margini exteriori cribri, continentis glomum laneum, forficem ovinam, setam, annulum copulatorium, et librum psalmodiarum; dein duo ex adverso, immisso in manubrium forficis digito indice, suspensum tenent cribrum perpendiculariter. Dum alteruter, vel tertius quis, nominat aliquem maleficii suspectum ejus de quo quaeritur, alter ei contradicit, negando eum patrasse: cum sic pluribus conjectando numeratis, inciditur in noxium, cribrum conversione sua quaestionem decidet; quo facto, non dubitant quin ille sit maleficii auctor, ad cujus nomen cribrum se vertit. Sed non modo de maleficiis sic sorte inquirunt, verum de aliis quoque rebus occultis, de conjugio aut itinere, an prosperum sit futurum, de equo vel bove deperdito, ubi inveniri queat, an erraverit, vel furto ablatum sit, aliisque rebus scitu necessariis. Cfr. de hacce κοβινομαντεία MOMAN l. c. p. 55 sq. et WIERUS de Praest. Daemon. L. II, C. XII.

Alterum genus *sortilegii* nostris usitatum, tale fuit. Ex Assulis ligneis cultro elaboratis, conficiebant pinnulas plu-

res, quibus insculpebant singulis suum signum vel characterem peculiarem; dein mussitabant carmen consuetum; quo finito ex signo quod tum relinquebatur in manu, conjectabant, utrum felix futura esset venatio, aut piscatura, ubi reperiendum foret animal deperditum etc. Haud absimile instrumentum fuit *Tympanum* Lapponum *divinatorium*, quod varios habuit characteres et annulos, ex quibus judicabant utrum consultum foret ire venatum, piscatum, vel aliud quodcumque opus incipere? Eadem certitudine hujusmodi oracula respondebant, ac *liber tessellarius*, vulgo *Kästbofen*, quem superstitiosi adhuc manibus, aut ludicro aut impio ausu, versant.

Dierum delectui non secus Fenni veteres tam in ethnicismo quam papismo, ac aliae gentes dediti fuerunt. Habebant suos dies fastos et nefastos. Hi atro carbone notabantur, tamquam infausti ad certa negotia peragenda, ipsis *Katchen päiwät*, hoc est *dies invidi* dicti. Tales erant *Tyhjät päiwät*, hoc est *dies vacui*, scilicet cum luna non conspiceretur, quales sunt ultimi lunae decrescentis et primi accrescentis. His seminare vel agrum stercorare, non erat faustum. *Kuimat päiwät*, *dies aridi*, sunt quartus, quintus et sextus lunae accrescentis, qui agricolis non adeo probati. *Tuulen päiwä*, *dies venti*, est secundus Januarii, quo non licebat ignem accendere, vel focum struere, metu incendii proxima aestate orituri. *Dies lunae* non putabatur nuptiis celebrandis idoneus; nec *Dies Jovis*, praecipue sub vespere, commodus ad nendum; unde scil. periculum ovibus timendum erat.

§ XVIII.

Secunda species magiae beneficae est *Averruncatio* et *Obfirmatio*, Fennis *lumous*. Persvadebant enim sibi magi, sese obdurare semet artibus suis posse, adversus damna et mala ab aliis intentata, eademque valere a se suisque averruncare et avertere. Sic carminibus *Corpus* suum *invulnerabile reddere* conabantur, ac adversus tela quaecumque te-

ctum. Cujus generis exemplum, carmen in suo genere sane eximium adferre possemus, ni paginarum angustia prohiberet. Adversus veneficia et magicas artes aliorum, chalybe, sulphure, (et recentius assa foetida), nec non induendis indusio et tibialibus inversis, sese muniebant. Si turbo ipsis occurrebat, conspuebant in illum, existimantes lamiam vel malum genium inesse. *Pecora* sua firmabant adversus insultus ferarum, et carminibus et variis unctionibus; praecipue adipe eadem phocarum unguendo, simul hos versus canentes:

Riveri minun omani,

In lapides convertimini meae propriae
(sc. pecudes),

Ralliogi kaunoiseni;

In petram pulchellulae;

Riellän fiellin kostemafta,

Prohibeo vos lingua adoriendas,

Surutoin rupeamafta. h. e.

Oreque secure tangendas.

Domos suas, ab igne conservabant lapide fulminali, et cruce, calce parieti extus ex adverso foci, adpicta. *Plaustra* et *Vecturas* tutas a furibus praestare studebant cranio et ossibus humanis in fundo rhedae occultatis. *In foro* feliciter litigare censebantur, qui portabant lapillos rotundos, quos corvinos, serpentinos vel aquilinos vocant, alicubi in vestibus reconditos. Talis legisperitus invincibilis appellari adhuc solet *Sain lumoja*, h. e. Legis vel iudicii *sopitor* l. *hebetator*.

Referri huc etiam debent *Adjurationes* animalium et elementorum noxiorum, *Ablegationes* malorum, *Praemunitio-*nes et *Retorsiones* pravarum artium in suos auctores, nec non *Restitutiones* laesorum in integrum.

Adjuratione sua adhuc tentant superstitiosi, ut olim, cohibere vim elementorum, ne damnum inferant; ut ignem, ne serpat longius, ventos, ne vehementi flatu perdant navigantes, etc. Visi quoque sunt, qui ignitis carbonibus versus boream projectis, additis diris, ejus vim compescere conarentur. Animalia quoque noxia adjurant ne noceant. Sic *Mures* obsecrant, ne strues sylvestres segetis demessae (*Sädesstäckar*) nimium rodant; collocato in medio earum lapide, sic eos alloquentes.

| | |
|---------------------------|-----------------------------------|
| Täſ on paafi, pitkähändä, | Hic habes lapidem, caudate, |
| Suurureri sulle suotu, | Concessum tibi jentaculo, |
| Murfinari mufamari! | Prandio quale vides! |
| Pure tuota pannahainen, | Morde eum nebulo, |
| Kalwa tätä finnahainen; | Rode eum exose; |
| Täſä pitkäſä ijaſä, | Per hoc aevum longum, |
| Minun päiväfunnifani, | Cunctis meis diebus, |
| Älä lajo Numahani! | Ne acervum (segetis) meum tangas! |

Phalaena Tinea, Dermestes etc. insecta sunt oeconomicis molesta, quia larvae suae vestes et carnes corrumpunt; adversus has habent Roin Sanat, hoc est *verba Tineae*, quibus noxam inde metuendam tollere se posse, autumant. Talia vero sunt, interpolata recentius, ut cuique facile patet:

| | |
|-----------------------------|----------------------------|
| Jesüs kävi tietä myöden; | Jesus viam calcavit; |
| Tuli händä koi waſtan. | Occurrit ipsi tinea. |
| Jesüs sano i koiſe kowasti: | Jesus tineae severe dixit: |
| Mihingäs menet matoinen? | Quorsum tendis vermicule? |
| Menen tuonne luuta ſyömään, | Vado illuc, ossa rosum, |
| Rihaa menen määdättämään. | Vado carnem putrefactum, |
| Mene tuonne kiwen alla, | Ito illuc sub lapidem, |
| Kidu ſellä finnahainen, | Cruciare ibi nequam, |
| Paru ſellä pannahainen, | Plora ibi nebulo, |
| Täſä pitkäſä ijaſä, | Hoc aevo longo, |
| Minun päiväfunnifani! h. e. | Cunctis meis diebus! |

Ablegatione conantur ursos, morbos, et mala alia longe a se amicisque amovere et exulatum mittere. Et *Ursae* quidem ejusmodi consilium dant:

| | |
|-------------------------------|---|
| Megän kulda, megän kaunis, | Sylvae deliciae, sylvae decus, |
| Megän ehtiä emändä, | Sylvae domina nobilis, |
| Mene poisjes täälä maalda, | Abi ex hac terra, |
| Pohjan pienderen petään! | Ad boreae ultimas oras! |
| Siell' on hieta hieputares; | Ibi est arena ubi ludas, |
| Sända kaunis kaaputares; | Sabulum laetum in quo volvaris; |
| ſawerra tuolla hywiſäs, | Mande ibi laetus, |
| ſawerra haawan lehtifä, | Mande populi folia, |
| Murtele muuciais pefä, | Destrue formicarum nidos (acervos), |
| Kieri kiwen läätiföifä, | Lapidum cavis te voluta. |
| Mutta jos tulet tälle maalle. | Sed si ad hanc terram accedis, |
| Wajot ſuohon ſuolivyöſtä, | Mergeris in stagnum usque ad cingulum (mediam corporis partem). |
| Alhoon niſiftä ſaada, h. e. | In paludem usque ad mamillas. |

Aliud ejusdem tenoris ad *Ursum Mare*m, sic audit:

| | |
|---|--|
| Mehän kullainen kuningas, | Sylvae eximie rex, |
| Mehän ehtanen isändä, | Sylvae domine nobilis, |
| Mehtoiseni halliparta! | Sylvicola hirta-barba venerande! |
| Käys mun kierten kalliojani, | Ambito meas rupes, |
| Kaarten karjan laitumita, | Circuito mea pascua, |
| Simuge siko weräjän! | Praeterito suum vias! |
| Mene tuonne, kunga käffen, | Abi illuc, quorsum jubeo, |
| Pohjan penderen perään, | Ad boreae cardines, |
| Lapin maahan autiohon! | In Lapponiam desertam! |
| Siell' on kedot juostaresti, | Ibi sunt campi quos percurras, |
| Sannat helkyteleresti, | Arenae in quibus ludas, |
| Siell' on luutoinda lihaa, | Ibi est caro ossibus vacua, |
| Siell' on päätoinda kalaa, | Ibi sunt pisces capite carentes, (h. e. toti edules). |
| Siell' on ämmä ¹⁾ hirtettyinä, | Ibi est vetula suspensa (in patibulo), |
| Siell' on hirvet fytkettyinä, | Ibi sunt alces numella ligatae, |
| Salpeurat ²⁾ jatkettuna. | Ibi cervi-nobiles conjugati. |

Morbos quoque procul amandare volunt hujusmodi carmine:

| | |
|-----------------------------|---|
| Kunneka panen pahoja? | Quorsum removeo mala? |
| Tuonne tungen pois turmiot, | Illuc trudo noxas, |
| Siki syöpähän fysään, | Sudoris voratorem (tortorem, qui sudorem anxio exprimit), impello |
| Rutian kosteen lowahan, | In cataractam Rutiensem magnam ³⁾ , |
| Sauvin suuren hartioille, | In lucii magni humeros, |
| Lohen pyrstöhön punaisen. | In salmonis rubram caudam. |
| Meneköös sinne sekahan? | Anne vadis illuc, ad caeterorum tur- bam? |

¹⁾ In hoc vocabulo vitium inesse, facile existimare licet; pro quo autem alio irrepserit, prae exemplarium penuria, hoc carmen exhibentium, indicare nondum valemus.

²⁾ Hac voce, Salpeura, quasi *cervus-egregius* (l. *strenuus*), absurde admodum uti olim instituerunt Bibliorum interpretes etc. ad *Leonem* significandum; quem *Lejona* dicere debuissent, ac animal peregrinum peregrina voce, aliarum gentium Europaearum more, commode designare. Hoc loco Leonem non posse indicari, res ipsa sole clarius meridiano docet.

³⁾ In quo fluvio hanc cataractam esse autument, non liquet; sed in Runis saepe ejus fit mentio, ut et quarundam aliarum, nec non *Lacus*, *Moen Särwi*: de quibus non vacat disputare.

| | |
|--------------------------------|--------------------------------|
| Luoll' on muuttin murhamiehet; | Ibi sunt alii etiam homicidae: |
| Miehen syöpähän kylään, | In pagum anthropophagorum, |
| Lapin maahan lauliaseen, | In Lapponiam spatiosam, |
| Pohjan pittäähän perään. h. e. | Ad ultimos aquilonis angulos. |

Cfr. supra p. 49 sqq. allata.

Tympanites morbus est gravis, homines, equos et pecora non raro invadens, Åhfy l. Åhå, Fennis dictus. Hunc curaturi, in tria animalia, ter repetitis mandatis, abire eum jubent; hoc modo, in canem mittendo:

| | |
|-------------------------------|-------------------------------|
| Ålä Åhå ällertele, | Noli tympanites tumultuari, |
| Ålä puhka pullertele; | Noli inflatio murmurare; |
| Koira meille kazi kannoi, | Canis nobis duos peperit, |
| Koiraret pojat molemmat: | Masculos catulos ambo: |
| Syö näiden sydän-neri, | Hauri horum cordis sanguinem, |
| Matele niiden maan päälle, | Repta super eorum hepar, |
| Ålä minun armaani kajo. h. e. | Noli dilectum meum infestare. |

Dein pari modo in felem et lupum mittere nituntur. Imo dolorem partus a puerperis similiter auferre, et vel viris, vel animalibus etiam aliis immittere se posse, sibi persuadent.

*Praemunitio*ne caveri a se censebant posse insidias et conamina malorum hominum, qui artibus magicis ipsos laedere attentarent. Quod variis modis fiebat: signo crucis, tibialium inversione, nodorum quorundam formatione, donis et sacrificiis; et sic porro.

Retorsione existimabant se liberari ab illis damnis et malis, quae inimicus aliquis ipsis intulit. Hinc in eorum capita et sinum retorquere nituntur, artis hujus magistri, ab illis accepta; unde certamen oritur inter ipsos, uter altero superior evadat. Sic *glomos ferales*, Fennis Tyrät, putant vulgo, ultro citroque mitti posse ab illis, qui scientiae magicae sint consulti. Ursum excitatum, etiam retro missuros se pollicentur in armenta alterius. Etc.

Restitutione laesorum in integrum, Fennis *Palatus*, nitentur magi damna data resarcire, laesaque et amissa in pristinum illaesum statum revocare. Credebant unum posse resarcire id, quod alter laesit. Cogebant furem ablata red-

dere. Si incantationibus, alicujus bombardae, multrale, nassa, aliudve utensile erat depravatum, putabant similibus artibus restitui posse; non superstitiosis minus ac frivolis, quam ipsum malum avertendum. Atque vulgus adhuc putat Hypocausta ad segetes torrendas comparata (Nior) magicis artibus corrumpi adeo posse, ut per trituram frumenti parum aut nihil inde obtineant, licet messe compleatur. Tale damnum reparatur, si ramos abietis, torrendos in hujusmodi hypocausto colloces, instar frugum, et dein, more solito triturares; tunc scilicet recuperabit domus pristinam integritatem. Si uxoris animus a marito est incantamentis abalienatus, amare eum rursus incipiet, si hic ex calceo ejus aquam rivi manantis bibat, et istum retrorsum super humeros abjiciat. Atque similes ineptiae plures.

§ XIX.

Tertia species magiae beneficae est *Fortunae Captatio*, Fennis Onnen tuominen. Superstitiosi homines, nunc ut olim, fortunam sibi faventem reddi posse artibus reconditis autumant, quibus multum igitur tribuunt. Sic fortunam aliorum ad se transferre student, ex ovili, bovili, stabulo et omni re pecuaria illorum, ut sibi melius succedat butyri praeparatio, ut lactis copia ac pecoris foecunditate augeantur, et sic porro. Consequi autem haec miris nituntur modis. Quidam tempore quadragesimali aliorum stabula et ovilia clam visitant, caudas equorum et jubar praecidunt, ovium certas partes tondent, boves radunt, vaccas ad sanguinem usque mulgent, cornua et lituos inflant mane Paschatos, qui sonus quam late auditur, ex tam amplo regionis tractu putant ad se omnem fortunam lactis, butyri etc. obtinendi, converti. Serpentes (Colub. natr.) qui in sterquiliniis nidulantur, ut et homunculos subterraneos venerantur, lac et butyrum ipsis apponentes; multaue ejus generis alia, quae ex reliquiis paganismi et papismi hic ibi supersunt adhuc apud plebem. Longa est enarrata fabula, quas artes, et quae carmina, vetulae et muliereulae adhibeant, dum

primo vere pecudes in pascua primum emittunt, ut sc. immunes maneant a feris, ne errent et dissipentur, ut domum vespere redeant, ut vaccae taurum admittant, ut vituli et agni laeto successu crescant ac multiplicentur, ut sagae et lamiae earumque artes averruncentur. Nescio quis etiam *Spiritus familiaris* recentiori aevo nostris innotuit, (quod nomen nec rite enuntiare valent Fenni, sed appellant eum *Þiriths*), qui putatur afferre amicis suis divitias, pecuniam, aliaque bona, quem possidere multos ex ditioribus plebecula existimat. Verbo, nil negotii gravioris nominari potest, quod vacet superstitionibus, successum ejus promovendum spectantibus. Conjugium praecipue, cerevisiae et saponis smegmatisque coctio, pistura, piscatura, aliaque domestica munia, bene cedere haud putantur, nisi observatis observandis, certis videlicet anicularum commentis. Nullus nominari potest artifex vulgaris, qui suis olim careret ineptiis; sartor, sutor, faber, molitor, pistor, certis omnes ritibus domesticis sua peragebant munia. Castratorum praecipue, et eorum qui medicinae alicujus speciem profiterentur, carmina existunt et lectiones bene multae. Quin superstitio et magia prisca temporibus ipsa elementa et leges naturae ad sua obsequia cogere nitebatur, ac velut miracula edere; ad quae ignorantia et hominum credulitas stupebat. Existimabant nempe, magos, lapidi insidentes velut Scaphae, posse flumina et lacus transire, animam ipsorum carminibus et exsultatione, corpore solutam, posse proficisci ad exteras regiones, et intra aliquot horarum spatium inde afferre notitiam rerum, quae ibi agerentur; posse ipsos ex nodis antea adstrictis, solvere ventos secundos vel adversos, mitiores vel vehementiores; pares esse pluviis et tonitribus excitandis, imo lunae coelo auferendae; valere homines convertere in lupos, ac canes; et sic porro. Non secus ac illa de qua VIRGILIUS canit Libr. IV. *Aeneid.* v. 487 sqq.

Haec se carminibus promittit solvere mentes

Quas velit, ast aliis duras immittere curas;

Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro,

Nocturnosque ciet manes; mugire videbis
Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.

§ XX.

Sed *malefica* quoque superstitio et magia veterum Fennorum, qua nocere conabantur illis, quibus male cupiebant, nobis erit paucis consideranda. Genera ejus constituimus sequentia.

I. Primum est *Fascinatio* vel *Praestigiae*, Fennis Silmäin fääändäminen, hoc est *oculorum conversio* s. *delusio*. Instituunt enim malefici, suis incantamentis aliorum hominum sensus omnes, tam internos, quam externos, facultatesque cunctas corporis ac animi, adeo perturbare, ut non sint sui compotes, sed ut audiant, videant, sentiant ea, quibus prorsus fallantur, vel semet ipsos laedant.

Oculos praesertim variis praestigiis deludere volunt: ut ex. gr. baculum pro serpente, stramen pro trunco, folia pro nummo, sterco pro pane, hominem pro lupo vel cane habeant, et sic porro. Formas assumere se posse, hi olim dictitabant canum, catorum etc.; imo alios etiam transformare in lupos, ursos, et quae non?

Aures ita vel surditate afficere tentant, ut non audiat alter, quae sanas aures latere nequeant, vel adeo corrumpere, ut alia audiat, quam quae contingant, aut ea, quae nemo sanus audire potest, ex. gr. sermones et sonos musicos, ubi nulli sunt etc.

Linguae reddere conantur mutam, ut homo fari non possit, vel eam confundere, ut praeter rem loquatur falsa, absurda, et insana. *Phantasiam* turbare adeo nituntur, ut helluari et choreas ducere se alter stulte putet, cum sociis varii generis, qui non adsint, imo duci ad Blåfussa, (Hiiteen) vel locos et montes alios nefarios, ibique convivari cum patre inferorum ipso, vel his atque illis sagis, cum illis loqui, venerem exercere, et similia.

Imo *Mente* prorsus alienare alium instituunt, et efficere eum maniacum, vel phreneticum. *Facultatem libere sese mo-*

vendi constringere, vel plane auferre student: ut ex. gr. fur non possit abire cum rebus surreptis, vel ut cogatur mox ea restituere, nec a sarcina se expedire queat, nisi a possessore liberetur; ut intrans alterius novale rapis consitum, vel hortum, inde exire nequeat nisi dimittatur; quod opera cranii humani alicubi defossi, peragi ferunt.

Affectus omnes ciere posse pro lubitu, iidem existimantur, odia et inimicitias gignere, terrores incutere, amicitias conciliare, animos iratos lenire etc. In rebus matrimonialibus hujusmodi conatus triti sunt, quos referre piget. At non modo homines sic fascinari creduntur, sed alia quoque animalia: ut *Serpentes*, ne loco cedant, sed capi vel occidi se patiantur; *Mures* ne rodant; *Cimices*, ut super filum rubrum extensum domo exeant. *Feras* et speciatim *Ursos* in aliorum armenta immittere fascinationibus suis se valere, gloriantur. Quorsum sequens cantilena, auditu quidem horrenda, at effectum nugax, spectat:

Nouse Karhu kangahasta,

Siedasta hevoisen syöjä,

Wiidasta wihainen tija.

Korwesta kovera koura,

Karwahasta halmehista,

Mullikoita murtamahan,

Wastikoita wainomahan,

Hevoista haastamahan,

Karjan lauma kaatamahan. h. e.

Surge Urse ex campis arenosis,

Ex sabulosis desertis, equi esor,

Ex fruteto, iracunde felis,

Ex eremo, curvis unguibus inclyte,

Ex virgultis, hirsute,

Ad opprimendos juvencos,

Ad vitulos persequendos,

Ad equos devorandos,

Ad armenta prosternenda etc.

II. *Veneficia*, noxae, laesiones et corruptelae variae, Fenn. Noitumus, sensu angustiore. Nam adeo immanes erant homines, suntque adhuc, ut artibus nefariis aliorum vitae, saluti et fortunis insidientur, nullumque adminiculum, finem tam sceleratum attingendi, modo clam et tuto fieri possit, turpe putent. *Vita*, qua nil homini carius, exposita erat venenatis eorum telis et artificiiis, vel lentis vel citis. Fennis praecipue ad eum finem inserviebat *Thrä*; quod malum describunt ut glomum, tam intenso dolore interiora cruciantem, ut mors certa sequatur. Hunc igitur in inimicos suos immittere conabantur. *Morbis* etiam illos vexare et plagis

aliis insanabilibus afficere se posse, jactabant; ut fieret hostis vel mente motus, vel melancholicus, vel paralyticus, vel caecus, claudus etc. Imo omnes morbos, ex malorum hominum technis oriri plerumque putabant, quos remediis similibus, tamquam antidotis, rectissime curari autumabant. *Conjugium* quoque alterius turbare et infelix reddere animo agitabant, illudque efficere vel sterile, vel liberis stolidis infaustum, vel rixosum, vel alio quocunque modo inauspicatum. Quin *mores* inimici depravare studebant, et ita eum incantare, ut fieret vel fur, vel latro, vel adulter, vel bibax, vel prodigus, vel alio modo vitiosus. Ut taceam innumera tentamina, quibus perdere aliorum bona et possessiones nitentantur, rem praecipue pecuariam aggredientes, ne abundantia prole augetur, ne vituli essent vivaces, ac multum laborantes ut scabie et pediculis scaterent, ut nullo successu fruerentur, ut errabundi inciderent in pericula et feras, ut stabulum et bovine semper infortunio esset affectum etc. Tentabant etiam corrumpere varia utensilia, ut bombardam ne scopum feriret, neque feras vel aves necaret; vas butyro coagulando confectum, ut butyro materfamilias frustraretur; nassas et retia, ut pisces illa vitarent; horreum siccandis et tritrandis segetibus destinatum, ne copiam frumenti ederet. Imo nil erat negotiorum domesticorum, quod a malis hominibus, eorumque sinisteris oculis, periculo carere existimabant.

Quare sollicite cavebant, ne quis suspectus aut ignotus homuncio praesens esset, talia peragentibus. Si vero forte interveniebat, exeuntem cineribus ignitis prosequerentur, ne scilicet quid nocementi ab ejus malitia remaneret.

III. *Dirae et Exsecrationes*; Fennice dixeris *Puffut*, *Sirouret*, quibus hosti vel inimico suo, cui male volebant, plenis faucibus mala imprecabantur, ipsisque et omnibus ejus cognatis et peculiis dira quaevis optabant. Certis caerimoniis et verborum formulis, imo adjunctis adminiculis nefariis, haec peragebantur; ita ut vividissimo, simulque intensissimo, quo unquam possent affectu malum alii velut intrudere et agglutinare velle viderentur. Haec nostris qui-

dem majoribus imputare ex domesticis testimoniis non possumus; sed illis Fennis de quibus monumenta litteraria Islandorum commemorant, familiaria fuisse, horum fide novimus. Plerumque conjunctae erant cum Gothorum sic dicto *Scidur*, seu *coctione*; quo pacto *STURLONIDES Huldam*, veneficam Fennicam, Vanlando regi Svecorum vitam ademisse narrat; ipsum hominem saga talis, quasi coxit, et carminibus diris devovit, simul calcando simulacrum ejus, nunc super caput, nunc super pedes. Ete.

§ XXI.

Sed satis de his nequissimis moliminibus; quorum ut nonnisi umbra historica remaneret, optamus. Jam ad noctis hujus qualemcunque, oriente luce Christianismi, dispulsionem et commutationem spectandam, nos accingimus. Alata videlicet ad hunc mundi cardinem religione Christiana, spissae tamen adeo tenebrae, cito dispelli non potuere. Idololatriae quidem et superstitionis crassioris magna pars pedetentim abolita fuit, cum ad agnitionem veri Dei et Servatoris nostri, gens nostra sensim perduceretur; sed quia bonum illud semen verbi Dei, quod hic serebant praecones primi, innumeris erat traditionibus humanis mixtum et contaminatum, hinc non poterat, initio praesertim, fructum ferre exoptatum ac satis locupletem. Nam quia religio Christiana, qualis tunc fuit, papisticis ipsa superstitionibus scatebat, facile oriebatur, id quod jam significavimus, in gente rudi, mixtura utriusque mirifica; et veteres Dii una cum Christo et Maria aliisque sanctis invocabantur. Virgini Mariae divinitatem quandam revera fuisse tributam, vel hi versus docent e carmine desumpti, quo illam, ut puerperis opitularetur, invocabant:

Keiäyt Maria emoinen,

Sin' olet wanhin waimoria,

Elähtä ensinmäinen x.

Virgo Maria mater,

Tu es mulierum (omnium) aetate pro-
vectissima,

Viventium prima.

Quare nec mirum, ejus potentiae beneficae adscripsisse, quod Lunae et Soli laborantibus (eclipsis tempore cfr. supra p-

77) succurreret. Ita nempe eam invocant non uno carmine: *Sinä kuin kuun kehästä päästit, Päästit päivän irrallehen, Mäitetäs minua päästä r. h. e. Tu qui lunam liberasti ex halonis potestate, Qui solem in libertatem vindicasti, Cur non me liberas (a malo)?* Ad superiora turpis hujus syncretismi exempla, addere sequens placet carminis, quo utebantur, cum quis in foro culpa se exsolvere necesse haberet, ferri candentis portatione; opem implorari hic videas et Christi Servatoris, et *Louhi*, Deae frigoris, quam uxorem Boreae habitam fuisse, probabile supra p. 71 diximus.

Louhi pohjalan emändä,
 Bedeppä wetinen lumme,
 Kahden puolen kämmendäni,
 Tulen tuikei polttamata,
 Balkian warastamata.
 En liiku omihin lihoiin,
 Liikun JEsuren lihoilla;
 En wärwit omin wäin,
 Wärwit JEsuren wäellä;
 Tulen tuikei polttamata,
 Balkian warastamata.

Louhi borealis sedis domina,
 Induc aqueum tegmen,
 Ex utraque parte palmae meae,
 Ne ignis perurat,
 Ne flamma laedat.
 Non incedo in mea carne,
 Incedo in carne JEsu;
 Non potentia propria moveor,
 Moveor potentia JEsu;
 Ne ignis perurat,
 Ne flamma laedat.

Ac ubi veteres superstitiones abolebantur, novae haud raro iis succedebant, non meliores, praesertim benefici generis; ac ex maligno etiam, fascinationes quaedam et exsecrationes. Dierum vel faustorum vel infaustorum numerus augebatur. Morbi jam curabantur in nomine virginis Mariae et sanctorum. Ejusmodi carmina, quae ad hos dirigebantur, non superstitiosis, sed sacris, annumerabantur; licet cum abusu nominis divini profano, usus eorum semper conjunctus esset. Ceu patet ex sequenti lectione, quam adhibebant castratores animalium:

Puuskulla puhtailta,
 Herran hengellä hyväällä!

Artibus mundis,
 Cum Domini bono spiritu!

Est exordium. At peracta incisione ait operator:

Suo wettä Jordaniista,
 Reiksen Marian pesintwettä;

Bibe aquam ex Jordane,
 Ex aqua quae virgini Mariae lationi inservit,

Ulmõs wiſmoille wirune,
 Ulmõs wammoille walene,
 Ulfoa tai ſiſäbä,
 Jesuren hengen kaudoſba! h. e.

Ne pustulas contrahas,
 Ne ulcera excitentur,
 Neque extus neque intus,
 Propter spiritum Jesu!

Reliquiae sanctorum, claves templorum, vestes monachorum, imo ipsa sancta sacramenta, ad superstitiosos usus adhibebantur. Exorcistae novi generis oriebantur, qui diabolum, ut morborum caussam, ex hominibus, animalibus imo rebus inanimatis, utpote aqua, sale, lacte etc. ejicere, magno sc. ausu, nitebantur. Carmina, et superstitiones quae supersunt, maximam partem ejus aevi, earumque opinionum ostentant vestigia. Cruce omnia notabant, benedicebant et maledicebant, diris devovebant, anathemate feriebant, divinabant, lectitabant, sufflabant, pluribusque ejusmodi officiiis homines fallebant; quibus rebus nil aliud suberat, (parva excepta Christianismi scintilla, ex qua tamen benigne nobis lucem Evangelii Deus tandem excitavit), quam vana superstitio.

§ XXII.

Jam ad describenda adminicula, quibus magi aliique superstitiosi homines, ad fines suos pervenire, et effectus ejusmodi mirabiles, atque ex mente eorum naturae viribus superiores, praestare sategebant, progredi, ordinis nos ratio jubet. Arcana autem magiae malesanae pandere studens, fateor artis futilis non minus quam nefariae plenam descriptionem me dare haud posse, (quam, qui mysteriis ejus initiati sunt, studiosissime occultant); ea tamen quae rescire potui exhibebo, quod ad stultitiam et impietatem ejus demonstrandam, nihil aequae efficax esse putem, quam si deliria haec retegantur, quae mysterii specie qua teguntur, in hominibus rudibus infelicem curiositatem, metum, vel confidentiam majorem, excitant. Nihil princeps tenebrarum molestius fert, quam si in lucem producat, artesque et opera sua in apricum collocentur; in tenebris est magnus, et quamdiu noctem inducere conatibus suis valet, tamdiu hic praestigiator mirabilia monstrat. Sed si vela-

men, quo technas suas celat, auferre licet, mox patet infirmitas ejus, quantus sit ardelio, quamque absurdis strophis homines fallere studeat. Magiae autem hujusce adyta explorare et difficile est, ut significavimus, quia raro aut vix unquam magi et sagae ad sinceram suorum conaminum confessionem perduci queunt, et paucissimi tentarunt, partim prae hujus artis abominatione, partim metu, ne ipsi vel his laqueis irretirentur, vel in suspicionem aliorum, tanquam studio nefariae hujus scientiae dediti, aut peritia ejus valentes inciderent: qualis suspicio, olim imprimis, et facile nascebatur, et periculosissima sane erat. Quare nec ipsi plene omnia ejus mysteria jam noverunt, qui artis hujus se magistros profitentur: quorum tamen alius alio est peritior. Praecipua autem adjumenta, quibus sic dicti magi utuntur, et quorum ad nos pervenit notitia, haec esse feruntur:

I. Characteres Magici; qui sunt litterae, numeri, aut alia signa, quibus virtutem singularem, vel ad mala infligenda, vel ad bona procuranda, inesse putant. Compertum tamen non est, an Fennis nostris ejusmodi characteres usitati olim fuerint? qui videlicet scriptura omni, antiquitus caruerunt. Quod tympanum etiam Lapponum attinet, et characteres in eo signatos, lusorii illi, et sortilegi potius fuisse quam magici videntur.

II. Vocabula et sententiae breviores, quibus morbis imponere, ut abeant, vel serpentes fascinare, vel simile quid se praestare posse putant. Sanat (verba) audiunt tales, et censentur esse maximi valoris. Quales hae sunt Madon sanat, *verba serpentis*, vel *contra serpentem*, quibus serpentes sisti ajunt ne possit aufugere; Maa pidä matoa, Pjyhä Hengi perfelettä, *Terra tene serpentem*, *Spiritus Sancte diabolum*. Niskan sanat, h. e. *verba singultus*, hujus formae:

Niäa meni niinehen,

Minä niinen kändajäri;

Niäa meni tuulehen,

Minä tuulen kändajäri.

Singultus abiit in liliam,

Ego (factus sum) liliae portator;

Singultus abiit in ventum,

Ego (factus sum) venti portator.

Ööhljn sanat, seu *verba vaporis calidi*, qualis in balneo solet esse, quibus vulneribus saepe nocet, et inflammationem excitat:

Terwe, terwe löyhyseni!
Ei löyhjn löytämistä,
Ei wetoisen weskomista;]
Dma löyhj, wierasä kipu.

Salve, salve vapor (calide)
Nil est, vapor, quod hic invenias,
Nil spasme, quod tibi debeatur;
Proprius est mihi vapor, dolor peregrinus.

III. *Carmina*, nostratibus, sicut plerisque aliis populis, in arte magica maxime usitata. Hinc *Circe* apud OVIDIUM de se canit:

Et ego cum Dea sim, nitidi cum filia solis,

*Carmin*e, quae tantum, tantum quae gramine possim.

Carmina ejusmodi magica, Svecis audierunt Gaffrar, ac olim Gafbur, qualia Odinus ille Asiaticus calluisse dicitur, et bacillis vel assulis insculpebantur, atque in personam incantandam projiciebantur. Cfr. Illustr. SUHM de *Odino* Lib. 4 C. 2 § 12 p. 353. Fennis appellantur *Lugut*, seu *lectiones*, quae non canendo, nec alta voce enunciant, sed musitando, magna devotione, et nudato capite efferunt, praesertim Christianismum redolentes, in quibus mentio fit vel Christi, vel virginis Mariae, aliorumve sanctorum. Contenta horum carminum, praecipue medicorum, sunt vel *expostulatio* cum re nociva e. gr. ferro, cur laeserit, cur talia ausus sit facere. Ex. gr.

A miris wesiwit wesiä?
A miris pahoja teit?

Cur fratrem tuum cruentasti?
Cur male fecisti?

Vel *comminatio* non impune laturam facinus, vel *exprobratio* foedae et notae originis, seu natalium; vel *jactantia de medela*, quae sit in promptu et bene cognita. Ex. gr. dum morsum serpentis curare volunt, hos versus legunt:

Mato musta maan alainen,
Kiperä kiven alainen;
Läpi puitten puettele,
Läpi mättästen menettele!
Suulit puuta purrehensa,

Coluber nigre subterraneae,
Flexuose sub lapide jacens,
Per arbores serpe,
Per tuberosa reptita!
Putasti te momordisse arborem,

Pajun juurta pannehesä.
 Että ihe pahoin teit,
 Vielä poisas pahemmin teke.
 Paremmiin tiettyä parannat.
 Kyllä minä sufus tiedän:
 Hollakon koosta foottu,
 Saatu sammakon kuuusa;
 Hiitolaisen hiuskarwa,
 Pannehesä partakarwa.

Jmbi wirran wiertehesä,

Kanna mättästä mättähästä,
 Tuki reikä tarpeheri.
 Jesusen veri punainen,
 Marian mafia maito,
 Kipehelle woiteheri,
 Saawalle parannuheri,
 Eijälästä fiwuttomari,
 Alba aiwan terweheri h. e.

Vel describitur in illis medicina, et optatur bonus successus; quocirca abusus nominis Divini, et mentio divorum, non raro irrepit. Sic sanaturi vulnera ferro inflictata, et ablatiuri Rauban mihat, ut ajunt, seu *iracundiam* (h. noxam) *ferri*, haec recitant:

Koska rauta pahaa teke,
 Terä hietra tembaisepi,
 Tuo turwet tuwan tafaa,
 Sammal säinän salworista;
 Tuki reikä turpahäri,
 Määdän' mulda mättähäri,
 Ellet wismoille wirunne,
 Ellet wammoille walene,
 Kummaldakan puolelsta,
 Jesusen kengän kannolsta.

Et punxisse radicem salicis.
 Ut ipse male fecisti,
 Filius tuus adhuc pejora committit.
 Rectius sanas quod nosti.
 Satis ego natales tuos scio:
 Ex sterquilinio es lectus,
 Conceptus in ventre ranae,
 Capillus Daemonis ex familia Hiisi,
 In nocendo barbae pilus (acuto mucrone instructus).
 Virgo (Maria?) ex littore fluminis (Jordani?)
 Apporta caespitem ex sylva,
 Vulnus occlude quantum satis est.
 Sanguis Jesu ruber,
 Lac Mariae dulce,
 Sit ulceri unguentum,
 Vulneri medela,
 Intus (vulneri) doloris cessationi,
 Subtus plenae sanitati.

Quando ferrum nocet (male facit),
 Chalybis acies laedit ¹⁾,
 Apporta caespitem sumtam pone domum tuam,
 Muscum e parietis rina;
 Oppele (eo) vulnus,
 Resolve humum in obturamentum ejus validum,
 Ne (vulnus) infestetur pustulis,
 Ne in ulcus abeat,
 A parte alterutra,
 Propter calceum Jesu.

¹⁾ Hiatus hic manifestus est, et deest nomen divi, cujus auxilium imploratur etc.

| | |
|------------------------------|--|
| Mehiläinen ilman lindu, | Apis avis aetherea ²⁾ , |
| Jmbi pilwästä pyrähdä, | Virgo (Maria) ex nubibus subito ap- pare, |
| Wahto niistä walota, | Spumentem liquorem (lac) ex uberi- bus tuis funde |
| Ripehellä woiteheyi, | Ut sit aegro unguentum, |
| Šaarwalle parannugeyi. h. e. | Vulneri sanatio. |

Aliter sonant *verba ferri* quae leguntur in Dissert. Domini Praesidis *de Poësi Fennica* (Part. III p. 380 seqq.) ubi archaeologia ferri adducitur, cum exclamationibus et expostulationibus. Facile quisque videt, quid virtutis hujusmodi carminibus sit tribuendum; licet GABR. MAXENIUS, (ex cujus collectaneis, quaedam in usum nostrum carmina transscripsimus), in Dissertatione sua *De effectibus fascino naturalibus*, hic Aboae Anno 1733 edita, p. 24 absurde autumet: *Effectum rhytmos recitados consequi, in aprico est*. Quin neque ipsi magi nostratium, sola recitatione hujusmodi carminum contenti sunt; sed unguenta praeterea adhibent, ex resina et pice confecta, quibus tamen raro ipsum vulnus, sed plerumque securim vel cultrum, quo quis se laesit, perungunt, laciniisque et fomentis cinctum seponunt, donec vulnus ad sanationem spectare putent. *Carmina malefica*, diras continent et execrandas imprecationes, quae ob atrocitatem vix referre queamus. Unum tantum exemplum adponemus, quod contra *invidum*, sive cujus oculos fatales (supra p. 100 et 101), metuunt, recitatur:

| | |
|-----------------------------|----------------------------------|
| Ken katehen kahtonowi, | Qui invidie adspicit, |
| Šilmin fieron kaginöwi, | Limis oculis speculatur, |
| Šöifä näifä ollesani, | Dum in hoc opere versor, |
| Šilmät werta wuotuwohon, | Oculi (ejus) sanguinem stillent, |
| Raswana rapattuwohon, | Unguenti instar defluant, |
| Tuonne helwetin tulehen, | Illuc in inferni ignem, |
| Pašan wallan walkiahan. 2c. | In mali daemonis flammam etc. |

IV. *Caerimoniae et ritus*. Varii hi sunt, et pro diversitate rerum atque gentium, diversissimi, superstitionis-

²⁾ Etiam hic est hiatus; cfr. versus, supra (p. 58 sq.) allatos.

que ipsam constituunt medullam, taediosi non minus quam longi recitatu. Coemeteria nempe ante ortum solis pluries circumiri debent; Ossa humana hic et ibi sepeliri; hoc vel illud a tergo, oculis irretortis, projici; Amuletum aliquod in collo vel pectore est suspendendum; Absque nictu oculi, et uno anhelitu, certum iter cursu conficiendum; Vespere diei Jovis colum non movendum; Oratio Dominica ordine retrogrado recitanda; et sexcenta ejusdem furfuris alia: ita ut nil boni vel mali effici putent, nisi quibusdam observatis hujus generis putidis caerimoniis. Hoc more pecus in pascua primo vere agi, agrum seri, insidias malorum genitorum caveri, etc. oportere, credunt.

V. *Affectus et gestus miri, fanaticisque similes.* Si inferendum vel ablegandum est malum, horridis et velut furiosis hoc opus suscipitur gestibus, murmure et corporis agitatione. Virum nobilem in Paroecia Töfsala pedibus aegrum, ante paucos annos audacter adiit circulator, qui sese sanaturum eum promisit, modo suis sese manibus ille committere vellet. Annuit aeger; Circulator balneum calefacit, et scopas sibi plures comparat, ex plurium arborum frondibus compositas. Dum intrans balneum, circulator primum horrendis gestibus et voce abigit omnes daemones et malos hostes, scopis tectum, parietes, pavementum verrendo; dein scopis frondosis paullum calefactis, aegri corpus, more Fennis usitato diligenter verberat, sua carmina mussitans; postea cultro scopas in minutissima, summa cum iracundia, secat frustula, quae sub pavimento balnei defodit; quod vir ille, cum risu amicis saepe narravit. Paucis diebus a balneo isto, melius quidem se habuit; sed malum tamen non recessit.

VI. *Fraudes et ludibria.* Nam e potiori sua parte superstitio magica nil est nisi impostura, ex fraudibus et ludibriis composita. Unde recte CURTIUS *Hist. L. VIII. C. 4 de Cobare* Medo quodam mago loquens, ait: *ipsum magis professione quam scientia celebrem*; et de tota arte addit: *Si modo ars est, non vanissimi cujusque ludibrium.* Qui enim se magos simulant, vaferrimi plerumque sunt nebulo-

nes. Nunc cimices et mures expulsuros domo, nunc omnis generis morbos curaturos, nunc pecudes a bestiarum insultu protecturos, nunc prosperaturos butyri confectionem, vitulorum valetudinem, conjugii fortunam, etc. sese promittunt; sed vano eventu. Unde saepe dignam professione sua mercedem reportant. Est enim plebecula nostra in ea opinione, ut putet magorum conatus inimicos irritos fore, si sanguinem suum ipsi conspexerint. Unde, cum suspectos se reddunt de mala voluntate, atque viribus sunt inferiores, tam probe non raro ex improvise caeduntur, ut nasus et os sanguinem spument.

VII. *Consilia oppido inania et absurda.* Interdum mirum adminiculis uti videmus superstitiosos homines, ad fines suos attingendos, quae vel primo intuitu valde inepta, ridicula et absurda esse, in oculos cuique incurrit. Sic v. gr. carbones ex incendio ablatos in Tympanite, argentum haereditate acceptum in Apostemate, aqua fluvii et rivi boream versus defluentis in Febribus, lignum e parietibus domus ter loco motae in Spasmo, et sic porro, magna vanissimae spe adhibent. Remediis ejusmodi absurdis, vulgo sympathiam vel antipathiam naturalem praetendunt; sacram omnium hebetium et stupidarum mentium anchoram. Lepidam adferre liceat medelam luxati pedis equi, quam auspicantur carmine sequenti:

RJesus kirkojon menepi,
 Maria mefuhun matapi,
 Hemoisella hirwisellä,
 Kala hauwin karvaisella,
 Lohen mustan muotoisella.
 Ujoit sildoa kiviistä ³⁾;
 Rouffit wuorta forkiata:
 Siwelnyi hemoisen jalka ⁴⁾.

Ad templum JESUS pergit.
 Ad missam MARIA vadit,
 Equo utebantur alces colore conspicuo
 Lucium (colore) referente,
 Salmonis nigri (colore) simili.
 Vehuntur super ponte saxeo;
 Ascendunt montem excelsum:
 Luxatus est pes equi.

³⁾ Alia exempla habent finistä (*caeruleo*), et addunt: Maata maran karwallista, *super terra hepatis colorem referente.*

⁴⁾ Addunt huic versui alia exempla:

Kivisellä kirko tiellä,
 Bahaisella wainiolla,

Lapidosa via ad templum ducente,
 Saxoso in agro.

Maria⁵⁾ maahan rattahilda,
 Suonia sewittamahan,
 Pahoja parantamahan.
 Joff' on liha liipastunut,
 Eihen liha liittyköhön.
 Joff' on suonet fortunehet,
 Eihen suonet solmickohön.
 Ohommaxi ennellistä,
 Paremmaxi muinaffista.

Maria de curru se projicit,
 Ad tendines coaptandos,
 Ad mala corrigenda.
 (Dicens:) Unde caro secessit,
 Illuc caro iterum adponatur.
 Unde nervi sunt remoti,
 Ibi nectantur rursus.
 Ut fiant praestantiores quam antea,
 Meliores quam olim⁶⁾.

Praemissa hac lectione, ligatur pes equi luxatus, ligamento composito scopis, quibus verritur furnus; quae autem tales esse debent, quarum fabricator ignoretur. Atque sic in multis aliis.

⁵⁾ Servatori ipsi alia exempla haec omnia adscribunt; quae omnino Virginis Mariae nullam faciunt mentionem. Caeteras lectionis varietates afferre piget.

⁶⁾ Apertam cum hoc carmine cognationem habet Svethicum illud, licet Poëticae artis laude longe inferius, quod in Diss. de *Superstitionibus hodiernis ex gentilismo residuis*, (Ups. 1750, 4:o Praes. JO. IHRE) adfert JON. MOMAN, P. I, p. 63 unde patet, ex eodem fonte, papisticis videlicet nugis, utrumque emanasse. Tale autem est: *Jēus red på sin fåla; Hans fåla wred sig; Satte led mot led, Sena mot sena, Blod mot blod, Lade la i la, Bot som åt är gjordt.* Similiter carmen contra Tineam, quod supra p. 94, attulimus, non obscuram prodit cognationem cum hocce Svecico, quod l. c. p. 62 habet MOMAN, contra Paronychiam usurpato: *Wår Herre Christ och Sante Pehr Gingo wågen fram; Så mötte de qwesan. Så frågar wår Herre: Swart skal du gå? Jag skal gå i en man (qwin) hand. Nej, swarar wår Herre: du skal gå i den ffog där ingen bor, I den flö där ingen ror, Och under en jordfast sten, Och ide göra denna mannen (qwinnan) men.* Unde caussa oritur suspicandi, Fennicum etiam illud carmen potius contra paronychiam esse compositum, quam contra Tineam; quamvis aliter visum ei fuerit, cujus opera illud ad nostras pervenit manus: nempe ambiguitate vocis *foi* potuit falli, quae quidem Tineam significat, sed qua etiam incolae superiorum provinciarum utuntur ad paronychiam significandam, quam ex vermibus cujusdam rorsione oriri putant: *foi* *shö*, *vermis exedit*, de hujusmodi ulcere dicunt. In genere notandum, illa carmina, quae natales papismo debent, atque a Svecis forte partim mutuata sunt, poëticae laudis nomine semper inferiora esse antiquioribus illis et paganismum sapientibus: nisi ubi quidam versus hinc illinc, ex hisce illis intexti reperiantur.

VIII. *Adminicula vera et naturalia.* Interdum nempe superstitiosi homines, etiam qui pro magis haberi gestiunt, incidunt in adminicula vera et naturalia, quibus vel bona vel mala efficere valeant; (quae tamen lectionibus suis et ritibus putidis consecrant); unde igitur effectus nasci potest naturalis. Quare in ejusmodi casibus prudentiores id quod superstitiosum est, a naturali discernunt; vulgus autem omnia stolide miratur, et tam caussam, quam effectum pro supernaturali habet, tamquam immediate a Deo vel diabolo profectum; magis attendens ad superstitiosas circumstantias adjunctas, quam adhibitas caussas naturales. Sic, cum Ursum carminibus supra allatis, ex nemoribus suis exulatum mittere student magosophi nostri, simul arbores hic ibi adipe phocae inungunt; cujus odorem non ferre ursus dicitur, sed ista loca vitare. Hoc modo rustici nostrates, etiam segetem in sylvis a voracitate Ursorum illaesam conservant, qui eam alias depascunt; videlicet sepimenta quaedam agelli, vel culmos avenae extimos quosdam, adipe phocae hic ibi, circum totum agellum, obliniunt, quem hinc postea ajunt manere ab Urso intactum. Sic, cum vitae sanitatque alicujus inimici nocere cupiunt scelerati quidam, res venenatas adhibent. Cum pecoribus cladem inferre satagunt, vel ovibus in ovili aliquam partem corporis excoriant, quo spectaculo reliquae terrentur et vehementer affliguntur, vel cadavera sub pavimento, aut in sterquilinio defodiunt, ut lues et noxa oriatur, etc. In usum medicum herbas et radices sibi comparant, ex quibus unguenta conficiunt; quas quidem superstitiose certo numero certisque noctibus colligunt, sed hoc virtuti illarum naturali nil derogat. Et sic in plurimis.

IX. *Societate diabolica* se valere, multi et alios credere volunt, et ipsi credunt. Dubium enim non est, quin fuerint, qui eo impietatis et stultitiae processerint, ut hosti Dei et generis humani infenso, se devoverint; hoc pacto, ut ejus opem in coeptis suis infandis perpetuam acquirerent ⁷⁾.

⁷⁾ Cfr. Carmen supra, p. 75 allatum; *Si minufa mieřtā lienef* &c. Quin tales reperiuntur nebulones, qui ex. g. pro felici

Cujus impietatis in paganismo jam semina exstitisse, a veritate non abhorret; nam malos quosdam esse genios et daemones, majores credidisse, eorumque auxilium a quibusdam imploratum fuisse, supra docuimus. Sed hic furor, post Christianismum cognitum, si non crevit, certe non extinctus fuit: illaque de mali daemonis natura et moribus clarior cognitio, quae ab ejus societate expetenda detertere vehementius debuisset, homines malesanos et semipaganos ad eam discupiendam etiam incendit. Detestati quidem sunt et detestantur inter ipsos quoque superstitiosos, tale scelus, saniores, ac abominantur eos qui malis geniis se committere audent, eorumque ope uti; sed dubium tamen non est, quin persvasio infelix de abominabili ope diaboli, hoc modo revera obtinenda, ac de potentia mirisque facinoribus, quibus peragendis pares magi hoc pacto evaderent, homines stultos atque impios ad detestabile hoc consilium ineundum impulerit. Tantum nempe sapientiae seculis illis ignorantiae homines non habuisse, mirum videri non debet, ut sine praejudiciis primum explorarent, an magi, tali potentia qualem crepabant, revera instructi essent? an prodigia iis tributa unquam patrare valerent? ut in rem facti, et merè historicam, prius ad leges fidei historicae rite inquirerent, antequam ejus explicandae caussa tam portentosam hypothesin, tam periculosam, tam perniciosam, amplecterentur. Quodnam enim tale factum apud nos unquam debito modo evictum fuit? Quis unquam vel verisimili ra-

avium captura caput suum diabolo offerunt. Nam dum laqueos et tendiculas avibus struunt, ut felix sit laqueus, caput ei immittunt et mox extrahunt, dicentes: *Āindu, minun pāāni Āerfelelle*, h. e. *Avis (audi) caput meum (devoveo) diabolo*: ad quae tota mente exhorrescas. Qui miseri, aut prae stupore non satis intelligunt quid faciant, aut nescio quam tacitam spem sibi indulgent, fore tamen, ut a pacti conditione sese extricare, ac diabolum olim deludere queant. Quibus autem ritibus vel diabolum advocent, vel qua cum eo agere ratione, pactumque pangere dicantur, neque referre operae pretium ducimus, neque curatius explorare studuimus: cum tamen in meras fallacias et stulta ludibria omnia abeant.

tione demonstravit, malum genium, a malesanis illis advocatum, accessisse, ac pactum revera cum iis fecisse? Nempe ne licere quidem sibi homines putabant, rationes expetere opinionis, quam inter veritates indubias, imo sacras, referebant: quaecunque igitur fabula, quodcunque hujus generis assertum, imo suspicio quaevis injecta, mox homines, etiam caeterum cordatos, turbavit et occaecavit. Somnia anicularum, deliria, mendacia, metum, rumores, errores mentium praejudiciis et perturbationibus aegrarum ac delusarum, pro testimoniis et argumentis certissimis avidè arripiebant; ac, quia S. Scriptura vel magos nominat, vel facta eorum, suo more, qualia apparebant, nulla eorum explicatione adjecta vel caussis expositis, simpliciter describit, suam illa explicandi hypothesin persvasionemque ei primum intrudentes, mox tanquam S. Scripturae doctrinam suspici ab aliis etiam omnibus voluerunt, in quam neque inquirendi, (multo minus de illa dubitandi) potestas ulla superesset. Quod malum hodieque nimis multos inter nos invenit fautores; cum nulla tamen certior sit ratio detestabilem superstitionem eradicandi, quam ut ipsa quibus nititur fulera subducantur, totiusque artis vanitas, inanitas et stulta fraus, perspicue ac sincere demonstretur⁸⁾.

§ XXIII.

Talis jam tantaque fuit superstio praeorum nostrorum majorum, tam theoretica, quam practica; cujus rudera multa adhuc, proh dolor! exstant, in quibus debellandis saniores omnes, maximeque Verbi Divini ministri, desudant. Heu quanta vanitas et dementia tamdiu mentes hominum

⁸⁾ Cfr. Diss. Dn. Praesidis de *Poësi Fennica*, p. 376 sqq. Opinionis autem de Magia et Historiam et indolem accurate atque plene explicatam qui discere avet, adeat CONST. FRANC. DE CAUZ, de *cultibus Magicis eorumque perpetuo ad Ecclesiam et Remp. habitu Libros II*, (Vindeb. 1767, 4:o) a summo Theologo Ven. JO. AUG. ERNESTI magnopere laudatos et diligenter recensitos, in ejus *Neue Theologische Bibliothek*, IX Bände VI Stück, p. 529—546.

cepit! Nam quid superstitio omnis est nisi vanitas vanitatum? Vana sunt idola, nec nisi nuda nomina et inanes umbrae; vanus itaque eorum cultus et veneratio. Ac licet existentiam et operationem maligni spiritus minime nege-
mus; pater tamen mendacii ille est, fallax spiritus. Pascit suos crepundiis, et ad extremum male mulctat. Nec tamen omnes superstitiosos homines pro ejus familiaribus et amicis venditamus. Sunt enim plerumque simplices, rudes, et fatui. Scientia eorum tantopere jactata, in eo potissimum consistit quod nil boni sciant; commiseratione, correctione et institutione digniores sunt quam flammis et suppliciis, quibus in eos promiscue animadvertit perversus majorum zelus. Si vero malitiam produnt, et vitae, sanitati, bonisque aliorum nocent, cur non hoc nomine plectantur, ut alii malefici, caussam nullam videmus. A superstitiosis autem omnibus ausis et coeptis, caveat sibi quisque, maxime qui Christo nomen dedit. Verbo Dei et naturae ordini, ab iisque suppeditatis adminiculis et remediis, firmiter adhaerescamus. Deo soli confidamus, ejusque providentiae nos nostraque committamus. Quando enim ab ejus viis et praeceptis recedimus, in casses ignoti hostis et tentatoris imprudentes incidimus. Frivolas merito putamus divinationum varias species, carmina magica, incantationes, consilia sympatheticum, et similes ineptias. Sed ut illicitas tamen damnat eas Deus in verbo suo, *Deut.* 18: 10, 11, 12. Deum enim sic antevertere praesumimus, et fata nostra ipsi dirigere, quod arrogans nimis est et impium. Cfr. III. MICHAELIS Mosaisches recht, V Th. § 253—255.

S. D. G.

DE BIRCARLIS.

DISSERTATIONES

QUAS

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICAE VENTILANDAS STETIT

FRANCISCUS MICHAEL FRANZÉN.

Aboae 1786, 1789.

§ I.

Illam quidem rem adjudicandam nobis haud sumimus, quam late olim *Lapponum* gens per septentrionem diffusa, ac quo aevo, quo jure, quibus conditionibus, quo ordine, imperio vel Norvegorum vel Svecorum vel denique Russorum fuerit subjecta? quod non uno tempore sed sensim factum fuisse, facile evincitur. Nostram vero quod attinet Finlandiam, ab hac gente ante majorum nostrorum adventum habitatam vel potius pererratam fuisse, sensimque Lappones a Fennis propulsos, dubio caret. Comprobatur haec res cum traditione majorum¹⁾, tum plurimis nominibus locorum per totam passim Finlandiam adhuc usitatis, a Lapponibus tractis²⁾, tum aliis rerum monu-

¹⁾ Ejectos a majoribus nostris Lappones, sedesque horum ab illis occupatas, passim traditiones incolarum commemorant, superiores Finlandiae provincias habitantium. Cfr. CHR. LIMNELL Disp. *de Tavastia* (Aboae 1748 ed.) Cap. I p. 18 C. II p. 36 sq. et *Tidningar utgifne af et Sällskap i Åbo*, a. 1776 p. 70, 72; a. 1777 p. 19 sq. 67 sq. a. 1778 p. 149. Adde, si placet, traditiones Lapponum idem confirmantes, quarum mentionem facit Celeb. SCHEFFERUS, *Lapponiae* C. VI.

²⁾ Horum magna superest copia: Paroecia *Lappo* Satacundiae, et alia Ostrobotniae; pagus et insula ejusdem nominis inter Alandicas, unde portio etiam maris illam et insulam *Kumlinge* interluens *Lappesi* (aqua Lapponum) appellatur; *Lappjärvi* (lacus Lapponum) lacus et pars Paroeciae Pedersöre in Ostrobotnia; *Lappfjärd* (aequor Lapponum) Paroecia ejusdem provinciae; *Lappträsk* (lacus Lapponum) paroecia Nylandiae; *Lappeenranda* (Suecis *Lappstrand*, ripa Lapponum, vel *Vilmanstrand*, ripa hominum ferorum) paroecia et urbs Savolaxiae, Russis jam parens; *Lapinlaxi* (sinus Lapponum) sinus lacus Keuruensis, *Lapinsalmi* (fretum Lapponum) et *Lapinkangas* (cam-

mentis non spernendis ³⁾. Nec timendum est, ne fides hujus asserti, aut TACITI de Fennis testimonio ⁴⁾, aut Fa-

pus Lapponum) loca itidem paroeciae Keuru in Satacundia; *Lapinlinna* (castrum Lapponum) mons in quadam insula lacus Nä-sijärvi, intra paroeciam Satacundiae Messuby; et alia plurima. Quin, vestigia nominis generisque Lapponici in Estonia quoque olim obvenisse, regio *Lappegunda* (Lappakunda, tractus s. ditio Lapponum) documento est, ejus meminit *auctor veteris Chronici Livonici (Henricum Lettum solent prodere)* a GRUBERO editi, apud quem (*Orig. Livon.* p. 148) legitur: *Post hoc in Gervam abierunt, et provinciam extremam versus Wironiam, quae Lappegunda vocatur, nondum baptizatam adeuntes, caet.* Illius autem nominis hodie usum penitus evanuisse testatur HUPEL *Topogr. Nachrichten von Fief- und Ghistland I B. I C. I Abschn.* p. 78.

³⁾ Ex. gr. Acervis lapidum, manu arteque humana, (ut eos spectanti cuique facile apparet) congestis ac per Finlandiam nostram passim obviis; quos *Lapin-rauniot, Lapin haudat* vel *Lapin-kodat* (acervos, sepulchra vel tuguria Lapponum) incolae dicunt. Cujusmodi acervi occurrunt non modo in Ostrobotnia (Paroeciis *Siiikajoki, Lillkyro, Laihela* etc.), Tavastia (maxime superioribus paroeciis *Viitasaari* et *Saarijärvi* etc.), Satacundia superiore (Paroeciis *Keuru, Ruovesi, Längelmäki, Messuby, Birkala, Mouhijärvi* etc.) sed etiam propius ad Aboam in paroeciis *Eura, Lappo* et *Laetala*, nec non in Nylandia (ex. g. paroecia *Siundo*, in alto monte non procul e templo) etc. Cfr. LIMNELL *Disp. de Tavastia* C. II p. 36; et *Tidningar utg. af et Sällff. i Åbo* a. 1775 p. 190; a. 1777, p. 19 et 66; a. 1778 p. 142, 149; a. 1782 p. 221; a. 1783 p. 186.

⁴⁾ *De Moribus Germanorum* C. 46. Praeterquam vero quod ubi vulgo *Fennorum, Fennos, Fennis* legitur, alia exempla habent *Femiorum, Femios, Femüs*, adeo ut lectio ipsa non certissima videri queat; auctoritas etiam TACITI, ex rumore incerto de gente remota parumque sibi cognita scribentis, maximi non est facienda, qui imaginem ultimae feritatis humanae conditionisque ad brutorum vitam proxime accedentis, in hac natione depingenda ingeniose adumbrare simul voluisse videtur: qualem fere imaginem veram generis hominum miserrimi, quod oram *terrae ignis* dictae pererrat (*Pecherais*), nobis exhibent Itinerum maritimorum ad illas regiones institutorum descriptores. Nostorum autem Fennorum fuisse majores quos ille depinxit, neque demonstrari potest, neque probabile omnino est. Ut de situ terrae ipsius nihil dicam, quam supra *Sveones Sitonesque* in ultima septentrionis ora collocasse videtur; plures produnt ratio-

bularum Islandicarum auctoritate ⁵⁾ aut quae apud SCHEFFERUM de Lapponum ex Fennis origine leguntur com-

nes *Lappones* eum in animo habuisse, (ad quos solos *Finnorum* nomen olim pertinuisse mox docebimus), eorumque mores, feriores etiam tum quam posterioribus temporibus, informasse, non sine admixtis tamen erroribus.

⁵⁾ *Finnorum* in his mentionem fieri, ut antiquissimorum septentrionis incolarum, notum est. Partim vero manifesto falsa esse, quae de illis commemorantur, partim ad nostros pertinere Finlandos nullo modo posse, levi negotio intelligitur. De Regibus loquuntur Fennorum, cum tamen certum sit inter nostros populares neque usum hujus dignitatis neque nomen ullum existisse: nam *Kuningas* quo vocabulo nunc utimur, Svecis deberi, nemo non videt; *Ruhtinas* (Principem solent interpretari), similiter a Germanico *Druhtin*, *Drottin* vel **Drott** (vid. IHRE *Glossar*. hoc vocab.) oppido est formatum, abjecta litera D, (more nostris solenni qui verbum a duabus incipiens consonantibus enuntiare nescii priorem abjiciunt, dicentes ex. g. *Rotninki* pro **Drotning**, et addita syllaba *as*, pro consuetudine itidem gentis nostrae familiari, quae vocabula peregrina in consonam exeuntia, vocali aut tota adeo syllaba auget (ex. g. *Carle* pro **Carl**, *Tuckulmi* pro **Stockholm**, *Kuningas* pro **Konung** etc.) Si cum Sveci, ducibus *Erico* Rege ac *Birgero* Jarlo, Fennos aggredierentur, his Reges fuissent aut insignes dignitate Principes; talium aliqua sine dubio mentio in scriptis Svecorum feret, de quibus altum tamen est silentium. Statum igitur majorum nostrorum talem fuisse qualem Estonum (iis cognatorum) describit auctor veteris *Chronici Livonici* (apud GRUBERUM, l. c.), qualemque et olim fuisse et hodie esse plurimarum gentium barbararum scimus, valde probabile est; ut nullum scilicet agnoscerent superiorem perpetuum, sed patresfamilias, necessitate aliqua ingruente coeuntes, illis uterentur ducibus qui inter caeteros fortitudine prudentiaque praecellere crederentur. Cum vero carmina narrationesque Islandorum (vid. ex. g. STURLESON, *Ynglinga Saga* C. 16 et 22), nomina Regibus foeminisque Finniciis tribuant plane Germanica vel Islandica, quae nec ullo pacto efferri a Fenno possunt (cui et F litera plane ignota), qualia sunt: *Sniö* (nix) cum filia sua *Drifva* (acervo nivis), *Froste* (gelu) cum filia sua *Skialf* (horrore s. tremore ex frigore); quis fabulae manifesta in his non deprehendat vestigia? Praeterea *Finnos* illos qui Norvegis Islandisque hoc nomine noti olim erant, non majores nostros, *Suomalaiset*, qui Fenni dici hodie solent, sed *Lappones* fuisse, res est certissima: et olim et

mentis ⁶⁾, aut adoptata praecipitantius a Clarissimis Viris

hodie Norwegi Lappones *Finnos* (Finner) appellarunt appellant-que, ac terram eorum *Finniam* (Finnmården), eaque appellatio per totum septentrionem solennis fuit; unde ad Germanos et per eos forte ad TACITUM quoque pervenerat. *Lapponum* contra nomen ad hanc gentem significandam serius esse adhibitum omnes fatentur, atque apud SAXONEM *Grammaticum* primo occurrere; cujus si auctoritas ac *γρηγοριος* admittatur, seculo tamen XII antiquius nomen non erit, ut igitur quae STURLONIDES aliique scriptores Islandorum antiquiores de *Finnis* commemorent, de Lapponibus intelligi debeant. Vel hinc liquet, auctorem *Fabulae insulsae* quae *Fundin Norregs* l. *Noregur* (Origines Norvegiae) dicitur, cujus fidem et auctoritatem, magni quondam factam, egregie elevavit Nobil. IHRE, *Bref rörande den Isländska Edda* etc. p. 26 sq.), aetate recentiorem esse, (ut de linguae ipsius habitu, manifeste recentiore, nihil moneam); apud quem *Lapponum* nomen antiquissimis rebus inseritur. Dubium adhuc est a qua gente *Lapponum* appellatio illis qui *Finni* olim dicebantur tributa primum sit; (cfr. tamen IHRE *Gloss.* hoc. voc.) quam contra ad nostros majores deinde, ob linguae cum Lapponica observatam vel creditam aliquam similitudinem, fuisse applicatam, (unde omnis ista provenit confusio), verisimile videtur.

⁶⁾ L. c. Lappones ex Finnonibus oriundos, adeoque hos illis multo antiquiores esse septentrionis incolas, contendit. Quae igitur apud Islandenses de Finnis commemorantur non modo in dubium non vocat, sed de nostris etiam majoribus secure interpretatur; Lapponum gentem, quia nomen hoc recentius sit (apud SAXONEM demum, seculi XII scriptorem occurrens), recentiorem existimans; quem sibi errorem excutere, Finnicumque nomen de iisdem qui nunc Lappones dicuntur hominibus fuisse olim usurpatum docere, nec mos Danorum Norwegorumque a se commemoratus, *Lappones* hodieque *Finnorum* appellatione designantium, nec allatus a se SAXONIS locus valuit, ubi quae de Finnis (quos *Finmarchiae* dicit incolas Biarmiaeque vicinos) pronuntiat ille, ad Lappones manifeste spectant: (*Sunt Finni ultimi Septentrionis populi, qui quidem habitabilem orbis terrarum partem cultura ac mansione complexi. - - - Incantationum studiis incumbunt, venationibus callent, incerta illis habitatio est vagaque domus, ubicunque feram occupaverint locantibus sedes, pandis trabibus vecti conferta nivibus juga percurreunt.* Hist. Dan. C. V. p. 93 ed. Stephan). Temere traditiones de Lapponibus ex Finlandia a majoribus nostris ejectis, ad illorum ex his originem probandam adhibet: quae gentis utriusque diversitatem potius

hypothesi de aretissima gentis utriusque cognatione⁷⁾, labefactetur. Gravia sane confirmant argumenta, serius quam

produnt. Linguae utriusque quam urget cognatio, si ei detur, illa tamen (aeque ac appellationis *Sabme* vel *Same* et *Sabmelats* vel *Samelats* cum nostrorum *Suomi* et *Suomalainen* similitudo) non alterius mox gentis ab altera ortum, sed stirpem modo utriusque communem demonstrare valet; nec ultra extendit, quem adstipulantem sibi laudat, CONRINGIUS. Habitus gentis utriusque, quem pro sua adducit sententia, si quid probare putetur, contrariam oppido confirmat. (Cfr. LINDHEIM *Observ. de diversa origine Finlandor. et Lapponum*, in *Novis Actis Reg. Societ. Scientiar. Upsaliensis*, Vol. II, p. 23, 24, 25). Traditio de *Jumi*, *Jumy* vel *Jumo*, pro communi conditore a gente utraque habito, nostris quidem popularibus prorsus est ignota; utrum Lapponibus placuerit, nescimus. TORNAEUS, quem ejus testem SCHEFFERUS adfert, in typis edito per D:n LOENBOM exemplo (quo tamen pleniore usus fuisse SCHEFFERUS videtur), hoc tantum habet: *At en gammal tradition, den ena åldern ester den andra, här (in confinio urbis Torneå?) hafwer kallat Lapparnas Storfader eller deras Patriarch Jumy, som war Magogs broder, then I Paralip. I kallas Javan, hwaruti det Tjinfva foldet har funnat jelat, som war olärdt, och Bibliska Historier woro dem icke kunnige* (Joh. Tornaei *Beskr. öfwer Tornå och Kemi Lappar*, Stockh. 1772, 8:o, p. 2): quae cujus furfuris sint, facile patet; a sciolo aliquo, qui Numinis apud nostrates appellationem (*Jumala*) ad primum gentis conditorem referre, ac cum *Javane* in S. Bibliis commemorato, fratre *Magogis* (Svecorum sc. progenitoris!) comparare instituit, conficta. WEXIONIUS, qui sententiam de Lapponum ex Fennis origine ante SCHEFFERUM, conjecturae tamen loco, attulerat, idoneis etiam ille pro ea adstruenda argumentis destituitur. Cfr. *Ej. Descr. Sveciae* L. II c. 15, L. III c. 27.

⁷⁾ Confirmari illa solet partim arcta, quam inter linguam utriusque gentis intercedere docent, cognatione; partim appellationis (nuper a nobis commemoratae) quam sibi Fenni nostri et Lappones tribuunt, similitudine. Quod ad hanc primum attinet, nihil eam aliud significare existimare quis possit quam *terram* et *conterraneum* (ut hodie Estonos regionem suam nullo alio appellant nomine quam *meie maa*, *nostram terram*, et *Estonem* significaturi dicunt *temma on meie maa*, *ille est ex nostra terra*; cf. SCHLÖZER *Nordische Gesch.* C. VI, § 7, p. 493) atque *Slavicae* aut forte *Letticae* linguae primos debere natales, a quibus vicinis suis et nostrates et Lappones eam mutuati sint? *Sem* certe, *Semme* aut *Zeme* Lettis et Litthauis, *Semla* vel *Sem-*

vulgo creditur Fennos nostros ex subjectis hodie Russorum dominationi provinciis, inter Caspium mare et sinum Fen-

lia Russis, *terra* appellatur; unde *Novaja Semla* (nova terra), *Vid-Semme* (h. e. Letthia), *Slowenska Zeme* (Croatiae pars inter fluvios Dravum et Savum), *Kreewa-Semme* (Russiam sic Letti nominant), *Samland* seu *Semland* (*Sambia* vel *Sambia*), Pars Prussiae, *Semgallen* (*Semgallia*) regio Curlandiae, etc. non minus quam Lapponum *Same* et nostrum *Suomi*, nomen acceperunt. Quo loco errorem simul eorum notamus, qui prae ignorantia linguae Fennicae nostram Finlandiae appellationem ex vocabulis Fennicis *Suo* (palus) et *Maa* (terra, quod illi *Seme* cognatum videri queat?) compositam esse autumant, *terramque paludosam* significare; cum tamen nomen simplex sit, nec *Suomaa*, sed *Suomi* (syllaba ultima etiam correpta) audiat, ac in forma composita *Suomen-maa* terra Fennicae); quod autem hinc nostri sese *Suomalaiset* appellant, eodem fit more quo Svecus a *Ruotzi* (Svecia) nobis *Ruotzalainen*, Lappo autem promiscue vel *Lappi* vel *Lappalainen* nominatur.

Ad cognationem linguarum Fennicae et Lapponicae quod attinet, non quidem nullam esse, contendere volumus, sed neque tamen adeo esse insignem et propinquam dare possumus, ac vulgo defenditur. Attendi omnino merentur rationes quas pro contraria tuenda opinione attulit Nobil. LINDHEIM l. c. p. 4 sqq. Ante quem eandem tulit sententiam TORNAEUS, (l. c. p. 5—8) cujus testimonium eo censeri gravius debet, quo fuit linguae utriusque peritior. Nec eum solum ita olim iudicasse, ipse indicat SCHEFFERUS (l. c. p. 52 sq.), ubi docet *supra a se nominatos viros doctos* (nominaverat autem praeter TORNAEUM, etiam NIURENIUM et PLANTINUM, saepius laudatos sibi auctores) contendere *gentis utriusque* (Fennicae puta et Lapponicae) *linguas ita inter sese esse diversas, ut appareat cuivis, unam ab altera non posse esse derivatam, eoque magis sibi hac in re tribuendam fidem, quod essent linguae utriusque periti*. Nobis certe linguam utramque diligenter conferentibus, quoad Grammaticas quidem leges notabilem in multis habere convenientiam deprehensae sunt, (licet in multis etiam vehementer differant); vocabula autem primae quae videntur necessitatis, quibus solis comparandis tutum de linguarum affinitate iudicium instituere licet, contententes, spe pauciora invenimus quae communem stirpem proderent, nec exiguam etiam verborum hujus generis Svecicorum Lapponicis cognatorum colligi posse copiam reperimus: pleraque autem Lapponibus propria et domestica visa sunt. Quod ne temere nos dixisse quis putet, indicem, fidem asserto facien-

nicum interjectis, ad has quas hodie incolunt sedes commigrasse⁸⁾, ac alii prorsus quam Lappones vitae generi jam

tem, Appendicis loco adjiciemus; cui Svecicam simul atque Germanicam interpretationem adjunximus, ut pateat quanto hae linguae priori manifestiorque quam Fennica et Lapponica inter se cognatione conjungantur: similique consilio Estonica cum Fennicis comparandi, harum rerum curiosis opportunitatem exhibuimus. Caeterum observari debet, mirum videri non oportere, si linguae gentium vicinarum, inter quas per plura secula commercium intercessit, quarum altera alteram tributariam fecit, insigni idearum copia auxit, religionisque et literarum beneficio beare studuit, non levem ostendent similitudinem. Dubium nullum est, quin Lappones, imprimis Fennis viciniore, multa sua vocabula Fennicis jam similia, recentioribus seculis a Fennis, etiam praeter necessitatem, (aeque ac a Svecis, ex. g. *Smakot* gustare, *Svarot* respondere) mutuati sint. Nec Fennos etiam, Lapponibus viciniore, nulla ab his accepisse vocabula, probabile est; quorum apud rusticos nostros septentrioni propiores reperire utique licet exempla. Haec itaque satis ostendunt, valde doceri incommode, vel Lapponum idioma (incolarum hujus terrae antiquiorum) natales a Fennico ducere, vel hujus esse dialectum habendum; minus etiam idoneo judicio quam si Latinam linguam nil nisi dialectum esse Graecae, pronuntiare quis non dubitaverit.

⁸⁾ Praeter adducta jam pro demonstrandis antiquioribus Lapponum quam nostrorum majorum in septentrione atque adeo in his terris sedibus, argumenta; nec alia desunt eandem confirmantia sententiam. Fennos nostros huc migrantes agriculturam artem (imprimis illam quae silvarum exustarum cineri semina mandere docet, Svecis *Smedjebruf*), nec non domestici pecoris usum, secum adduxisse, vel copia docet nomenclaturae et verborum ad has res significandas pertinentium, nobis vernaculorum, neque a vicinis vel Russis vel Svecis, (ut multarum aliarum rerum vocabula) acceptorum. (THUNMANNI tamen vix audemus iudicium probare, qui Svecos omnia fere nomina instrumentorum ad piscaturam pertinentium, vocabulorumque multa rem nauticam, agrariam etc. spectantia, a Fennicis mutuasse gentibus, contendit: *Untersuch. über die alte Gesch. einiger Nordischen Völker*, p. 76). Gens autem agricola imperio diu carere civili vix potest: quare libertas nostrorum naturalis tempore irruptionis Svecicae adhuc illaesa, recentiore gentis ad has sedes adventum prodere videtur; qui vastitate quoque superiorum provinciarum, (ubi Lappones diu post oram maritimam Svecis jam subjectam commoratos adhuc fuisse, paucosque Fennos, illorum

tum adsvetos, maritimam primum Sinus Fennici ac postea etiam Botnici oram occupasse, Lapponesque hic commorantes exturbasse⁹⁾. Quos ex interioribus etiam deinde terrae partibus sensim ejicientes, ante tamen quam in firmam satis va-

exemplo non nisi piscatui atque venatui deditos, consedissee constat) confirmatur. Cfr. Tidn. utg. af et Sällff. i Åbo a. 1785, Bifj. p. 57 et p. 118—125. Si fide nobis certa constaret, *Cvenas* illos quorum mentio fit in *Periplo OTHERI*, (vid. LANGE-BEK *Scriptores rer. Danicar. medii aevi*, T. II p. 112 sq.) nostrae gentis fuisse propaginem; majores nostros IX jam seculo terras has septentrioni vicinas habitasse, indubio confirmaretur testimonio. At vero verba OTHERI, (quorum textum, qualis editus legitur, nec omnino sanum esse, suspicamur?) potius *Norrlandiam* hodiernam quam *Ostrobotniam Cvenis* sedem assignare videntur: quamvis non parum blandiatur nobis insignis inter *Cvenas* et *Cainu*, *Cainulainen*, (unde arcis ditionisque *Cajaneburgensis* appellatio), quo nomine Savones et Careli *Ostrobotniam* atque *Ostrobotniensem* appellant, similitudo; fortasse autem per errorem, orientalis ripae incolis nomen quod ad occidentalis habitatores olim pertinuit, tributum postea fuit? Nescire nosmet etiam fatemur, qua fide tradat GANANDER (Praef. *Grammaticae Lapponicae*), cujus auctoritate nititur Nobiliss. LINDHEIM (l. c. p. 8), nostram gentem adhuc a Norwegis (qui Lappones *Finner* dicunt) *Quaener* vocari? fortassis per similem hoc ab illis fit errorem? Quid de testimonio *Thorgnyi* apud STURLONIDEM (*Heims Kr.* T. I. p. 485 sq. ed. Peringsk.) sit censendum, qui dicit (initio seculi XI) *avum suum paternum memoria complexum fuisse Ericum Emundi Regem Upsaliensem, narrasseque eum suae potestati Finlandiam, Kyrialandiam, Estoniam Curlandiamque subjecisse?* aliis dijudicandum relinquimus: nec tamen improbable videtur, seculo IX majores nostros has jam oras tenuisse.

⁹⁾ Finlandiam nostram, olim incultam sylvisque obsitam horridis, commodas Lapponibus sedes ac Rangiferis illorum pastum praebuisse, dubium non videtur. Nec tamen omnes olim Lappones (ut nec hodie) Rangiferis pascendis vitam sustentarunt. Sic OTHERUS *Finnos* (id vero est *Lappones*) extremam Norvegiae oram habitantes, *hyeme venari, aestate piscari in vicino mari* (quod etiamnum factitant) *fuisse solitos* dicit, (apud LANGEBEKIUM l. c. p. 108); quod TACITI verbis fidem addit, atque improbable non esse docet, eodem consilio lacus Finlandiae nostrae olim piscosissimos silvasque ferarum plenas eosdem frequentasse.

lidamque civitatis compagem coalescendi sibi potestas con-
tingeret, a vicinis ipsi fuerunt subacti imperioque adjuncti.
Instrumenti hos eosdem postea vice functos, quo pars magna
Lapponum propius etiam ad septentrionem habitantium,
Svecico subjecta sit sceptro, non ineptis doceri posse ra-
tionibus, putamus. Famosos nempe olim *Bircarlos* (*Birkarlar*),
quorum imprimis opera hoc factum fuisse omnes con-
sentiunt, Fennici initio fuisse generis ¹⁰⁾, a vero haud ab-
horret; qui vicinis nostrae orae Lapponibus primum subactis,
latius paullatim extenso imperio remotiores quoque postea
sint complexi, atque huic persequendo consilio, lucroque
inde atque ex factis cum Lapponibus commerciis perci-
piendo, totos se dantes, occidentalem etiam sinus Botnici
oram adierint, sedesque tandem illuc praecipuas transtule-
rint, quod scilicet majori etiam fructu cum accolentibus il-
las terras Lapponibus negotiari liceret, novis praeterea in-
terim popularium suorum coloniis orientalem oram sensim
occupantibus, finesque ita Lapponum coarctantibus, atque
ipsi adeo summae eorum arctoae arcis jam imminentibus.
Quam sententiam quae confirmant argumenta, paucaque
praeterea quae clarorum olim horum Mercatorum rebus il-
lustrandis idonea ad nostram pervenerunt notitiam, monu-
menta, Dissertatione hac Academica colligere atque com-
plecti studuimus: sperantes fore, ut innocui conatus, sym-
bolaque ad Patriae Historiae particulam pro virium modulo
explicandam collata, mitiorem L. B. experiantur censuram.

§ II.

Bircarlorum in Lappones potestatem tempore demum
Regis MAGNI *Ladulås* (circa A. C. 1277) ortam fuisse, ex

¹⁰⁾ Quod non modo laudati jam SCHEFFERO BUREAUS,
PLANTINUS ac NIURENIUS tradiderunt, ipso non improbante (l.
c. p. 47, 48, 54, 55), quorum etiam sententiae adstipulatur
Nobil. IHRE (*Glossar. Sviogoth.* voc. *Birkarlar*); sed ex insti-
tuto asseruit Maxime Rev. Dn. Doctor et Praepos. LENCQVIST,
in dissert. quae legitur in Novellis Aboëns. (Tidn. utg. af et
Sällff. i Åbo) a. 1778, p. 140—143, 148—150, 155—158.

scheda docet JOHANNIS BURAEI, Regni quondam Antiquarii, SCHEFFERUS ¹⁾; nec ullam aut eorum aut juris sui factam antiquiorem mentionem reperimus. Narrat ita rem ille: *I Konung Magnus Ladulås tiidh voro Lapparne sit egitt folk. Och efter han icko kunne vinna them under kronan, böd han them som ville våga och komma them under Sverikes Krona, så ville han gifva them hina i händer til egendom. Ty gingo Birkarlarna til, som boodde i Birkala sochn, och gäfvö sikh in til them, dagtingadhe med them, på så många daghar eller tiidh, och thes emillan förraskade the them, och slogö många ihiäl och vunno them under sikh alt intil norra och västra siön, och fingo bref af Konungen, att the skulle hafva Lapparna, som än tå boodde uth med Botnen, med allan skatten och Laxfisken, allenast att the goffvo Kronan några timber gråskin till een vederkännelse. Theraff blefve thesse Birkarlarna svåra mächtige och riike, etc.* Quae ejus narratio multis memorabilis est nominibus. Verisimile primum videtur BURAEUM, virum Svecicarum minime imperitum, caussamque habentem nullam cur de his rebus falsa pro veris, vel incomperta pro compertis confidenter adeo venditaret, idoneis fideque dignis nixum monumentis ista tradidisse. Deinde, et Lappones de quibus subjugandis agitavit Rex, utramque sinus Botnici oram adhuc tum inhabitasse docet ²⁾, et qui expellendorum illorum exsecuti sunt

¹⁾ L. c. p. 54, et p. 151, 152, 158. Reperiri Schedam istam in Collectaneis Ejusdem MStis ad Antiquitates Sviogothicas pertinentibus, quibus nomen dedit *Sumla*, ibid. p. 151, significat, (de quibus collectaneis vid. SCHEFFERI *Svec. Litterat.* p. 52 sq. ubi in Collegio Antiquitatum asservari dicit); verba dedimus qualia apud SCHEFFERUM (utroque loco collato) leguntur, male illa quidem habita et Typographicis foedata erroribus, quorum turpissimos correximus.

²⁾ Quare immerito vapulat NIURENIO et STECKSENIO DAMIANUS A GOES, quod scribat (SCHEFFERO testante) *Lappiam mari Bothnico interjecto in Orientalem et Occidentalem dividi, cujus aequoris extremum Tornia sit* etc. Quae verba, si antiquiora spectemus tempora, absurda dici non debent. Cfr. SCHEFFERUS l. c. p. 14 et 15; atque ISR. STECKSENI *Disp. de Vestrobotnia* (ed. Ups.

consilium Bircarlos, Fenniae fuisse incolas, paroeciam Tavastiae *Birkkala* inhabitantes; quorum perfidae quas in Lapponibus opprimendis exercuisse dicuntur artes, a moribus temporis, quibus nihil non in paganos licere existimabatur, haud abhorrent. Nec alio putamus niti fundamento quas vel NIURENIUS³⁾ vel PLANTINUS⁴⁾ habent narrationes, a SCHEFFERO allatas, de Lapponibus e Tavastia oriundis atque a Tavastis deinde Bircarlisque hostiliter vexatis, nisi partim hanc (a BURAEO explicatius expositam) de Bircarlorum moliminibus memoriam, partim traditionem, cujus supra meminimus, antiquam de Lapponum gente a Fennis olim, ut ex reliquis Fenniae regionibus ita e Tavastia, expulsa; cujus utriusque vestigia famae, varie tamen corruptae, in duumvirorum illorum verbis haud obscure agnoscas. Ita enim NIURENIUS: *Praefato tempore nativitatis Christi evenit, aliquot familias Finlandiae ex Birkkala et Rengo Paroeciis, exilisse nemus Tavastiae, et ad littora Ostrobothniae, ubi jam Nerpis et Mustasari, tum temporis a nullo mortalium habitata, stativa et sedes suas fixisse, ibidemque sine ulla, qua Finni vexabantur in patria, tributorum molestia, summa*

1731, 4:o) § XII et XIII p. 18—21. De libro DAMIANI A GOES vid. WARMHOLTZ *Biblioth. Hist. Sveo-Goth.* P. I, p. 253 sq.

³⁾ M. OLAUS PETRI NIURENIUS, Pastor et Praepositus Umoënsis, quem *de Lapplandia tempore Gustavi Adolphi scripsisse* testatur SCHEFFERUS *Lapp.* p. 3 sq. et cujus *Descriptionem Lapponiae* MSC. in Bibliotheca Upsaliensi asservari docet IONAS EL. ASK *Disp. de urbe Uma* p. 23 § III not d) Cfr. p. 30 § VI not. b).

⁴⁾ ZACHAR. PLANTINUS, filius laudati mox. OL. NIURENI, cujus *Praefationem Lexici Lapponici ad se missam* saepius citat SCHEFFERUS. Cfr. l. c. p. 5, 46, 47. Apud Lappones, et in Vestrobotnia ubi hi duumviri habitaverunt, antiquam hanc famam vix aliter propagatam conservatamque credas, quam Bircarlorum opera, quorum ultimas in illa regione sedes fuisse, constat. Nec improbable est, eo ordine quo haec traditio refert, rem evenisse, Bircarlosque suam in Lappones potestatem extendisse; sc. ut vicinam primum Ostrobotniam inhabitantes vel subegerint, vel durae metu dominationis fugaverint, ac deinde in ultimum usque persecuti sint septentrionem.

in tranquillitate multas acquisivisse merces, easque quotannis reportasse et venales proposuisse patriotis. Inde coeperant excellere mirum in modum splendido amictu, delicato victu, opibus et ornamentis, ut exinde eos summa frui felicitate verissime concluderent. Peraegre id videntes et ferentes Tavasthi, quorum provincia fuere egressi, Mathiam quendam sua gente clarum in directorem et ducem elegerunt, qui magna Tavasthorum multitudine stipatus, in eorum domicilia irrupit, omniaque rapinis involvens, non prius destitit quam eos ex suis sedibus ad fluvios Chimi et Torne pepulisset. Nec diuturna interjecta mora, cum aliquot elapsis duntaxat annis facti sunt certiores, ejectos et dissipatos non incommode apud praefatos fluvios vivere, iterum eos summo adoriuntur nixu, et tum eos tam inhumaniter tractarunt, ut sine jumento quopiam, vel quibusdam pecoribus in ea, ubi jam vivunt, deserta, solis retibus retentis, cogerentur se recipere⁵⁾. Ac postea: Mentionem feci cujusdam Matthiae, debellandis Lappis et depellendis in Septentrionis ultimam solitudinem ducis Finnonum. Hunc perhibent nonnulli fuisse ex nobilissima Kurkorum stirpe in Finlandia, et in impressione et irruptione illa non desuisse eos vexare, priusquam ei annua polliciti sunt tributa. Pertaesus tandem molestissimi et longissimi itineris, fertur cum quibusdam in Birkarla Tavastiae parochia permutationem inchoasse, et pro subjectis Lappis ceu pacto vectigali pagos quosdam in Finlandia recepisse. Unde subsequutum est, quod etiam verissimum, Lappos quotannis Birkarlis usque ad annum 1554 pendisse pactum vectigal, et praeter Birkarlos nemini licuisse cum eis mercaturam exercere. Senes aliquot in vivis sunt, qui se vidisse narrarunt literas et pacta Kurkorum a Johanne Nilson in Ersnäs parochia Lulensi reservata⁶⁾. Recte observat SCHEFFE-

⁵⁾ Apud SCHEFFERUM l. c. p. 48.

⁶⁾ Ibid. p. 55. Addit PLANTINUS, referente SCHEFFERO, *Andream Andressonium (Andreae f.) civem Pithensem, qui postea factus fuit Oeconomus Scholae Lapponicae, testatum esse, se vidisse literas veteres, in quibus unus ex praefectis Laponum (Bircarlis) Kurk nominetur.* L. c. p. 48.

RUS ⁷⁾, absurde has migrationes irruptionesque ad aetatem a nato Christo proximam referri, potiusque temporibus convenire Regis MAGNI *Ladulås* (ac partim paullo superioribus). Nec dubitamus, quin ad Laponum majores per errorem pleraque traducta sint, quae ad Fennos, illorum hostes, atque ad *Bircarlos* pertinent; e quibus *Matthiam* illum *Kurkium* unum fuisse, Regioque diplomate indultum sibi jus in Lappones exercuisse, valde est probabile. Nihil etiam impedit, quo minus is (suive haeredes) illud aliis porro concesserit, aut cum his permutationem, praediis quibusdam in Finlandia (pro isto suo in priores possessores jure transferendo) receptis, fecerit, talesque literae et pacta Kurkorum, seculo adhuc XVI superfuerint. Neque quod PLANTINUS ex Laponum commemoratione narrat, alio spectare videtur. Ita enim ille: *Confessi sunt inquit illi ex nostris intelligentiores, interrogati, eductos se ex Finlandia, ductore quodam Thins Kogreh; ac porro adjicit: Traditur, primum suscepisse migrationem sui ingratis magistratus. Nimirum oneribus pressos, quam essent ferendis gravioribus, relictis avitis suis in Tavastia circa Brokarla (Birckala) et Rengo arvis, vastam, quae Tavastiae dicitur, penetrasse primum sylvam, nec ante, quam ad incultum australe, quod in Ostrobothnia tenet, sinus Bodici substituisse littus. Ubi primas post primos errores cepisse sedes - - - Ipsi ipsorum antea conterranei, sive justa impulsu ob desertas improbe pristinas sedes ira, sive perdito aliquo perditarum sororum avaritiae atque invidiae perciti aestro, sive etiam utroque, ipsos, duce quodam, ut fertur, Matthia Kurk, bello adoriuntur internecino, caedunt, spoliant, totoque demum latissimo illo laetissimoque tractu pellunt: primum quidem misere ad inclytos Salmonum piscatura fluvios, Torna et Kimi, mox vero miserrime in ipsa usque, quae jam tenent, Alpes utrinque contingentia deserta ⁸⁾. Ac facile quis crediderit, ipsum illum celebratum Lapponibus Kogreh, eundem esse Kurkium, nomine ut fit, a Lappo-*

⁷⁾ Ibid. p. 48 sq. 54 sqq.

⁸⁾ Ibid. p. 47 sq.

nibus corrupto; qui sua cum Bircarlorum consiliis (horum sc. sibi commemoratione familiaribus) fata confundendis, ex hoste ductorem tandem suum praefectumque effinxerint?

§ III.

Pronissima ad fidem haec testimonia, de orto sc. in Tavastiae confinio per Bircarlos Lapponum *subjugandorum* consilio, (quos *propulisse*, Fenni hactenus contenti fuerant), primisque ejus exsequendi factis in Ostrobotnia experimentis, atque extensis deinde sensim ad fluvios septentrioni propiores, ac porro per Vestrobotniam et quam hodie dicimus Lapponiam, eorundem expeditionibus; temporum quoque illorum diligenter considerata ratio, monumentaque rerum haud dubia, egregie confirmant. Ut laudatas supra traditiones nostrorum, de expulsa, non longissimo abhinc tempore, ex superioribus Fenniae provinciis gente Lapponum, non repetamus; assignatum Bircarlorum conatibus tempus (circa A. C. 1277) ab expeditione Ducis *Birgeri*, Tavastos primum subjugantis (circa A. C. 1249), non longius distat, quam ut hanc illis dedisse ortum, valde queat probabile videri. Non jam dicam, haud abhorrere a vero, Svecos victores subactis Tavastis in vicinos quoque Lappones extendere imperium voluisse, zelo religionis Christianae propagandae vel incitamentum sibi vel praetextum facile suggerente; pellium etiam mercatus et frequens illis temporibus et proficuus, Tavastis jam antea vix incognitus, cui materiam venatus Lapponum opportunam uberemque praebebat, idem hoc sponte parere consilium potuit. Ac diu postea incolas paroeciarum Tavastiae (a qua Satacundia accurate nondum fuit distincta), sylvas, piscatus, remotioresque tractus (nostris *Erä-maat* dictos) in regione limitanea, Ostrobotniae vicina possedisse, nota res est ¹⁾; quorum quidem hoc dominium non modo ad ulteriores etiam Ostro-

¹⁾ Cfr. *Tidningar utg. af et Sällff. i Åbo a. 1776 p. 67—72; a. 1777 p. 20 sq. 67 sqq.*

botniae sylvas et piscatus olim se extendisse, sed *Lappones* quoque ipsos ea loca pererrantes, nominatim comprehendisse, literae sequentes planissime docent, e *Registro Ecclesiae Aboënsis* ²⁾ exscriptae:

De Kandala littera Magni Kaasa pro anima Bo Joansson 1390.

Teth see allom mannom vitherlikith, ath iak Magnus Kazi, fogothe i Tavastelandh, kennis mik met thesso mino opno breffue, mik haffva vnth ok giffuit Candalla gooz for hederlix manz siael, Boo Joanssons, vnder sancte Henrics Kirkio j Abo, ok sva met skelom: aer thet sva, ath aervingiaena vilia thet for:da gooz ather lösa aff Domkirkione for C mark svenska peninga, tha skal thom thet staa j vidherbydhi; Tha Domkirkion haffuer the for:da C mark, som forre sakth aer. Fframledis affhaender jak Magnus Kazi thet for:da goozeth vndan Boo Joanssons arffvm, gud hans siael haffvi, ok undir sancte Hinrix Kirkio i Abo, som forre sakth aer, med aker ok aengh, skoogh ok faegang ok fiskevatn, ok vthan ok innan, met allom tillagom, som thy gooz tilhörir ther thet ligger. Framledis aer vndan skilth thera jkorna-skoga ok thera fiskewatn, som ligger noor j Botnen, ok swa the Lappa, som vnder then gardhen varit haffuer. Til thaess mera visso, tha hafver iak, Magnus Kazi, skooth thet for:da goodz vndher Domkirkion j Abo, a sattho tinghe j Saris, met enom forskelomanne, som aer Claus Diaegn, Domare i Tavastelandhe, ok met XII fastom, som haer epter naempnas, som aer först Lauris aff Thartila, Andris ther sama statz, Nicles j Sillathaka, Thiidheman aff Kalalax, Andris aff Kyas, Mikkel aff Saris, Olli Kennoynen, Heycki aff Lauchiala, Jvnne aff Vrdhiala, Paul af Woolth, Heyki aff Kylmakoski ok Heyki aff Konholtha. Til thaess mera visso ok vitnissbyrdh, tha haenger iak Magnus Kazi mitth incigle for thetta breff, med Claus Diaegns incigle, Domare ther-

²⁾ Vulgo *Åbo Domkyrkas Swart-Bof* dicto, (de quo Cfr. Tidn. utg. af et Sällff. i Åbo a. 1782 p. 349 sq. et a. 1785 Bij. p. 83 sq. Not. *); ubi exstant hae litterae fol. 150.

sama statz. Scriptum Saris Anno D:ni M^oCCC^oXC^o in vigilia epiphaniæ D:ni.

Apertius nihil esse potest, quod ex his literis liquet, (centum fere annis post ortam Bircarlorum societatem scriptis), Tavastos per Ostrobotniam quoque, parum adhuc cultam, late dominium exercuisse, nec silvas modo venatui aptas et piscatus, etiam a suis domiciliis remotiores (norr i Botnen), sibi vindicasse, sed *Lappones* quoque ea loca antea tenentes, servorum instar glebae adscriptorum, subiectos tributariosve factos, fundis suis annexuisse; quod vim adhibitam et consilia talia, qualia Bircarlis tribui supra vidimus, non obscure prodit.

§ IV.

Negatum tamen nullo modo volumus, Tavastos, (id quod etiam allatae supra traditiones produunt) jam ante haec tempora quibus Bircarli Lapponibus subjugandis animum adiecerunt, terminos suae regionis egressos silvam magnam quae Tavastiae dicitur pervasisse, jugoque quod Ostrobotniam quasi munit (Sandtryggen) superato, in meridionalem hujus provinciae partem sese diffudisse, ac Lapponibus submotis, ad littora usque sinus Botnici esse progressos. Confirmatur haec res Historia belli a Duce Birgero contra Tavastos suscepti, qualis a scriptoribus Svecis traditur; qui exercitui ejus navibus egresso hostes mox obviam venisse narant¹⁾. Addit ad breves antiquiorum narrationes MESSENIUS, pro more suo multa, pleniorum nobis exhibens expe-

¹⁾ Vid. *Chronicum majus Rhythmicum*, ed. HADORPHII, p. 22; quamvis dubitare lector intelligens nequeat, quin mendaciunculis inspergendis apparatuque bellico et victoriae (a miseris barbaris reportatae!) splendore magnifice pro sui modulo ingenii praedicando, poetam se auctor praestare studuerit. Sequitur eum ERICUS OLAI, addens etiam *Svecorum navalem exercitum applicuisse portui Tavastorum*. Qui tamen ubi locorum situs fuerit, non significat. *Hist. Svecor. Gothorumque* p. 108 sq. ed. Messen. a. 1615 4:o. Cfr. Nobiliss. LAGERBRING *Svea Rifles* §ift. T. II C. 12 § 40.

ditionis hujus descriptionem²⁾; sed quibus nixus monumentis eam adornaverit ignorantes, tam novo auctori de rebus his antiquis fidere non audemus³⁾. Post Bircarlorum vero societatem confirmatam, consiliumque ab his captum Lapponicae gentis non tam exterminandae quam sibi subjiciendae, multo latius illi fines dominationis suae celeriter ex-

²⁾ Dicit ille: (*A. 1249*) *Ericus Sveciae Rex, Finnorum provocatus borealium piratica, transmissio illuc exercitu, per affinem directo Birgerum Jerl, plerosque Ostrobotniensium, ad arma convolantium prosternit; his novos ex Svecia colonos sufficit; Ethnicos ad Christum superstites convertit, in binas cum Svecis divisos parochias, Pederborenses (Pedersörensens) scilicet et Muserensens (Mustasarensens); occasionemque rebellandi erepturus illis, praesidium erigit, Korsholmense, sub quo et civitas deinde consurgit.* Scand. Illustr. T. X p. 9. Cfr. EJUSD. *Chron Rhythm. Finland.* (ed. Aboae 1774, 8:o) p. 18 et 19.

³⁾ Si piraticam exercuisse, quod idem ait, hujus orae incolas sive Tavastos sive Ostrobotnienses, certum sit; credibilius videri queat narratio *Chronici Rhythmi*, cui adstipulatur ERICUS OLAI (vid. l. l. c. c.) barbaros de adventu Svecorum tempestive fuisse edoctos, iisque resistendi consilia instruxisse ac vires haud spernendas comparasse. Russis autem Tavastos illo tempore subjectos fuisse, quod *Chronici* ejusdem auctor suspicatur, canens

Thet samma land wart alt Christit,
Jaf troor thet Ruska Konunger mistit,

non videtur probabile; quamvis amicitia fortassis societateque cum iis, ac imprimis Careliis eorum foederatis, fuisse conjunctos, a vero non abhorreat: metu armorum Svecicorum, religioni suae non minus quam libertati inimicorum, Fennicas nationes habente sollicitas. In Bulla certe Papae *Gregorii IX*, ubi de immanitate Tavastorum et crudelitate in Christianos queritur, dicitur eos „*procurantibus inimicis crucis prope positis ad antiqui erroris reversos perfidiam, cum quibusdam Barbaris novellam Ecclesiae Dei plantationem — subvertere.*“ (Vid. VASTOVII *Vitis Aquilon.* p. 176, ed. Colon. GRUBERI l. c. p. 261, vel RAINALDI *Annal. Eccles.* T. 13 p. 457). Circa haec etiam tempora Russos (sc. Novogrodenses) imperium in Carelios affectasse, atque partim acquisivisse, constat. Vid. TORFAEUS *Hist. Norveg.* P. III p. 266; cfr. MÜLLER *Saml. Russischer Gesch.* V B. p. 419.

tendisse reperiuntur⁴). Initio enim seculi XIV controversias jam inter illos et Helsingos de limitibus juribusque aliis fuisse, ex literis patet, quas illarum consopiendarum caussa a *Canuto Joannis*, Dapifero Regis Magni (adhuc pupilli) datas, in lucem edidit PERINGSKÖLDIUS⁵). Docent hae lit-

4) Cum qui dux eorum editur *Kurkius*, praenomen *Matthiae* habuisse dicatur; dubium non est, quin post tempora Christianae religionis in Tavastiam introductae ille vixerit. Non facit autem nihil ad veterem confirmandam traditionem, qua *Bircarli* Fennicae fuisse propaginis perhibentur, vocabulorum Lapponicorum quae mercaturam spectant, nec domestica Lapponibus fuisse videntur, fere omnium origo manifeste Fennica: non tam cum Svecis, quam cum Fennis prima eos olim commercia exercuisse, prodens. Sic *Astet*, emere (Fennice *Ostaa*), *Arvo* pretium (F. *Arvio*), *Raha* pellis ferina carior, it. pecunia cujus nempe loco adhibita fuit (F. *Raha* pecunia), *makset* debitum persolvere (F. *maxaa*), *Welke* aes alienum (F. *Welka*), *Tawer* thesaurus (F. *Tavara*), *Lokket* numerare (F. *Lukea*) etc pure Fennica sunt.

5) *Monum. Upland. L. I, C. I, p. 5*; quas quia breviores sunt, exscriptas dabimus. Ita vero habent: *Nos Kanutus Joanson, illustris Regis Sveciae ac Norwegiae Dapifer, tenore praesentium ad publicam deducimus notionem, quod anno Domini MCCC vicesimo octavo, die Lunae, ante nativitatem beatae Mariae Virginis proxima, in Parlamento Telgis habito, inter Helsingos ex parte una, et Birkarlaboa ex parte altera, in praesentia nostra taliter extitit placitatum: videlicet quod extrema pars Helsingiae versus aquilonem, quae ad amnem dictum Ulo et stagnum Ulothräff usque protenditur, inhabitari et utique coli debeat absque impeditioe et inquietatione cujusquam, secundum tenorem literarum Domini nostri Regis super hoc antea collatarum, quas semper in suo vigore convenit inviolabiliter observari, et quibus per praesentem placitationem in nullo penitus derogetur; ab hiis tamen qui per Officialem Domini nostri Regis in Helsingia constitutum illic ad habitandum loca susceperint, sive Birkarla fuerint, sive alii quicumque, tributum antequam Dominus noster praedictus legitime annos aetatis attigerit, nemo levare debeat. Qui etiam Officialis inter illos qui illie caeperint habitare, de negotiis emergentibus jurisdictionem habeat, et justitiae faciet complementum. Item extitit placitatum quod homines silvestres et vagos, vulgariter dictos Sappa, in suis venationibus nullus debeat impedire, nec etiam praefatos Birkarlaboa ad*

terae *Bircarlos*, qui *Birkarla* et *Birkarlaboa* promiscue dicuntur ⁶⁾, non modo commercia cum Lapponibus, Helsingiae (ad quam tota quoque tum pertinuit Vestrobotnia) vicinis factitasse, sed eorum etiam jus liberum venandi asseruisse; quos, etiam qui occidentale sinus Botnici latus accolebant, late jam subegisse videntur ⁷⁾.

eosdem *Xappa accedentes, apud ipsos commorantes, vel ab eis cum suis rebus denuo revertentes; Articulo isto sicut et primo usque ad praefati Domini nostri Regis annos legitimos tantummodo perdurante. In cujus placitationis testimonium, praesentes literas nostri Sigilli munimine duximus roborandas. Datum anno, die et loco supradictis.*

⁶⁾ Quod observavit jam SCHEFFERUS, qui literis his usus est; et hinc confirmari traditionem de oriundis ex *Birckala* parocia Tavastiae *Birkarlis*, collegit, l. c. p. 156.

⁷⁾ Vestrobotniam nuper coepisse colonis frequentari, ex his iisdem patet literis, quos partim Helsingos fuisse, partim *Bircarlos*, docent: qui novi habitatores, Lappones propius versus montes Norvegicos a sinus Botnici vicinia rejecerunt; unde *Bircarlis*, liberum sibi ad Lappones (quibuscum sibi solis negotiandi jus fuit) per Helsingorum ditionem transitum stipulare necesse fuit. Cfr. LAGERBRING l. c. T. III C. 3, § 13. Eodem tempore orientalem quoque oram Lapponibus ereptam novis incolis jam fuisse cultam, ex edictis patet Regis *Magni* atque Episc. *Hemmingi*, ad sacerdotes plebemque in *Sahu* et *Kim* habitantes de pendendis decimis a. 1329 et 1335 datis, (vid. MATHEsii disp. de *Ostrobotnia* p. 29 et *Novell. Aboëns.* a. 1785 p. 89). Hos tamen incolas, non *Tavastos* sed *Carelios* fuisse, ex testimonio patet edito a *Joanne* quodam *Langer*, occasione litis de limitibus inter Dioeceses Upsaliensem et Aboënsam olim agitatae, ubi inter alia legitur: *Dixit quod idem D:n Hämingus Archi-Episcopus* (inter a. 1342 et 1351) *protunc baptizavit in Tornö circa viginti personas, tam de Lapponibus quam etiam de Karelis, habitantibus in Uloaa, Kim et Sim.* etc. Vid. PERINGSKIÖLD l. c. p. 4 et 5. Ostendunt haec omnia, *Bircarlos* Lapponibus semper imminentes, eosque migrantes acriter persecutos, non tam de terra eorum occupanda, quam hominibus ipsis subjugandis (quod solum jus illis tributum erat) fuisse sollicitos, studioque deditos lucri ex tributis ab his pendendis commerciisque cum iis factitatis reportandi, agros qui Lapponum olim fuerant, aliis colonis exercendos non difficulter permisisse.

Appendix.

| <i>Lapp.</i> | <i>Fenn.</i> | <i>Eston.</i> | <i>Svec.</i> | <i>German.</i> |
|----------------------------|--------------------|---------------------------|--------------------------|------------------------|
| Åive | Pää | Pea, pä | Hufvud | Haupt. |
| Kallo | Otza ¹⁾ | Otsus | Panna, äne | Stirn. |
| Tjalme | Silmä | Silm | Öga | Auge. |
| Njuone | Nenä | Ninna, nenna | Näsa | Nase. |
| Njalme | Suu | Su | Munn | Mund. |
| Padne, pane | Hammas | Hammas | Tand | Zahn. |
| Njuoktiem | Kieli | Keel | Tunga | Zunge. |
| Njär | Poski | Palg, põsk | Kind | Wange, Bac- ken. |
| Pelje | Korva | Körv | Öra | Ohr. |
| Wuopt | Hiuxi | Juuksed | Hår | Haar. |
| Tjäpot | Kaula | Kael | Hals | Hals. |
| Tjädd, karas | Kurkku | Kurk | Strupe | Gurgel, Kehle. |
| Tjuros (niska, nekke) | Niska | Kuckal, kukker | Nacke | Nacke. |
| Åike, hardo | Olka | Olla, piht | Axel, härdar, skuldra | Achsel, Schul- ter. |
| Mjälga ²⁾ radde | Rinda | Rind | Bröst | Brust. |
| Nidtje | Nisä | Nissa | Spena | Spene. |
| Påktio, tjavelk | Selkä | Selg | Rygg | Rücken. |
| Tjäive | Vaza, maha | Maggo, köht ³⁾ | Mage, buk | Magen, Bauch. |
| Ertek ⁴⁾ | Kylki, sivu | Kylg | Sida | Seite. |
| Kät | Käsi | Kässi | Hand | Hand. |
| Suorm, tiute ⁵⁾ | Sormi | Sörm | Finger | Finger. |
| Pelge | Peukalo | Päk, peial | Tumme | Daume. |
| Qwepper (kads) | Kynsi | Kyys | Nagel (klo) | Nagel (Klau). |
| Ruoit ⁶⁾ | Reisi | Reis | Lår | Schenkel. |
| Puolw | Polvi | Pölw | Knä | Knie. |
| Njäts | Sääri | Seer | Ben, skenben, lägg | Bein. Schein-bein. |
| Juolke | Jalka | Jalg | Fot | Fuss. |

1) *Kallo* Fennis est *Cranium*.2) *Mieli* Fennis est *mens*.3) *Kohtu* Fennis *uterus*.4) *Ääri* Fennis *limes, margo, latus*.5) *Digitus manus l. pedis*. *Digitus pedis* Fennis *Warvas*.6) *Ruoju* Fennis *femur*.

| <i>Lapp.</i> | <i>Fenn.</i> | <i>Eston.</i> | <i>Svec.</i> | <i>Germ.</i> |
|---|---|---------------------------------|----------------|----------------------|
| Påske | Kanda (kinttu) | Kand | Häl | Ferse. |
| Keppa | Keuhkul.kouh- kot, täky pl. tädyt | Täü, kops | Lunga | Lunge. |
| Waimo, tsåkke | Sydän | Sydda | Hjerta | Hertz. |
| Warr, male, leipe 7) | Weri | Werri | Blod | Blut. |
| Tjärwe | Sarvi | Sarv | Horn | Horn. |
| Piärgo, ädtje | Liha | Libha | Kött (flåsk) | Fleisch. |
| Tjåle | Suoh | Solik | Tarm | Darm. |
| Suona, suodn | Suoni | Soon | Sena | Sehne. |
| Wuoidnei, kät- jet | Katsoa, nähda | Kaema, näg- gema | Se | Sehen. |
| Kullet | Kuulla | Kuulma | Höra | Hören. |
| Hapset | Haista | Haistama | Lukta | Riechen. |
| Smakot | Maista | Maistma | Smaka | Schmecken. |
| Tåbdet | Tuta | Tundma | Kånna | Kennen, füh- len. |
| Avohet I. avo- set 8), kerjo- tet, sjobma- het | Iloittaa, (rie- muita) | Römustama | Glådja, fröjda | Erfreuen, freuen. |
| Surgot | Sureta | Kurbastama (dolorem afferre) | Sörja | Trauern. |
| Valot | Valittaa | Hallastama | Klaga | Klagen. |
| Tjerot | Itkiä | Ikma | Gråta | Weinen. |
| Måratet | Vihastua | Vihbastama | Vredgas | Zürnen. |
| Kåtsset | Valvoa | Valvama | Vaka | Wachen. |
| Ådet 9) | Nukkua 9) | Maggama | Sofva | Schlafen. |
| Pallet, starbet, åurot | Peljätä | Peljama | Rådas, frukta | Fürchten. |
| Katjat | Kysyä | Küssima | Fråga | Fragen. |
| Vastatet, sva- rot, tavestet | Vastata | Vastama | Svara | Antworten. |
| Tjodjot | Seisoa | Seisma | Stå | Stehen. |
| Vadset | Mennä, vael- daa | Minnema, käu- ma | Gå, vandra | Gehen. |

7) *Leppä Fennis cruor.*8) *Avu Fennis virtus, dos mentis.*9) *Uni Fennis somnus, Lapponibus ådem et nakkar, Esto-
nibus unni; pro eo autem quod est dormire, hi dicunt cubare,
ob arctam ideae utriusque cognationem.*

| <i>Lapp.</i> | <i>Fenn.</i> | <i>Eston.</i> | <i>Svec.</i> | <i>Germ.</i> |
|---|---------------------------------------|-----------------------|---------------------------|--------------------------|
| Viäket, varret | Juosla | Jooksma | Löpa | Lauffen. |
| Mannet, reiset, matkostallet | Mennä, vael- daa, matkus- taa | Reisma, teed käüma | Resa | Reisen. |
| Tjäkkahet | Istua | Istma | Sitta | Sitzen. |
| Vällahet, jal- kahet | Makaa | Maas, mag- gama | Ligga | Liegen. |
| Piäbmo | Ruoka, syömä | Roog, söök | Mat, spis | Essen, Speise. |
| Piäbmotallet, pårret ¹⁰⁾ | Syödä | Sömä | Äta | Essen. |
| Kasket, pårret, suosket, stå- let | Purra | Purrema | Bitu | Beissen. |
| Jukket | Juoda | Joma | Dricka | Trinken. |
| Nelget | Nelkä | Nälg | Hunger | Hunger. |
| Käikelvas | Jano | Janno | Törst | Durst. |
| Njälet | Niellä | Neelma | Svälja | Schlucken. |
| Njälot | Nuolla | Lackuma | Sleka | Schlecken, lec- ken. |
| Piägget, pus- sel | Puhua, puhal- daa | Puhhuma | Bläsa | Blasen. |
| Vuoignestet, lagket, adda- net | Hengittää | Höngama | Andas | Athmen. |
| Pjävastet | Hikoilla | Higgistama | Svettas | Schwitzen. |
| Päkostet, tjai- metet | Nauraa | Naerama | Skratta, le | Lachen. |
| Kålot ¹¹⁾ | Palella | Külmama | Frysa (algere) | Frieren. |
| Kalmet | Kylmettyä, kylmendyä, kahoittaa | Kahhotama | Frysa (conge- lascere) | Frieren. |
| Pateret | Paeta, karata | Pakkema | Fly | Fliehen. |
| Viesot, tsak- ket, jelet | Elää | Ellämä | Lefva | Leben. |
| Jabmet, luitot, tsauketet, mutset | Kuolla | Koolma | Dö | Sterben, (Tod, mors). |
| Wuotjet | Ambua, jou- tella | Laskma | Skjuta | Schiessen. |

¹⁰⁾ *Purra* Fennis *mordere*.

¹¹⁾ *Kolko* Fennis *frigidus*.

| <i>Lapp.</i> | <i>Fenn.</i> | <i>Eston.</i> | <i>Svec.</i> | <i>Germ.</i> |
|---|--|------------------------------------|--------------------------|--------------------------|
| Pättjet | Lypsää | Lüpsma | Mjölcka | Melcken. |
| Käddet, latket, iabmetet | Tappaa, ku- lettaa | Tapma, sur- mama, ku- letama | Döda | Tödten. |
| Niuovet, skid- det, niasket, slaktet | Nylkeä, (teu- rastaa) | Nylgma | Flå, skinna, (slagta) | Schinden (Schlachten) |
| Quopastallet, näitot | Noitua, Loi- tzia | Noidma | Trolla, häxa | Zaubern, he- xen. |
| Qwopes | Noita, velho, loizia (com- munis gene- ris) | Völho | Häxa, troll- packa | Hexe. |
| Wuosset, tu- oltehet, ma- lestet | Keittää (kyp- setä, kiehut- taa) | Keetma | Koka | Kochen. |
| Attje | Isä | Issa | Fader | Vater. |
| Edne | Äiti (emä) | Emma | Moder | Mutter. |
| Välja | Veli | Velli | Broder | Bruder. |
| Äbba, ärben | Sisar | Sössar | Syster | Schwester. |
| Älma, kalles | Mies | Mees | Mann | Mann. |
| Qwujn | Waimo, nainen | Naine | Quinna | Weib. |
| Nisun, ¹²⁾ akka | Waimo, akka | | Hustru, gum- ma | Frau, Weib. |
| Mana, juglo | Lapsi | Laps | Barn | Kind. |
| Pardne, ¹³⁾ alge | Poika | Poig | Son | Sohn. |
| Neita, ¹⁴⁾ dak- tar | Tytär | Tütтар | Dotter | Tochter. |
| Pädnie, kalles | Ukko, Äijä ¹⁵⁾ | | Gubbe | Greis. |
| Wuoras, rake, äbme ¹⁶⁾ ämastum, tol- lots | Wanha | Vanna | Gammal | Alt. |
| Nuur | Nuori | Noor | Ung | Jung. |
| Äddä | Uusi | Uus | Ny | Neu. |

¹²⁾ Cognatum Fennico *Nisä*, Mamma?

¹³⁾ Cogn. Svecico *Barn*?

¹⁴⁾ *Neito*, *Neitzy*, Fennis *virgo*.

¹⁵⁾ *Aija* Lapponibus *avus*; it. *tonitru*.

¹⁶⁾ Cognatum Fennico *home situs*? *Vetulam dicunt con-
tentim homeh-korva, cui aures situ horrent.*

| <i>Lapp.</i> | <i>Fenn.</i> | <i>Eston.</i> | <i>Svec.</i> | <i>Germ.</i> |
|-------------------------|------------------------------|-------------------|--------------------|-----------------------|
| Alme ¹⁷⁾ | Taivas, ilma | Taivas, tuul | Himmel, luft | Himmel, Luft, Wetter. |
| Peive | Päivä, auringo | Päiv | Sol (dag) | Sonne (Tag). |
| Ask, mano | Kuu | Ku | Måne | Mond. |
| Naste, taste | Tähti | Täht | Stjerna | Stern. |
| Ija | Yö | Õ | Natt | Nacht. |
| Iddiet, aret | Aamu, huomen | Huome, om-muk | Morgon | Morgen. |
| Ekked | Ehto, ilta | Õht | Afton, quäll | Abend. |
| Qwolmo | Hämärä | Hämärük | Skykning | Dämmerung. |
| Palw | Pilvi | Pilv | Moln | Wolcke. |
| Abre, rasio | Sade | Sado, vihm | Regn | Regen. |
| Muot, lobme | Lumi | Lummi | Snö | Schnee. |
| Jägna | Jää | Iä | Is | Eis. |
| Wiro, pjägg | Tuuli, myrsky, puuskaus | Tuul, tuisk | Blåst, wind, storm | Blast, Wind, Sturm. |
| Murko, rusn, kasad | Sumu, utu, kaasu | Uddsu, kaste | Dimba, töcken | Nebel. |
| Tjästem, paiko, pruösse | Wilu, kylmä, pakkänen, kolko | Külm, villo | Köld | Kälte. |
| Niatso, slibdse | Suoja | Sulla | Blida | Thau-Wetter. |
| Filpetak | Kino, nietos | Ang | Snödrifva | Schneehaufen. |
| Täll | Tuli, valkia | Tulli | Eld | Feuer. |
| Tjatse | Weši | Wessi | Watten | Wasser. |
| Säv, mär | Meri | Merri | Haf | Meer. |
| Iaure, plueve | Järvi | Iärv | Sjö | See. |
| Kadde, tjärv, terbme | Parras, randa, ääri | ÄÄr, rañd, Weer | Strand | Strand, Ufer. |
| Lukt | Laaxi, lahti | Merre-nurk | Vik | Meer-busen, See-b. |
| Snjijto | Hohku, liekki | Lek | Låga | Flamme, Lohe. |
| Pradde ¹⁸⁾ | Hiili, syssi | Süssi | Kol | Kohle. |
| tjadd | | | | |
| Noffel | Kekälä | Tungel, pölle-tus | Brand | Brand. |
| Suowa | Sauwu | Sau | Rök | Rauch. |
| Kuna | Tuhka | Tuhk | Aska | Asche. |

¹⁷⁾ Significat *coelum*, etiam *aëris intemperiem*. Fennis *ilma* est *aër*, coeli aërisque conditio, Svec. Wäderlek.

¹⁸⁾ Cognatum Svecico *Brand*?

| <i>Lapp.</i> | <i>Fenn.</i> | <i>Eston.</i> | <i>Svec.</i> | <i>Germ.</i> |
|---|--------------------------------|----------------|------------------------|----------------------|
| Iokk, ädno, kolkats | Joki | lõggi | Elf, å, flod, ström | Fluss, Strohm. |
| Aja ¹⁹⁾ | Lähde | Lätte | Källa | Qwille. |
| Suolo | Salo, saari, luoto | Saar | Ö, holme | Insel, Eiland. |
| Paro | Aaldo, Laine | Laene | Våg | Welle, Woge. |
| Ware | Wuori | Mäggi | Berg | Berg. |
| Kaisse, tuod- dar | Tunduri | | Fjäll | Gebirge, Al- pen. |
| Täwa, puold, meto ²⁰⁾ , vuo- sto, wera, nält. | Ahde, mäki | Mää, kiink | Backe | Hügel. |
| Ädnam, elme, land. | Maa | Ma | Land | Land. |
| Pahte, klai- po, ²¹⁾ qworgo | Kallio, kari, Riutta, paasi | Kaljo, paas | Klippa | Fels, Klippe. |
| Kedke | Kivi | Kivvi | Sten | Stein. |
| Ruomse, Mä- san | Sammala | Sammal | Mässe | Mooss. |
| Suis, kiäwa | Suo, Newa | So | Kärr | Sumpf, Mo- rast. |
| Launie, tarfe | Turwe | Mettas, turwas | Torf | Rasen, Torff. |
| Akke, grase | Ruoho | Roht, rohhi | Gräs | Gras. |
| Åkse, suorge | Oxa, (haara) | Ox | Gren, quist | Zweig, ast. |
| Last | Lehti | Lehhet, leht | Löf, blad | Laub, Blatt. |
| Muorje | Marja | Marri | Bär | Beere. |
| Ruottes | Juuri | Iuur | Rot | Wurtzel. |
| Muor | Puu | Pu | Träd | Baum. |
| Wuobme, Wu- owde | Metzä | Metz | Skog | Wald. |
| Sjaddet | Kasvaa | Kasvama | Växa | Wachsen. |
| Taggnas | Kanerwa | Kannarik | Ljung | Heide. |
| Leipe | Leppä | Lepp | Al | Erle, Eller. |
| Fåke | Koivu | Kõiv | Björk | Bircke. |
| Suppe | Haapa | Haav | Asp | Espe, Aspe. |
| Kuosa | Kuusi, Mändy | Tõrvamän | Gran | Fichte. |
| Kaskes | Katava | Kaddakas | En | Wachholder. |
| Petse | Honga, Petäjä | Män, Pädäjas | Furu | Tanne. |

¹⁹⁾ An a Fennico *ajan* pello, urgeo? unde *ajo* tumor.

²⁰⁾ Fennis *mätäs* altior cespes, tuber.

²¹⁾ Svec. *Klippa*.

| <i>Lapp.</i> | <i>Fenn.</i> | <i>Eston.</i> | <i>Svec.</i> | <i>Germ.</i> |
|---|--|-----------------------------|-----------------------|------------------------|
| Waissje, jut- tus | Eläin | Lojus, ellajas | Djur | Thier. |
| Stalpe, stakke, varg, Seipeg, qwotsanje | Susi | Sussi, hunt | Warg, ulf | Wolff. |
| Repe | Kettu, repo | Räbbane | Räf | Fuchs. |
| Niommel | Jänes | Jännes | Hare | Hase. |
| Bire, quoptia, puoldakas | Karhu, ohto, kondio, nalli | Karro | Björn | Bär. |
| Wadnem | Maja, majava | Majaja | Bäfver | Biber. |
| Tjäura | Sarva l. Saar- va, Sauko | Saarva, saarm | Utter | Otter. |
| Nete, Mart | Nätä | Nuggis | Mård | Marder. |
| Ärre | Orava | Orrav | Eckorn | Eichhorn. |
| Tjaske, Puoi- tek | Kärppä | Narrits, nirk, kärp | Hermelin, le- katt | Hermelin, Wie- sel. |
| Lafa | Kirppu | Kirp | Loppa | Floh. |
| Tikke, härse | Täi | Täi | Lus | Laus. |
| Matok, suoksta | Mato | Us, maokenne | Matk | Wurm. |
| Kåtka, Kåta- kes ²²⁾ | Muurainen, vi- holainen, Ku- silamen | Sipplik, kus, sekuklenne | Myra | Ameise. |
| Kärbma | Kärme, mato | Maddo | Orm | Schlange. |
| Tjuoik | Hyttyinen, itik- ka, sääski | Sääsk, kihhud | Mygga | Mücke. |
| Snjära, tsä- panje | Hiiri | Hiir | Råtta, mus | Maus, Ratze. |
| Tjuroch | Kärväinen | Kärbne | Fluga | Fliege. |
| Lådde | Lindu | Lind | Fogel | Vogel. |
| Quele | Kala | Kalla | Fisk | Fisch. |
| Karres, puo- siak | Kova, | Kovva, kange, karre | Hård | Hart. |
| Tibmok, lenok toikes, njuot- ses | Pehmiä | Pehme | Miuk, len, vek | Weich. |
| Kukkes | Pitkä | Pitk | Lång | Lang. |
| Ädne, änekes | Lyhykäinen | Lyhhikä | Kårt | Kurtz. |
| Njuolgok, tseggot | Oikia | Öige | Rak, rätt | Gerad, recht. |
| Kawac, mål- kek, kräutjok | Wäärä, käurä | Kövver, kokus | Krokig | Krumm. |

²²⁾ A *Kådtiet* mingere.

| <i>Lapp.</i> | <i>Fenn.</i> | <i>Eston.</i> | <i>Svec.</i> | <i>Germ.</i> |
|--|---------------------------------|----------------------|---------------------|-----------------|
| Stuor, jänjok | Iso, suuri | Suur | Stor | Gross. |
| Utses, uttje | Wähä, pieni | Lyhhike, vähhä | Liten | Klein. |
| Velkas, jeuje | Walkia | Valge | Hvit | Weiss. |
| Tiappes, Suortak | Musta | Must | Svart | Schwarz. |
| Nuopses | Punainen | Punnane | Röd | Roth. |
| Gruonas, gruodnes | Vihäriäinen | Rohhilinne | Grön | Grün. |
| Viskes | Keltainen | Kellane, kollane | Gul | Gelb. |
| Puotses, stäbtia | Sairas, kipiä | Többine, haige | Sjuk, krank | Siech, krank. |
| Warres | Terwe | Terwe | Frisk, sund | Gesund, frisch. |
| Losses, leulok | Raskas, kangia | Kange, raske | Tung, svår | Schwer. |
| Keppes, keives | Keviä, köykäinen, huokia, helpo | Kerge, hölpus, kebia | Lätt | Leicht. |
| Käike, assnes, jagnas | Kuiva | Kuiv | Torr | Trocken, dürr. |
| Luväs, naives, nietses, njuoskes, suoldnos, täbbos | Märkä | Märg | Våt, fuktig | Nass, feucht. |
| Tjabhc, fauro | Kaunis | Kaunis | Vacker, skön, fager | Schön, hübsch. |
| Wastes, räbmes | Ruma | Illota, kurri, ropp | Ful | Hässlich, faul. |

§ V.

Praeter allatas jam rationes: nempe *Lappones* olim in Finlandia passim fuisse vagatos ¹⁾, eosdem tempore adhuc Regis MAGNI, quo prima Bircarlorum molimina incepisse, traditur, Tavastis contiguos fuisse, atque hos aliquos saltem illorum per Ostrobotniam dispersos, revera sub iugo tenuisse; praeterquam quod Litterae Drotzeti *Kanuti Joansson*, supra (in not. ⁵⁾ ad § IV) exscriptae, Bircarlos insignite nominent *Birkarlaboa*, et ab *Helsingis* ²⁾ expresse distin-

¹⁾ Etjam non procul a mari in vicinia novae Ecclesiae Fennicae, Lappones degisse ac in Christianos odium exercuisse; Bulla docet Papae *Gregorii IX* (data Lugduni a. 1230), Archiepiscopo Upsaliensi et Episcopo Lincopensi missa, jubens ut inhibeant, ne quis Christianorum, paganis in Karelia, Ingria, *Lappia* et Watlandia ferrum, arma vel ligna deferat aut apporet; quo eorum crudelitas in Svecos, avertatur. Vid. A. CELSE *Apparat. ad Hist. Sveo-Goth.* Sect. I p. 63; cfr. Diss. D:ni Praesidis in *Pauli Juusten Chronicon Episcoporum Finl.* p. 60 sq.

²⁾ Difficile igitur fuerit credere, quod plurimis tamen nostris Historicis, SCHEFFERI auctoritate contemta, arridet, illos nil nisi *Rusticos Helsingos*, mercaturae deditos, fuisse. Nam ipsam provinciam Vestrobotniae ad *Helsingiam* pertinuisse, (quae ad fluvium Uleå se olim extendit), adeoque incolas illius indigenas Helsingis fuisse adnumerandos, dubio caret; cur igitur, si omnes novi coloni Helsingi erant, non modo indefinite adeo nominantur, *qui per Officalem — Regis in Helsingia constitutum illic ad habitandum loca susceperunt*, sed etjam additur: *sive Birkarla fuerint* (inter quos, *Birkarlaboa* eodem loco nominatos, et *Helsingos* pactionem factam fuisse, paullo ante significatur, mira locutione si generis *Helsingici* utrique habiti fuissent), *sive alii quicumque?* Ex quibus etjam Litteris non modo non liquet, Bircarlos antea et ab initio in Vestrobotnia habitasse, sed etjam contra, illos tum demum, loca fluvio Uloensi vicina occupare coepisse, effici posse videtur? — Caeterum vel hae Litterae, a. jam 1328 datae, probant minus accurate pronunciasse *D: num SCHÖNINGIUM* (*Forfög til de Nordiske Landes, særdeles Norges gamle Geographie* p. 127 sqq.), Bircarlos tempore demum Unionis Calmariensis invenisse occasionem limites suos (fluvium Uloensem) transgrediendi et Lappones occidentalem sinus Botnici ripam tenentes adeundi: de jure enim commercii cum Lapponibus faciendi, ut antiquo et minime dubio, loquuntur.

quant: alia etjam argumenta eandem a veteri Lapponum ipsorum traditione profectam stabilire videntur opinionem, famosos sc. illos mercatores e Fenniae potius quam e Sveciae confiniis ortos primum fuisse.

Nempe memorabile primum est, Episcopum Aboënsem in controversia cum Archiepiscopo Upsaliensi de finibus utriusque Dioeceseos septentrionalibus olim (circa a. 1374) agitata ³⁾, testimonium de majori suo jure *Communitatis Satacundiae* (h. e. Ordinum regionis, *Satafunda Ständernes*) produxisse: ad quorum praecipue auctoritatem cur ille confugisset, nisi eos specialem de his rebus cognitionem per sua in parum cultis istis regionibus (ubi revera jura quaedam exercuisse, supra ⁴⁾ demonstravimus) acta negotia, acquisivisse, putasset? Exstant de hac re *Litterae Communitatis Satacundiae* ⁵⁾ in *Registro Aboënsi* fol. 12 et fol. 45 (atque et-

³⁾ Vid. PERINGSKÖLD *Monum. Upl. L. I, C. I, p. 3 sqq.*

⁴⁾ Vid. § III, p. 132 sq.

⁵⁾ Quas quia breviores, exscriptas hic dabimus. Duo autem earum habentur exempla, uno tamen eodemque loco et tempore datarum. Unum in veteri Libro inseribitur: *Littera communitatis Satagundie de limitibus inter Upsalensem et Aboënsem Episcopatus*; quod ita habet: *Universis presentes litteras inspecturis tota communitas terre Satagundie salutem in Domino sempiternam. Noverint universi, quod nos anno Domini MCCCLXX quarto, XVI die mensis Julii, apud ecclesiam Kumo generaliter congregati et ibidem per venerabilem patrem in Christo Dominum Johannem divina misericordia Episcopum Aboënsem, requisiti super limitibus inter archiepiscopatum Upsalensem et episcopatum Aboënsem in Norrabuthn ab antiquo servatis et in futurum observandis, notum fecimus et probare volumus juramentis nostris, cum et quociens requisiti super hoc fuerimus, quod limites in Norrabotn in modum qui sequitur sunt servati: videlicet quod Kakama] attinet archiepiscopatu Upsalensi et Kiemattuz (an Kemiträsk?) episcopatu Aboënsi, et subsequenter Yioki, Ulaioki, Sikaioki et Patsioki, et predicti limites inter archiepiscopatum Upsalensem predictum et episcopatum Aboënsem tanto tempore usque in hunc diem sunt servati, quod de contrario hominum memoria non existit, „prout non solum habemus per experientiam, verum etiam de hiis fidem recepimus per legitima parentum nostrorum documenta“. In quorum omnium evidenciam*

jam in Diss. MATHESII, Praes. GRÖNVALL, de Ostrobotnia, a. 1734 Upsaliae edit. § 2 not. d) leguntur typis vulgatae); quibus merito adjungimus, quod ibidem fol. 45 occurrit, de eadem re ab Episcopo Finlandensi prolatum testimonium Senatus urbici Aboënsis ⁶⁾): quem non nisi ex aliorum nar-

sigillum communitatis nostre presentibus est appensum. Datum et actum die anno et loco supradictis, presentibus clericis et laicis fide dignis.

Alterum, quod inscribitur: *Littera Communitatis Satagundie super Kim et Joky*, quodque l. c. exhibet MATHESIUS, hoc modo legitur: *Universis presentes litteras inspecturis omnes et singuli terram Satagundie inhabitantes, salutem in Domino. Noveritis quod nos anno Domini MCCCLXX quarto, XVI die mensis Julii, apud ecclesiam Kumo in publico placito congregati, requisiti fuimus, per reverendum in Christo patrem Dominum Johannem divina miseratione episcopum Aboensem, super Capellis Kem et Joki, videlicet an dicte Capelle infra limites archiepiscopatus Upsalensis vel potius infra limites Aboensis dyocesis in Norrabothen sese contingentes site existerent et fundate. Nos vero hujusmodi inquisitioni juxta consciencias nostras satisfacere cupientes ostendimus, sicut et juramentis nostris probare volumus requisiti, quod dicte Capelle Kem et Joky cum villis et annexis infra limites certos Aboensis dyocesis sunt constructe et tanto tempore subjecte erant regimini ecclesie Aboensis, quod de contrario hominum memoria non existit, sic quod ipsa ecclesia Aboensis in prefatis capellis libera et pacifica possessione fungebatur usque modo. De et super quibus omnibus premissis „non solum „nos per experienciam verum eciam per legitima propatrum nostrorum documenta recepimus plenam fidem.“ Datum sub sigillo communitatis nostre supradicte, anno, die et loco superscriptis, presentibus clericis et laicis fide dignis.*

⁶⁾ Ita audiens: *Allom mannom thetta breff see eller höra, helsom vij borgmestara oc radzmaen j Abo aeverdelika met varom herre. Fore then skuld at millan hederlika herra Archebiskopen aff Upsalom oc Biscopenom j Abo är kommen en osämja om tw kapella Kem och Joki, hvilko biscopsdöme the skulu heldre tilhöra, oc nu medhan oss är athspordt hvadh vi ther aff vitlum; Thy viljom vi ey thet löna som oss är therum kunnoc. Fore hvan skuldh kännomps vy met vare öpne breffue, at the for:de Kapella, Kem oc Joki, haffua vnder Abo Domkirkie aff aldher lighad, sva at engen finz then met oss som annat minnis; oc thetta troom vy santh at vara, forthy at vi haffuom al-*

ratione (forte ipsorum *Bircarlorum*, suas olim Aboam merces advehentium, atque hic exteris vendentium?) suam de hac re notitiam hausisse, ipsa illius verba (*oc thetta troom vy santh at vara, for thy at vi haffuom aldrigh annat sporth*) satis indicant; cum contra Satacundiae Communitas suam suorumque patrum *experientiam* alleget.

Confirmat deinde hanc rem etjam traditio *Isaaci Olai* Filii, Norvegi, apud Dn. HAMMOND (*den Nordiske Missions-Historie* p. 908 sq.) exhibita; quae subjugationem Lapporum Borealium, seculo, ut is narrabat, demum XV factam, *Quaenis* tribuit *orientalibus* (*Öst-Quäner*). Ita autem Norvegis audire *Fennos* Ostrobotnienses, notum est: quod se. nomen ab illa gentis *Quaenorum* parte, quae in septentrionali hujus provinciae regione, ad fluvium usque Uloënsem, olim habitavit, nostris adhaesisse videtur; eadem, ut solet, appellatione novis etjam postea ejusdem regionis incolis, quamvis genere omnino diversis, a vicinis (Lapponibus et Norvegis) tributa atque continuata?

§ VI.

Sed minus probabile videri debet, a parte potius Svecica, cum tamen Norrlandia non minus quam Finlandia Lappis fuerit contigua, lucrosa ista cum his commercia non fuisse ab hominibus suscepta? De hac re quae nobis sententia sedeat, ingenue aperiemus. Minime nos quidem Cel. SCHÖNINGIO concedendum esse putamus, totam non modo Lappiam, sed etjam Norrlandiam, olim Norvegis fuisse subjectam ¹⁾; multa obstant quo minus huic asserto nostrum addere calculum queamus: inprimis, ut vel ex OTHERI ab AELFREDO Anglorum Rege servata nobis narratione patet ²⁾,

drigh annat sporth. Scriptum Abo anno Domini MCCCLXX quinto, XI die May, sub sigillo civitatis nostrae in testimonium premissorum.

¹⁾ L. c. § 44 sqq.

²⁾ Cfr. Diss. Cl. Henr. WEGELII hic Aboae ed. a. 1788 (Praes. H. G. PORTHAN) *de antiqua gente Quenorum.*

quod Norrlandiae regionem borealiorem (etjam Borealem Ostrobotniae partem ad fluvium usque Uloënsen?) non a Lappis, sed a Quaenis olim habitatam fuisse, constet, qui et a *Lappis*, (OTHERI *Finnis*) distincti essent, et *Norvegorum* hostes se praeberent perpetuos, quibus igitur minime fuisse subjectos, oppido hinc patet. Quos, quia e terra quomodo prorsus quasi evanuerint, non reperimus, recentioribus monumentis ignotos, alio nomine recepto eandem esse nationem quae *Helsingorum* deinde nomine inclaruit, probabile putamus³⁾, ejusdemque igitur ac Sveci et Norvegi stirpis (e Germania olim ad ea loca advenam), sed antiquiorem ejus coloniam; quae hinc ad Sveciae Regni systema, prout notissimum est, (ut nec *Jamtia*), antiquitus haud pertinuit⁴⁾. Nomadicam hos Quenos egisse vitam, inde concludere licet, quod terra eorum a. adhuc 1335 valde inculta fuisse docetur⁵⁾; cum tamen *Kim*, *Sim* et *Salo* (hodiernae paroeciae

³⁾ Cfr. Diss. cit. § IV seq. — Si fidere *Adamo Bremensi* licet, nomen *Helsingiae* suo jam aevo notum erat; forte Svecis usurpatum? Norvegis autem tam mature haud fuisse familiare, qui a vicinis et familiaritate sibi junctis Lappis alterum illud gentis nomen (*Qveni*) didicerant, patet primo ex OTHERO, deinde etjam STURLONIDIS confirmari videtur narratione de ortu nominis, quod a *Thore Helsing* ille derivat (*R. Håkan Adalstens Fostres Saga* C. 14 et *R. Olof Helges Saga* C. 147). Testatur praeterea, adveniente *Thorone* non plane desertam totam repletam fuisse Helsingiam, sed partem ejus orientalem ad mare proximam, fuisse jam antea a Svecis habitatam. Ac probabilius videri potest, nomen illud *Helsing*, *Thoroni* ex nova patria, quam huic ab illo adhaesisse: vocabulum *Sals collem* significare docet IHRE (Gloss. Svio-Goth.), quod pluribus locis saepiusque occurrat, quam ut ab hujus hominis nomine ubique deduci commode queat. Postquam Queni, veteres terrae hujusce incolae, varie, ut videtur, fracti et diminuti (nec antea, puto, admodum frequentes) cum novis advenis Norvegis et Svecis coaluissent, eorum paullatim adoptantes mores et vitae rationem; aliud fortasse invaluit nomen, a Svecis maxime datum, quibus vetus *Quenorum* appellatio nunquam videtur fuisse usurpata?

⁴⁾ Cfr. SCHÖNING I. c. § 45 p. 108 sqq.

⁵⁾ Vid. PERINGSKÖLD I. c. L. I, c. 1 p. 2. Med Helsingeland har jämväl hela Westerbots landskap, fördom varit inräknadt,

Ostrobotniae septentrionalis *Kemi*, cui capella annexa Simo subest, et *Salö*) jam a. 1329 habitatae essent ⁶⁾, ita ut cultus quidam terrae a nostra Botniae parte maturior fuisse, quam ab occidentali illa videatur, ejus forte campos angustiores nec ob imminentes propius Alpes ad colendum aptissimos visos, incolas serius allexisse credas? Quae omnia ad quaestionem explicandam non sane nihil faciunt: cur a Fennica potius parte quam a Svecica, cum Lapponibus exerceri coeperint commercia?

Licet itaque, prout monuimus, per omnia SCHÖNINGIO assentiri haud queamus; dandum ei tamen hoc omnino existimamus, quod Norvegi cum Lappis borealibus, immo forte etjam aliis, Alpibus Norvegicis vicinis, maturius quam Sveci (qui ob interjectas cum sylvas ingentes, tum populum Qvenorum, ab iis olim essent remotiores) mercaturam fecerint; ac proxime ab Norvegis Fenniae incolae, quorum sedibus Lappi australiores vicini erant, ad haec commercia exercenda adjecerint animum. Qvenos autem, (quos et ipsos fuisse nomadas credas), mercaturae vel cum Svecis vel cum Lappis faciendae, minus studuisse verisimile est: ad quam posteriorem Norvegos et situs locorum et necessitas impulit. Varii autem deinde casus, ab hac cum Lapponibus Sveciae propioribus exercenda Norvegos sensim removebant, partim Bircarlis, suis paullatim extensis quasi finibus, locum eorum occupantibus, partim fortassis etjam Helsingis lucri societatem expetentibus atque his sese sensim immiscitentibus: ex quo utroque hominum genere hodierni coloni Vestrobotniae (Angermanniae etc.) originem habere videntur.

§ VII.

Qui vulgarem defendunt sententiam, Bircarlos non fuisse nisi Rusticos Norrlandos, mercaturae deditos Lappo-

form dels sees af Konung MAGNI confirmations och Fastebref för Kongl. Drotzen Nils Abiörnson 1335 på Piteå, och den ödesmark i Selsingeland, som han = = hade uptaga och bebyggja låtit. Cfr. SCHÖNING l. c. § 46 p. 112.

⁶⁾ Vid. supra § IV, not. 7).

nicæ, porro objiciunt: ex monumentis rerum patere atque in confesso esse, illos in Vestrobotnia olim habitasse. Quod tempore Regis GUSTAVI I et proxime antecedentibus sequentibusque ita factum esse, haud inficiamur; ab initio autem Bircarlos ibidem sedes habuisse suas, nullis sane ostendi monumentis potest. Contra ex litteris Canuti Joannis, Dapiferi, saepius laudatis (§ V. not. ²), colligere licet, Bircarlos ea demum aetate ad Helsingiae fines septentrionales fluvio Uloënsi vicinos accessisse, ibique considerare coepisse. Multos autem eorum, qui cum Lappis ibidem mercaturam exercerent, non nisi itinera illuc ad merces mutandas ex australiori Fennia certis fecisse anni temporibus, allatum supra Communitatis Satacundiae testimonium, suspicandi materiam praebet? Originem praeterea atque indolem manifesto Svecicam nominis *Birkarl* suo valde favere asserto urgent, ab antiquo vocabulo *Bjark* (quod *mercaturam* interpretantur) illud deducentes, ac *mercatores* denotare contententes. His HADORPHIUS (in praef. ad Jus Bircense a se editum) ducem se praestitit ¹); ut illos praetereamus qui similitudine nominis (appellativi!) in errorem abrepti ²), ab urbe illa quondam celeberrima *Björkö* Bircarlorum et nomen et originem ducunt ³). At vero vocabulum *Bjark* vel *Birke*, nec in Svecica antiqua, nec in aliis ei adfinibus linguis, hoc sensu adhibitum, ut se. mercaturam significet, ullibi reperiri, ac potius nil aliud esse, quam consuetum illud *Burg*, urbemque valere, praeclare monet Nobil. IHRE (l. c.), auctor harum rerum peritissimus: ut igitur *Birkarl*,

¹) Cfr. HÖGSTRÖM Bessr. öfver Lappmark. C. 13, § 2.

²) Vid. IHRE Gloss. Sv. voc. *Birke*.

³) Nec in refellenda OLAI MAGNI sententia, qui Bircarlos in *Bergchara* (*Bergfarlar*), *viros montis*, commutat, opus est ut immoremur (vid. SCHEFFERI *Lapp*. p. 155 sq.); neque BURAEI attendi commentum meretur, cui Bircarlos ex illustri BURAEORUM familia in Helsingiam ortos, in Finlandiam deinde, ob tyrannidem INGIALDI Regis, confugisse, placet. Vid. Diss. ISR. STECKSENI *de Vestrobotnia* (Ups. Praes. *Fab. Törner* a. 1731 ed.), C. II, § XVI.

urbis incolam (*civitatensem* medii aevi monumenta dicere solent) jure interpretemur. Quod adeo non opinionem illorum confirmat, qui mox ab initio vagos fuisse mercatores rusticos asserunt, ut potius ad suspicandum nos ducat: urbem aliquam in Lapponum confiniis olim fuisse conditam, cujus incolis potestas mercaturam cum illis faciendi imprimis fuerit concessa; qualem eo fere loco ubi nunc est paroecia Satacundiae Birckala⁴⁾ sitam fuisse, adeoque non longe admodum ab arce Tavastburgensi remotam, non spernendae indicare rationes videntur. Primum sc. vicinia Lapponiae, cujus fines ad haec usque loca sese olim extendisse, supra docuimus; deinde negotia Satacundensibus atque Tavastensibus cum Lappis olim gesta, argumentis itidem indubiis demonstrata; traditiones denique et Fennorum et Lapponum idem significantes. Nulla quidem urbis hujusmodi (cujus ex temporum ratione metiendam esse conditionem, meminisse oportet) exstant hodie vestigia: sed mirum id, fata patriae cogitanti videri debet nemini. Opiduli condendi consilium colonorum Svecicorum adventu maturatum fuisse, probabile est, quorum aliquos mercaturae exercendae Lapponicae cupidos hic consedissee, Fennis locorum et negotiorum peritis sibi adjunctis, credas; eosque hinc utrosque, nomine Svecico, *Bircarlos* (*Burgfarlar*, *Birkfarlar* h. e. *Stadsboer*) fuisse dictos. Quanquam enim initia hujus mercaturae vetustiora putamus; vix tamen ante Tavastiam Svecis subjectam, in ordinem redactam illam fuisse existimes: quos primum partes egisse primarias, ac impetrato etjam Regio privilegio ardorem mercatorum Fennorum auxisse, a veri specie non est alienum. Rem quidem praenotia monumentorum, multis esse jam tenebris circumfu-

⁴⁾ Quae olim multo ampliores habuit limites, ac praeter paroeciam *Messuby*, quae a. demum 1636 hinc separata fuit, paroecias quoque *Ruovesi*, *Keuru* etc. complectebatur. Cfr. Cel. P. A. GADDS *Beskr. öfver Satacunda Häraders Norra Del* p. 10, not; et Ampl. DAN. HALL *Beskr. öfver Birckala Socfen* (quae legitur in *Samling af Rön och Afhandlingar, til Kongl. Vet. Academien* inqifue T. IV) p. 312.

sam fatemur; sed praeterquam quod *Chronicon Rhythmicum* Majus coloniam Svecicam ad Tavastos adductam fuisse aperte testetur ⁵⁾: ipsum nomen Paroeciae Birekala, a Fennicae linguae ingenio alienum, Svecicamque originem haud obscure prodens ⁶⁾, Svecos aliquos olim in his locis sedes fixisse, satis indicare videtur; traditione etiam majorum confirmante, praecipuam Christianae religionis in hanc regionem introductae sedem in Ecclesia Birekala primis temporibus fuisse, ad quam incolae terrae circumjacentis confluisse, ibique et sacra obiisse et mortuos sepeliisse, feruntur ⁷⁾.

Locum quidem ipsius oppidi certis definire argumentis haud valemus; ibi tamen fuisse suspicamur, ubi nunc pagus et templum Birekala habentur: cui conjecturae loci etjam commoditas favet. Nec enim ab arce Tavastburgensi longe aberat (unde exspectare auxilia ac tutamen oppidanis licuit), nec a Lapponum sedibus procul, quorum fines imminens jugum montis (Sandtrüggen) fere constituisse, probabile videtur. Lacus autem *Pyhäjärvi*, in quem per amnem *Tammerfors* lacus superior atque major *Näsijärvi* aquam suam exonerat, commodam praebuit rationem, Lappos aestate etjam, longo satis itinere adeundi, collectasque merces ad urbem transferendi ⁸⁾. Nullis nempe adhuc per syl-

⁵⁾ The fatte thet land (Tavastiam) med Christna män,
Swa som iaf väntar thet staar än.

Ed. Hadorphii p. 23. Incolas quidem littoris Ostrobotniae australioris intelligere potuit? sed arcis Tavastburgensis praesidio et terrae interioris recens occupatae defensionis, copias etjam Svecicas relictas his locis fuisse, dubitari vix potest.

⁶⁾ Suspiciandi etjam ratio est ipsum nomen *Satakunda*, quod haec provincia gerit, Svecicae esse originis, et a vocabulo Svecico *Sundari* translatum, Svecica instituta moresque, his locis praecipue adoptatos, indicare?

⁷⁾ Vid. GADD l. c. et HALL p. 285.

⁸⁾ Videatur Mappa quaedam Geographica. Lacus vero superior *Näsijärvi*, septentrionem versus longe se extendit, aliisque lacubus et fluviis connectitur.

vas vastissimas viis apertis, iter et hyeme et aestate per lacus fere et amnes faciendum fuit, ad quos Lappi etjam, maxime piscandi opportunitate ducti, libenter tentoria vel tuguria sua fixisse reperiuntur.

§ VIII.

Monumenta praeterea in hac paroecia quaedam occurrunt, quae Svecanos magis quam Fennicos prodere credas mores? Sic, inter alia, intra limites annexae ei Capellae *Harju* collis quidam ostenditur, *Käräjän-törmä* (*Collis iudicii* vel *comitii*) adhuc appellatus, ubi sub dio jus sibi quondam dictum fuisse, incolae tradunt ¹⁾; quae quidem solemnitas Svecis quondam consuetudo, an Fennis ante illorum adventum usu fuerit recepta, eo magis videri dubium debet, quod nulla reperiantur apud hos Magistratum aut talium iudiciorum olim habitorem vestigia? Coloni autem Sveci, expugnata per Ducem Birgerum Tavastia, ad haec loca adducti, si, (quod a vero non abludit) ut illi quos Rex Ericus Sanctus in ora Finlandiae maritima collocaverat, Helsingici erant generis, fortasse commercii lucrosi cum Lapponibus patriae suae vicinioribus, Norvegorum exemplo faciendi, nec illi antea prorsus ignari ²⁾; ex alia jam parte factos iisdem proximos ad ineundam societatem hujus mer-

¹⁾ Vid. GADD l. c. p. 11 not. et HALL l. c. p. 286. — Etjam in acervo Lapidum (in quadam insula lacus Näsijärvi, *Rauhärin Saari* dicta), quem cum Lapponum monumentis (*Lapinrauniot*) male, credo, incolae confundunt, a 1762 urnam re-pertam fuisse sepulcralem legimus (HALL l. c. p. 285): quae res suspicionem alicui movere possit, Svecos adhuc Gentiles haec loca adiisse? Certe cinerem defunctorum in urnam collectum condere, Fennis antiquis usitatum fuisse, nusquam deprehendimus.

²⁾ Hactenus igitur JO. THO. BURAEI illam conjecturam quam ex MSS. Palmsköldianis affert STECKSENIUS l. c. non aspernamur, quatenus colonos ad haec loca deductos, ex Helsingia ille arcessit; quae opinio cum nostra sententia conciliari facile potest.

caturae continuandae cum Fennis, (novae coloniae mox admixtis, et Lappis antea familiaribus), prouiores etiam fuisse, a veritate haud abhorret. Primariam autem mercatus Lapponici materiam *pelles ferinas* constituisse, jam antea monuimus (p. 132); quarum hoc uberiori copia patriam nostram iis temporibus abundasse, quo incultior esset, asperis obita profundisque silvis, nemini dubium videri debet. Quod antiquissimis inde a temporibus, maximi aestimatum hoc vestimenti genus fuerit, tota loquitur Historia³); ac nostro etjam aevo gravissimum momentum ad Anglorum in America, Russorum in Sibiria, aliorumque populorum commercia adaugenda et amplificanda afferre, notissimum est. Apud Nostrates olim hoc genus vestium magni fuisse pretii, antiquitatis monumenta satis docent⁴): ut adeoque non

³) Hinc totam de *Aureo Vellere* fabulam, ad quod rapiendum Argonautarum spectabat expeditio, ex divite in Colchide olim facta pellium pretiosarum mercatura, ortam fuisse, existimabat ISAACUS VOSSIUS (in CATULLI *Epithalamium Pelei* v. 5, p. 120). Plura addere non vacat.

⁴) Quanti olim pelles fuerint aestimatae, plurima docent exempla. Sic duo praedia in Alandia (*unum Fjårdingxbol et unum Atansbol terre in villa dicta Jumalaby*) a. 1333 oppignorata fuisse *pro quarta pelle tributi Episcopalis de Tavastia*, legitur in Registro Aboënsi fol. 5, quorum valor *Octoginta marchis Denariorum* ibidem aestimatur. De qua re cfr. D:ni Praesidis Diss. in P. JUUSTEN *Chronicon Episcoporum. Finl.* p. 79 sqq.; et Tidn. utg. af et Sällskap i Åbo a. 1785, Bih. p. 125—129. In confirmatione Regis MAGNI (data a. 1331) super inita inter Episcopum Aboënsensem et incolas Praefecturae Viburgensis pactione, de solutione decimae Episcopalis, hi iubentur: *in Jure Carelico de quolibet fumo exhibere duas bonas pelles sive palke, in jure vero Helsingonico habitantes unam marcam butiri de quolibet capite virilis vel muliebris sexus, septimum etatis sue annum complente, singulis annis exhibere* (Registr. Ab. fol. 7): quod pretium tallium pellium ingens fuisse, prodit. Regem adhuc GUSTAVUM I pelles tanti aestimasse, ut Lynceas e. g. Martias ac Vulpinas (rariores imprimis illas nigras) plane prohiberet exteris vendi, usumque earum sibi suaeque familiae reservaret, ex duabus suis litteris patet, ad *Gustavum Olai F.* et ad *Haraldum Lake* a. 1551 datis, a. Nob. VON STJERNMAN, (*Samling af Commerce, Politie och Oeconomie Stadgar*, Del. I. p. 121 sq.)

mirum, si et Sveci et Fenni, facilem simul ac idoneam vicinorum Lapponum venatu sibi offerente occasionem, uberimis hujus mercaturae fructibus percipiendis mox fuerint intenti.

Cum ob bella variosque casus, tum quod circumjecta regio non aliis quam Fennicis habitaretur incolis, probabile est Svecorum progeniem ac linguam sensim in his locis defecisse, cum Fennica coalescentem atque tandem confusam; quo modo multa etjam loca maritima Svecicis olim habitata coloniis, nunc a Fennis incoli notum est ⁵⁾.

§ IX.

Bircarlorum vestigia in Fennia sensim plane obscurata, in Vestrobotnia deinde reperta fuisse (ubi tempore maxime R. GUSTAVI I ac proxime sequentibus celebres fuerunt), nemo ignorat, qui res nostras antiquiores vel obiter cognoverit. Lappos nempe, Bircarlorum pressos avaritia sensim recedentes (donec omnes ad eas quas hodie pererant Alpes pervenirent), hi avidè sequebantur, lucrum ex illorum tributis, et commerciis cum iis exercitis, faciendum haud negligentes: jure sibi permissio (ut BURAEO credere licet) Lappos usque ad mare Glaciale (h. e. omnes quos possent) subjugandi. Patria igitur sua terra relicta, sensim, longius septentrionem versus sedes suas migrabant (de regione inter Tavastos et Lappones media, hodierna Ostrobotnia, quam hi paullatim deseruerant, asserenda parum solliciti), donec in Vestrobotnia tandem consilio suo oppor-

editis. Cfr. *ibid.* p. 241, **Tog och werdering på allehanda Wildwaror**, Dat. år 1574. Item proportionem definitam inter pretia pellium ac caeterarum mercium in edictis de Decimis, *ib.* p. 369, 513, 533, 559, 570, 577, 625, etc.

⁵⁾ Sic paroecias *Lundo* et *Reso*, ubi incolae omnes Fennice nunc loquuntur, olim in partem Svecicam et Fennicam (*Svenffa* och *Finsfa Rätten*) fuisse distinctas, ex vetustis monumentis discimus. Multaque praedia rustica in Finlandiae maritimae paroeciis sita, nomina habent Svecica, ubi incolae non nisi Fenni nunc esse reperiuntur.

tunissima, considerent. Carelii et Savones, qui Ostrobotniae partem borealiorem occupaverant ¹⁾ et in Bircarlorum relicta haec domicilia sensim successerant, etiam morem illorum adoptasse invenimus commercia cum Lappis faciendi maxime vicinis sibi Kemiensibus; nempe quod solis Bircarlis, jam in Vestrobotniam progressis, jus cum caeteris Lappis mercaturam exercendi competiisse videtur. Hoc ex litteris apparet de crudelitate Russorum in paroeciis *Kim, Ja et Lyminghe* (*Kemi, Ijo et Limingo* in Boreali Ostrobotnia) exercita, ab harum incolis a. 1490 datis, quas exhibet in Appendice ad *Chronica Rhythmica* HADORPHIUS ²⁾; quae inter alia habent: *Nw någre aar thår äpther ware wij fatighe män opfarna i Lapmarken, thå kommo Nyßer thår til os etc. — Thår waro opa Lappamarkene LXXX besthe Bøndher i Kimi sofn war, of theres rener of alth theres godz thogo the* (Russi) *borth, etc.* Mercaturae cum Lappis exercendae caussa Rusticos illos Kemienses (cujus paroeciae ut et vicinarum incolas jam circa a. 1342 partim Carelios fuisse antea observavimus) in Lappmarkiam itinera suscepisse, ex his satis intelligitur.

§ X.

Ad jura denique Bircarlorum quod attinet, vectigaliaque ab iis Regi aerarioque patriae pendi solita; *illa* admodum ampla fuisse, haec vero valde exigua, ex vetustis monumentis constat. Accepto primum privilegio Regis MAGNI *Ladulås*, quo sibi Lappos subjectos ac vectigales reddendi potestas concessa fuit, ad certum numerum pellium Sciurnarum (quem non definit) in signum subjectionis Regi pendendum obligatos fuisse, Scheda BURAEI supra (p. 128) allata, docet ¹⁾. Aucto deinde eorum lucro, an et in quantum tributum eorum auctum postea fuerit, ignotum nobis est. Usque ad tempus certe R. GUSTAVI I Bircarlos, qui

¹⁾ Cfr. supra § IV not. ?).

²⁾ L. c. p. 343 sqq.

¹⁾ Cfr. SCHEFFERI Lapponia p. 154.

paroecias Vestrobotniae *Luhla*, *Pijta* et *Törnö* (Torneå) habitabant, non nisi XVI Timber (quae vox numerum 40 vel 50 significat) *Rloðewärf* (fortassis pelles Sciurorum?) et IV pelles Martium Regi pependisse, ac tum demum duplo plures exhibere jussos fuisse, ex pacto inter regem et Bircarlos Upsaliae die 1 Aprilis a. 1528 inito²⁾, discimus. Quum vero Lappones praeter venatum, etjam piscatum exercerent; hujus non minus ac illius fructus partem percipiendi jus ad Bircarlos pertinuisse, saepius laudata BURAEI Scheda affirmat, Salmonum piscaturae imprimis mentionem faciens. Tributum vero, de hoc pendendum ab ipsis deinde Bircarlis exercito piscatu, quem usque ad mare Occidentale vel Glaciale eos extendisse, monumenta commemorant³⁾, tempore demum R. GUSTAVI I, lite de communibus piscandi juribus inter ipsos Bircarlos exorta, illis impositum fuisse, ita sc. ut postea tertia pars Salmonum aliorumque ab illis captorum piscium exhiberi regi deberet, ex litteris patet R. GUSTAVI I a. 1541 datis⁴⁾. Probabile est, ad institutum, ex privato primum consilio enatum, Magistratum minus attendisse, nec ab initio vel lucrum fuisse maximum, vel publice satis cognitum. Deinde vero his hominibus merito ac laudi tri-

²⁾ Vid. VON STJERNMAN *Samling utaf Kongl. Bref etc. ang. Sveriges Rikes Commerce, Politie och Oeconomie*, Vol. I, p. 16. Etjam in hoc Diplomate eos promiscue *Birkala* et *Birkarlebo* appellari, notandum est. Cfr. supra § IV p. 136 sq.

³⁾ *Opett breff för the Birkaler och Landzöpmen i Norrebottn att bröfve fisserijt i Westrehaffuet*. Dat. Stochholm den 20 Septemb. år 1551: vid. VON STJERNMAN l. c. p. 120. Docent hae litterae: Bircarlos antiquitus piscatum in mari occidentali sive septentrionali exercuisse; a parte autem Norvegica, et in illo exercendo et in commerciis cum Lapponibus faciendis impedimenta ac injurias passos fuisse; a quibus inferendis ut abstineant, veterique jure suo Bircarlos frui sinant, et Norvegos et Germanos et Russos et proprios subditos Rex monet, liberum Bircarlis et mercandi et piscandi potestatem tribuens atque asserens.

⁴⁾ *Resolution för Birkalarne i Luleå sochn, angående Lagessiften och någre andre Fisserijn der sammastädes, hwarom emellan dem twiist har varit*. Datum Stochholm den 6 Novemb. 1541. Vid. VON STJERNMAN l. c. p. 1010 sq.

butum credas, quod sine publica ulla impensa, Reipublicae limites atque auctoritatem extendentes, agrestes ac feros homines patriae legibus subicere pergerent: eaque re deberi illis a Reipublicae parte favorem, atque immunitates quibus hactenus usi essent, concedi, unde tamen opes atque divitiae civitatis non omnino nihil augmenti acciperent.

Quale Birkarli in Lappones imperium exercuerint, ex SCHEFFERO (l. c. C. XII p. 153 sqq.) et HÖGSTRÖMIO (l. c. C. XIII, § 3) discere licet. Scilicet non tantum jus cum Lapponibus commercia faciendi sibi soli vindicabant, verum etiam tributa iis quaedam imponebant, (*pelles pretiosas pisciumque multa genera, ut habet OLAUS MAGNUS*⁵⁾), atque jus inter illos dicebant, caeterasque res eorum, in quantum vagae et rudis vel posceret vel permetteret gentis conditio, publica potestate administrabant. Quae omnia comprehendit R. GUSTAVUS I verbis in laudata pactione (v. STJERNMAN l. c. p. 16) positis, quibus iis pristina jura confirmat: *Öch hafwe wij them loffuat, öch tilfagt, öch med thette wårt*

⁵⁾ *Hist. de Gentibus Septentrional.* L. IV, C. 10. *Bircarlos* enim spectare, quae habet ibidem (*Praesides communi plebis consensu Bergchara, id est, viros montium appellatos habent et venerantur*) apparet; licet miseris quidem Lappis eligendi hos praefectos, nullum jus concessum esse, facile videas, nec consensum eorum aliquem fuisse requisitum. Fortassis alicui inter se Bircarli talem potestatem commiserunt, qui Lappos sibi subjectos, ad imitationem Praefecti Regii, cui Norvegi in suos Lappos hujusmodi imperium tradere solebant, auctoritate summa praecesset. Cfr. SCHÖNING l. c. § 48. not. y) p. 125. Unde ZIEGLERUS occasionem sumsit scribendi: *Praesidem eligunt (Lappones) propriis arbitriis, quem Regem vocant; verum Rex Sueciae jus administrationis donat. Is veste rubra induitur (qualis Norvegis fuit solemnis?), hoc est ipsi insigne Regium, (De Regionibus Septentrion. p. ?): in quibus quid veri insit, facile liquet. Forte tamen is tempora spectavit recentiora, postquam Regis praefectis Lappones subjecti fuerunt? Hos eosdem Bircarlos fuisse quos *Nobiles* appellavit DAMIANUS A GOES (*Deplorat. Lappianae Gentis*), ac de quorum immodico impioque lucri studio Lapponibus pernicioso queritur: recte observat HÖGSTRÖM l. c. C. XII § 2 p. 215 sq. C. XIII § 3 pag. 237 sq.*

öpne breff loffwom och fullkomliga tilsehom, at the måga njutha och behålla the weldkor öfwer fören:de Lappar efter thenne dagh, som the och föräldre för them i förtijdhen nutit och behållit hafwa etc. Ac idem Rex Literis Upsaliae d. 12 Mart. 1544 scriptis ⁶⁾, eosdem Bircarlos hoc modo alloquitur: Wh gifwe eder tilkänna, menige Bircarlar, som hafwe mæcht och befallning uthöfwer Lapparne ther i Wæsterbotnen, etc. Quae satis decent, non jus tantum mercaturae faciendae exclusivum, sed imperii etjam auctoritatem, (Regis loco) ad eos pertinuisse.

Quum vero Bircarli ex his Privilegiis, tantum facerent quaestum, tantaque iis, haereditatis jure propagatis, insolentia uterentur, Lappones inique tractando et vexando, ut et invidiam et justas querelas excitarent; non potuit aliter evenire, quam ut finis superbiae suae ac injustitiae tandem statueretur. Minime nempe passus est tam severus, justus atque diligens Rex, qualem in Gustavo Patria nacta fuerat, ut paucorum libido toti genti infelici illuderet. Itaque omnem Bircarlorum in Lappos hactenus exercitam potestatem tollendam, hosque ut reliquos subditos legum tutelae subjiciendos, judicavit. Quod his verbis docet Scheda Buraeana ⁷⁾: Ther aff (ex lucroso in Lappos imperio) blefwe theße Bircarlar swære mächtige och rijke, gåfwo them fatighom alenast en smutt, och togo så bästa häfsworna. Thetta förtröt them fattigom, och gingo så till och klagade för Konung Gustaf. Han lät insättja Hinric Larsson i Tornö, och taga mycket af honom. Och togh så Konungen sjelf skatt af Lapparna, och lät them (i) frid köpslaga med Lapparna. Misit postea Rex, testante SCHEFFERO ⁸⁾, in Lapponiam Praefectos Lapponicos, qui tributa debita exigerent, et caetera Regio nomine ibi expedirent. Hi Praefecti Svecis Lappfougder, Lapponibus Konunga Olmai, hoc est, Regis viri, sunt vocati: quorum in Litteris R. Gustavi

⁶⁾ Vid. STECKSENIUS l. c. § XIV, p. 13.

⁷⁾ Apud SCHEFFERUM l. c. p. 158. Auctor fuisse videtur Andreas (Nicolai?) Pastor et Praepositus Pithensis. Cfr. Ibid. p. 151 et 157: nec non Pet. Steckseniü Graan Disp. de Pitovia (Ups. 1731, Praes. Fab. Törner ed.) p. 15.

⁸⁾ L. c. p. 159.

I a. 1559 jam fieri mentionem, porro observat, officiique eorum rationem exponit. Cessante vero sic celebrato Bircarlorum in Lappones imperio, omne tamen eorum cum Lappis commercium non cessasse, sed continuatum porro, more licet aliquantum mutato, fuisse, ex dictis novimus. Describit rem, qualis suo adhuc tempore erat, BURAEUS⁹⁾, dicens: *Bottniae coloni, ii praesertim quos Byrkarlos vocant, quae Laponibus aliisque sunt necessaria, a mercatoribus (exteris? an Stockholmensibus etc.?) illuc navigantibus aestivo tempore coëmunt, hyberno autem cum lacus et flumina congelata sunt, ea in Laponiam exportant.* Sicque non jam soli, aut jure exclusivo, his negotiis operam dabant? Ac manifestum est, inter Mercatores illos Rusticos (Landsköpmän) in Helsingia et Vestrobotnia, de quibus frequentes in Literis Regiis querelae iis temporibus occurrunt, Bircarlos quoque illos, nec tamen solos fuisse¹⁰⁾, cumque reliquis deinde in urbes novas Westrobotnicas compulsos, quibus Laponicae mercaturae faciendae concessa fuit facultas, commigrasse. Nempe quamdiu nullae in his regionibus conditae essent urbes, ad ostia fluminum majorum emporia celebrata quaedam sunt, ubi naves mercatoriae appellebant, mercesque

⁹⁾ Apud SCHEFFERUM l. c. p. 156.

¹⁰⁾ Vid. Litteras Regias: Bref til Helsingeland att hvar sochn skall njuta allenast en köpman, dat. Westerås den 15 Febr. år 1539. Item Öpet bref för menige man i Westerbottnen, att the motte få niuthe nogre Landsköpmän uthi then landzänden; doch att ide gjöre emot Kongl. May:ts Mandat. Dat. Stockh. d. 5 Dec. 1546. Apud V. STJERNMAN l. c. p. 54 sq. p. 105 sq. Cfr. Item Litteras Regis Johannis III et Caroli IX, Ib. p. 206 et 232.

¹¹⁾ Vid. Edictum R. Caroli IX: Placat och Förordn. om Tullfrihet etc. och Städens i Mustasar, Uleå, Torneå och Umeå funderande. Dat. Stockh. den 5 Junii 1605. Ad nostram rem haec imprimis verba faciunt: Och effter uthi Norrbotu, skides mycket godz uth, ther aff Cronan ingen rättighet bekommer, och ther ibland en hoop förbudne warur, igenom the menige Landsköpmän, som ther ähre, därföre så hafwe wij så förordnet, at Städter skole funderes uti Mustar, Ulea, Torne, Kinn och Uma, och ther skole the sättje sig neder, som handell och wandell drifwe wele. VON STJERNMAN l. c. p. 497 sq.

advectas vendebant, venumque oblatas inde apportabant. Cum quibus Rustici opibus valentiores, tali mercaturae dediti (quorum multi Lapponicam quoque illam exemplo Bircarlorum exercebant), negotia conficere solebant¹¹⁾. Dubium vero jam haud est, quin inter reliquos eminenter atque exemplum quasi iis praeirent illi, haeredesque sui, qui Bircarlorum olim appellatione celebrati, ex professo huic mercaturae animum dederant, atque in tali studio aetatem egerant. Nomen autem suum, cum privilegiis suis, tandem evanuit penitus: nec multo post, Regum Augustissimorum, maximeque Gustavi Adolphi sapientia et cura, commerciorum exercendorum, adeoque etjam Lapponicorum illorum, omne studium ad urbes, locis aptis a se conditas traduxit¹²⁾; in quibus sine dubio Bircarlorum etjam posterius praecipui, cum opum reliquiis peritiaeque et industriae suae fructibus postea habitaverunt.

¹²⁾ Cfr. Dispp. JONAE ASK de Urbe *Uma* p. 3 sq.; PET. STECKSENI GRAAN de Urbe *Pitovia* p. 2 sq. NIC. HACKZELL de Urbe *Lula* p. 1 sq.; ER. BRUNNI de Urbe *Torna* p. 4 sq. (Ups. 1731 edd.)

DE ANTIQUA GENTE QVENORUM.

DISSERTATIO

QUAM

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN.

PUBLICO EXAMINI SUBJECIT

HENRICUS WEGELIUS.

Aboae 1788.

DE ANTIQUA GENTE QVENORUM.

DISSERTATIO

ORAM

PRÆSIDI

HEINR. CARL PORTHAZ.

LUDWIG KRAMER CURAVIT

HEINRICH WEGELII.

Alpoda 1788.

§ I.

Inter gentes, quarum in Historia Septentrionis nostri vetere, memoria occurrit, vix alia est de cujus et sedibus, et cognatione, et rebus gestis, obscurior et incertior fama superest, quam priscorum illa Quenorum. Quem igitur populum, cum haud contemnendi olim nominis fuisse, constaret, Historicorum alii et locis collocarunt aliis, et alii generi adjunxerunt, temere plerumque, atque commentis novis veterum fidem corrumpentes. Quamobrem laudatissimam praestitit operam Illustris noster Polyhistor Dn. IHRE, qui vagantes hujusmodi opiniones coërcuit, atque more suo, id est doctissime, de rebus antiquae hujus gentis disputans, fabularum conjecturarumque turba rejecta, sedes illi suas veras stabilesque in hodierna nostra Norrlandia asseruit ¹⁾, Cui suae sententiae probandae, eo minus officere debet narratio Fabulae Mythicae, *Originum Norvegicarum* nomine notae (*Fundinn Noregur*), quae ab orientali parte sinus Botnici Quenlandiam collocat ²⁾, quo luculentius ejus auctoritatem, quam verbis favorabilius interpretandis in Dissertatione laudata, sive eludere, sive in consensum secum pertrahere Vir acutissimus annisus fuit ³⁾, in rebus Historicis definiendis, nullam esse oportere, alio loco postea ipse demonstravit ⁴⁾.

¹⁾ Diss. de *Quenlandia Antiqua*, quam illo praeside publicae commisit luci Cl. *Ol. Eneroth*, Ups. 1767, 4:o, quamque maximam partem, (Germanice versam), suo inseruit operi, *Allgemeine Nordische Geschichte*, Cel. SCHLÖZER, p. 483—490.

²⁾ Mox ab initio. Vid. BIÖRNER'S *Rämpa-bater*.

³⁾ § VIII. Sed ipsum textum hanc respuere medelam, oppido patet.

⁴⁾ Vid. EJUSD. *Bref, rörande then Isländska Edda*, pag. 26 sqq. Recentiolem esse hanc fabulam, quam ut testimonii de

Elegantissime etiam fontem erroris, qui ADAMO *Bremensi* imposuit, *Amazonas* sive *terram Feminarum* in Septentrione nostro quaerenti, simul aperuit: quem errorem, (ex confusione vocabulorum similis soni natum, quorum alterum ex altero male interpretabantur homines linguae non satis periti), si multo antiquiorem esse existimemus, etiam inde famam pervenire potuisse observat, cujus jam TACITUS meminit, (de moribus Germanorum C. 45), de *Sitonum gentibus*, quibus *feminam dominari*, miro sane in feris ac bellicosis antiqui Septentrionis incolis, more ferebatur: quem locum, si *Adamo* quidem notus fuit, ad hujus conjecturam magis etiam sibi aliisque commendandam contulisse, haud absurde credas? Gente porro Sveonica, quam coloniam esse, ab Odino in septentrionem adductam vulgo existimant, antiquiores Quenos fuisse, docte ostendit, (in quibus annon veterum quoque Jotae, tot fabulis noti, quaerendi sint? aliis dispiciendum relinquimus), ac Norrlandiam, praecipuam illorum, post adventum certe Sveonum, sedem, ad systema regni Sveonici olim non pertinuisse, egregie notat ⁵⁾. Cujus autem generis fuisse putet, non satis liquide vit illustris explicuit; nisi quod ad illam rationem inclinare videtur, qua stirpis fuisse Fennicae creduntur, atque nostros Finlandos propiore etiam quam Lappos cognatione contin-

tam vetustis rebus dicendi jure polleat, vel ex iis patet, quae de *Lappis* a Finmarkiae incolis diversis, p. 3 commemorat: quae faciunt, ut nisi interpolatum hoc loco putes, difficulter mihi persuadere queam, auctorem ad *Sturlonidis* aetatem pertingere. Auctoritatem vero ejus maxime elevat, quod auctori longe certiori, OTHERO, (de quo mox), palam adversetur.

⁵⁾ Unde tamen nimis cupide Cel. SCHÖNING plurimam ejus partem ad Norvegos olim pertinuisse, concludere videtur. Cfr. EJUSD. *Forsög til de Nordiske Landes, særdeles Norges, Samle Geographie*, § 11, 12, 43—46. Quae de perpetuis Quenorum, (hanc regionem habitantium, quos male Vir Doctissimus in Finlandiam ablegat, et vehementer affligit), cum Norvegis bellis narrat OTHERUS, (loco mox adducendo), satis ostendunt, Norvegorum imperio has provincias olim non fuisse subjectas.

⁶⁾ *Diss. laudatae* § IX, XVI.

gere putantur ^o). Quod cum minus probabile nobis videretur, qui tanti Viri auctoritatem maximi caeterum facimus, nonnullaque alia haberemus, quae spicilegii instar praeclaram ejus de priscorum Quenorum rebus disquisitionem afferri posse existimarem; hanc eligere materiam placuit, in qua explicanda, specimen aliquod industriae edituri, vires juveniles experiremur: quem nostrum conatum ut L. B. benigne interpretetur, et ingenii doctrinaeque inopiam studio patriam colendi illustrandique Historiam condonet, qua par est observantia rogamus.

§ II.

Praecipuum de Quenis antiquis scriptorem, quo si careremus, nulla superesset spes lucis rebus illorum adfundendae, AELFREDUM esse, magnum olim Anglorum Regem, apud omnes constat, nisi in hac materia plane hospites. Qui laudatissimus Princeps, exceptam ex ore OTHERI, viri Norvegi praecipui, de situ patriae suae vicinarumque regionum narrationem quantivis pretii, (*Periplum* OTHERI appellare moris est) praefationi *Historiae Orosii*, in linguam Anglo-Saxonicam a se conversae, inseruit. Egregium hoc antiquitatis monumentum, typis expressum ubi legi possit, l. c. § VI, p. 9, Generos. IHRE significat; supplendus ex praeclara quam exhibet hujus rei notitia Ampl. LANGEBEK in laudatissimo opere *Scriptor. Rerum Danicarum mediæ aevi*, T. II, p. 106 sq. ¹⁾: ubi ipse deinde *Periplus*, accurate (quantum sine membranis fieri potuit) editus notisque doctissimis illustratus, habetur. Accuratiorem adhuc textum exhiberi, in editione versionis *Orosii* Anglo-Saxonicae a R. *Ælfredo* confectae, quam Dn. DAINES BARRINGTON Londini emisit a. 1773, 8:o, docet Cel. JOH. REINH. FORSTER, (*Geschichte der Entdeckungen und Schiffarten im Norden*, II Abschn. p. 73, not.), annotationibus etiam ac mappa adjecta Geo-

¹⁾ Cfr. etjam Göttingische Anzeigen von gelehrten Sachen, 1765, 78 Stück, ubi Cel. MURRAYI de *Periplo* hoc *Otheri* etc. Dissertatio recensetur.

graphica, (ejusdem *Forsteri* diligentia elaboratis), ad eal-
 cem subjunctis; quas tamen typis non diligentissime esse
 exscriptas, idem queritur. Eandem porro textum *Peripli*
Barringtonum in scripto suo *Miscellanies* dicto, a 1781 (in
 4:o) edito, *Forsteri* tamen annotationibus omissis repetiisse,
 non sine acerba reprehensione addit: quem utrumque Angli
 librum consulendi, dolemus nobis hactenus defuisse oppor-
 tunitatem. *Ælfredi* itaque locum, in quantum *Quenos* at-
 tingit, qualis apud *Langebekium* legitur, adjuncta etjam in-
 terpretatione, apponimus:

„Donne is to gemnes
 thaem lande sudveardum, on
 odre healde thaes mores,
Sveoland, [oth thät land
 nordveard]. And to emnes²⁾
 thaem land nordeveardum,
Cvena land. Da *Cvenas* her-
 giad hvilum on tha *Nord-*
men ofer done mor, hvilum
 tha *Nordmen* on hy. And
 thaer sint svide micle meras
 fersce geond tha moras. And
 berad tha *Cvenas* hyra scy-
 pu ofer land on tha meras,
 and thanon hergiad on tha
Northmen. Hy habbad svide
 lytle scypa and svide leohte.

Ex adverso illi regioni
(Norvegiae) ad austrum, ex
altera parte montium, sita est
Svecia [ad illam usque regio-
nem septentrionem versus]. Et
ex adverso illi regioni ad sep-
trionem, Qvenlandia.
Qveni interdum depraedantur
Normannos trans illos mon-
tes, interdum Normanni vi-
cissim eos. Multi autem sunt
lacus salsedinis expertes inter
montes. Quamobrem Qveni
portant navigia sua in hos
lacus, et ita despoliant Nor-
mannos. Habent valde parva
navigia et valde levia.

Cujus de gente illa testimonii ut sensus verus perci-
 piatur, primum vocabula nonnulla interpretanda sunt. *More*,
Oxoniienses qui *OTHERI* hunc *Periplum*, *JOH. SPELMANNI*
vitae Regis AÆlfredi a se editae³⁾ adjunxerunt, verterunt
montes, jugum se. intelligentes quod *Norvegiam* a *Svecia*
 separat. *FORSTERUS* autem (l. c. p. 90) *Moore*, (Germ. et

²⁾ An *gemnes*?

³⁾ *Oxonii* 1678. Fol.

Angl.) interpretatur ein schwarzes torfichtes Bruchland, *terras palustres desertas*, ac culturam *aegre admittentes*. Prior explicatio longe magis placet; quia non est verisimile *Otherum*, situs locorum haud ignarum, Alpium oblitum inter utrumque regnum mediarum, paludes multo minus memorabiles, patriae suae fines constituisse. Deinde *Mor* apud Anglo-Saxones *montem* significasse, ex JUNII *Etymologico Anglic.* voc. *More* discere licet ⁴⁾; a qua significatione, quam contextus aperte poscit, (*Langeb.* p. 125) cur abiret, nullam Cel. FORSTERUS idoneam attulit causam. Dubium itaque non est, quin Alpes, quae Norvegiae partem australiorem a Svecia, eadem septentrionaliorem a Quenlandia olim separaverint; adeoque haec Svecis ad septentrionem, Norvegis ad orientem sita fuerit: unde Norrlandiam fuisse hodiernam, luce radiat manifesta. Verba autem interposita *oth thät land nordveard*, (quae Oxonienses in versione latina, a posterioribus editoribus repetita, omiserunt), plus faciunt negotii. Nisi enim temere interpolata esse judicare malis: aut divisione verborum, qualem (LANGEBEKIO auctore) dedimus, retenta, interpretari oportet *ad austrum ex altera parte montium sita est Svecia, extendens se usque ad illam regionem (Norvegiae?) versus septentrionem*, (confinis, in septentrionali sua parte, Norvegiae), tautologia satis inepta; aut sic interpungendum est, *on odre healfe thaes mores, Sveoland. Oth thaet land nordveard, and to gemnes thaem land nordveardum, Cvenaland*. Hoc est: *ex altera parte montium Svecia. Illi regioni (Norvegiae? vel num Sveciam hic intelligere licet, et vertere cui terrae?) ad septentrionem, et ex adverso septentrionali parti ejusdem (dictae) regionis (sc. ex altera parte alpium) sita est Quenlandia*. Sveciae sane ad septentrionem sitam fuisse Quenlandiam, quomocunque verba interpreteris, manifestum

⁴⁾ Cfr. etjam IHRE *Glossar. Sviogoth.* voc. *MOR, saltus, silva densior*; ac Eundem in Praef. *Lexico Lapponico* Dnn. LINDAHL, et ÖHRLING praemissa p. XXI: nec non cit. *Lexicon* in voc. *Muor. 1. Muora*.

est; sed nec absurde, Norvegiae magnae parti (Finmarkia sc. plane, ut decet, exclusa) ad septentrionem, partem Quenlandiae antiquae collocatam fuisse, videatur? Impeditiorem tamen sic quoque evadere orationis structuram nemo non sentit; quae, ejectis prorsus verbis *oth thaet land nordveard*, longe fluat facilior.

Lacus autem haud paucos inter alpes nostras a Norvegiae parte, (nam esse de ea sermonem facile patet) reperiri, in quos lembos suos Queni, Normannos despoliaturi, transportare potuerint, certum est: quales ex. gr. sunt *Miors, Saela, Snasa etc.*

In Finlandia igitur nostra ne Quenorum sedes quaerantur, hoc OTHERI testimonium aperte prohibet: quam nonnisi Alpibus objectis a Norvegia separari, ut quam mitissime dicam, mira assertio fuerit. Praeclare Generos. IHRE: *Porro autem, inquit, exercita mutua latrocinia viciniam manifesto arguunt: quumque praeter jugum montium non nisi lacus, salsedinis expertes, Norvegos et Quenos disternare narret (OTHERUS), indicio hoc est, trans mare Balthicum (Sinum Botnicum) eos non advenisse; quod idem confirmant portatilia eorum navigiola, in quibus spatiosiori aequori sese haud commissuri fuissent.* (Diss. laudatae § VI, p. 8 sq.) Ac ubi revocamus in memoriam, OTHERI tempore, Norvegorum neminem ultra *Halogalandiam*, (Helgeland hodie dictam) septentrionem versus sedem fixisse, (quod aperte ipse asserit; vid. LANGEBEK l. c. p. 108 et 113, not. b) et y): hodiernam imprimis Helsingiam, Jämtiam, Medelpadiam, nec non Angermanniam et Vestrobotniam, a Quenis fuisse habitatam, statuamus necesse est.

§ III.

Utrum ad opposita quoque Sinus Botnici littora (hodiernam Ostrobotniam) Queni sedes suas extenderint, quod Nobil. IHRE, (ut *Torfaei* inprimis aliorumque hypothesibus satisfaceret), negare ausus non fuit; nobis quidem parum constat. Reliquam certe Finlandiam attigisse, nullis pro-

babile reddi potest argumentis. Si veterum *Helsingorum*, quod infra evincere conabimur, Queni fuerunt majores, ad Uloënsem usque lacum atque fluvium limites eorum olim pertinuisse, a veritate non abhorret: quibus suam regionem a Finlandia distingui, Helsingi quondam asseruerunt ¹). Australioris vero Ostrobotniae fuisse dominos, vix credas. Suam de sedibus Quenorum ad orientem Sinus Botnici collocandis opinionem, TORFAEUS Narrationum (Sagor) quarundam Islandicarum auctoritati superstruxit: quarum vero in rebus Geographicis, quoties regiones longinquoeres attingunt, quam sit vacillans in universum fides, et quo inprimis loco ubi certioribus monumentis repugnant, haberi debeat, satis jam constat. Ac ipsa illa expeditionum contra *Kyrialos* seu *Carelos*, in favorem FAREVIDI Quenlandiae Regis (circa a. 877?) a Norvegis susceptarum descriptio, quam exhibet TORFAEUS ²), suspicionem auget nostram. Narratur enim, Norvegos ex Quenlandia in Careliam moturos, *montem conscendisse*, qui utramque scilicet regionem dirimeret; quale jugum, singularis quidem altitudinis, aut quod conscendentibus laborem facessat, ex Ostrobotnia in Careliam tendentibus nullam occurrere novimus. Crederes Auctorem narrationis, *Quenos* a boreali, *Kyrialos* ab australi Alpium Norvegearum latere collocasse, aut Alpes quas Norvegiam a Quenlandia discriminare audiverat, inter hanc et Careliam, prae ignorantia veri situs locorum transposuisse, nisi adjiceret: *Aucti spoliis haud exiguis Farevidus et Thorolfus* (Norvegorum Praefectus) *in Queniam redeunt. Mox Thorolfus, fir-*

¹) Vid. PERINGSKÖLD *Monument. Upland.* per Thiund. p. 3 sqq. et *Monum. Ullerak.* p. 150.

²) *Hist. Rer. Norvegear.* P. II, L. I, C. 17, p. 32: „Ubi in Quenlandiam ventum est, — exercitum instruunt. — *Conscenso monte in Kirialos*, qui prius Quenos impugnarunt, inciderunt.“ Et C. 18, p. 34: „Eodem tempore Thorolfus centum comitibus in Quenlandiam ad Regem Farevidum profectus est. Ibi communibus viribus — *monte conscenso* in Kirialiam infusi, eas territorii partes pagosque diripuerunt, quae minus populosae ad resistendum inhabiles videbantur.“

mata cum Queno amicitia in montem (Alpes Norveg.) se recepit, proventusque ad Sinum Vefsifen etc. Novis igitur alpidibus, Norvegicarum similibus, inter fines Careliae atque Quenlandiae (quam sic ubi quaeras incertissimus fias) liberaliter donasse, aut Careliam in ora Oceani Glacialis et Carelstrandiae peninsula (ut eam ex Helgelandia adituris alpes Norvegicae bis essent superandae) collocasse, videtur: quam posteriorem si adoptemus rationem, nostrae de situ Quenlandiae non adversabitur sententiae. Caeterum Carelos terras inter Sinum Fennicum et Mare Album porrectas, utrique mari conterminos occupasse, in confesso est; nec mirum igitur videri debet, si in utriusque vicinia littoris occurrant. Quin sinus etjam Botnici littora, per lacus ditionis Cajaneburgensis et fluvium Uloënsem descendentes, nonnunquam adiisse, creditu haud est difficile; si testimonia modo idonea tali faveant conjecturae.

§ IV.

Firmamentum eidem, de patria Quenorum in Ostrobotnia maxime ponenda opinioni, summis Viris adoptatae, a cognatione porro nominis vetustae hujus gentis *Queni* sive *Quaeni*, et *Kainu*, qua appellatione Carelii atque Savones Ostrobotniam adhuc significare solent ¹⁾, et unde *Cajana* et *Cajania* derivata sint, quaeri videas. Quod sane argumentum veri specie non omnino caret; cuique accedit, quod observante Nobil. IHRE, *Norrvegi hodieque Quenorum nomine illos Lappmarkiae incolas appellant, qui Fennicae originis sunt, Finlandorumque lingua utuntur. Hi autem, addit, non tantum sermone a reliqua Lapponum gente dignoscuntur, sed etjam faciei colore minus fusco, nec non statura proceriore; ut adeo diversae originis populos esse, abunde pateat* ²⁾. Ac fatendum est, admodum videri probabile, Fen-

¹⁾ *Cainunen* nempe, et *Cainulainen*, his est Ostrobotnien-sis; *Cainu* vel *Cainumaa* Ostrobotnia.

²⁾ Diss. laudatae § IX p. 11. Non hos solum, sed omnes omnino Finlandos a Norvegis *Quaener* salutari, dicit *Henr.*

nicae prosapiae hos Lappmarkiae incolas ab Ostrobotnien-
sibus ac Westrobotniae illarum paroeciarum hominibus qui
Fennico utentes sermone, cum vicinis Ostrobotniensibus stir-
pem produnt communem, maximam partem genus suum du-
cere: quorum hodieque nonnulli, inopia et errore ducti, in
Lappmarkiam migrare solent, piscatu inprimis vitam ibi
sustentaturi. Quin Moris esse Norvegis, ut Ostrobotnienses
etiam Quaenorum nomine comprehendant, vel inde patet,
quod et illos ipsos **St-Dwäner**, et terram cum eorum tum
vicinorum Vestrobotniensium (quos igitur **Wäst-Dwäner** vo-
cari credas?) **Dwäneland**, diserte appellari, deprehendimus ³⁾.

Sed haec tamen omnia, ad Quenos veteres Fennicae
stirpi asserendos non valere, existimamus. Primum enim
Ostrobotnienses boreales, quibus ac suae terrae, praecipue

*Ganander, Gramm. Lappon. praef. p. 3. Adjiciam, inquit, et
illud, Norvegos ex adverso habitantes, vocem Lappo non agno-
scere, sed quos alii Lappones, illi Finnar, contra aliorum Fin-
nar, Dwäner salutare solent! Nempe alios non norunt Fennos
(praeter Carelos, quos distincto nomine Kyriales vocarunt) quam
Botnienses. Quomodo nostri Fenni omnes Germanos Saralaiset,
a littoris sibi proximi et solius olim noti incolis Saxonibus,
hodieque appellant. Finnorum autem nomen Lappis solis recte
tribuunt: quibus, ut vel ex OTHERI periplo patet, proprium fuit;
nostris popularibus, hodiernis Finlandiae incolis, postea temere
tributum. Lappomum seu Lapporum nomen recentius, ex magiae
crimine, ut videtur iis, objecto ortum, genti tamen adhaesit. Cfr.
IHRE Gloss. voc. Lapp.*

³⁾ Vid. ex gr. Excerpta quae ex libro Ms. „*Sporrings
Relation, angående Finmarken*,” leguntur in HANS HAMMONDS *Nor-
biffe Missions-Historia*, (Kiöbenh. 1787, 8:o), p. 908 sq. Item
ISAACI OLAI F. scriptum *de finibus Finmarkiae Norvegiae*, in-
sertum ibid. p. 923 et 927. Illi autem Queni quinam fuerint,
quos circa a 1271, regnante *Magno Hakonis F. (Sagabäter)*,
una cum *Kyrialis*, in *Halogiam infusos, crudeliter saevisse* com-
memorat TORFAEUS (l. c. P. IV, L. V, C. 6, p. 352); eo dif-
ficilius dictu est, quoniam non additur utrum maritimo an terre-
stri itinere irruerint? Fieri potuit, ut *Carelis* qui ad Sinus
Botnici littora penetraverant in societatem adscitis, Norlandiae
incolae, alpihus superatis, veteri more in Norvegos hanc expe-
ditionem fecerint?

nomina *Kainulainen* et *Kainu* Savones ac Carelii tribuunt, (parum commercii cum australibus Ostrobotniensibus, minus hinc sibi cognitis, olim habentes), ipsi hanc appellationem a se removent ⁴⁾, atque ad Vestrobotniae incolas transferunt; illos quidem maxime, (Tornoenses etc.) qui Fennice loquuntur, sed eosdem etiam sibi proxime finitimos. Itaque colligi vel hinc posse videtur, veras Quenorum sedes in occidentali Sinus Botnici littore olim fuisse; qui ad orientem fines suos extensuri in Carelios inciderint, occidentem versus atque Botnici littoris viciniam limites suos pariter proferentibus. Unde reliqui Carelii et Savones, pristinas sedes servantes, Quenorum appellationem obvii sibi ab occidente proximo populo peregrino propriam, huic quidem primum, sed deinde hoc sensim remoto, terrae ejusdem novis habitatoribus, (*communi licet secum stirpe oriundis*) solenni errore ⁵⁾ indidisse: quam ad suos hi similiter ab eadem plaga vicinos, applicuerunt. Nec aliam causam Norvegos seduxisse, credere licet, ut Finlandis nostris ex altera parte Alpium Finmarkicarum sibi imminentibus, nomen darent Quenorum, quod ad alios homines, ac maxime Alpium Norvegiae Australioris accolae transmontanos, olim pertinuerat. Cujusmodi confusione vel auctorem commemoratarum a nobis supra *Originum Norvegicarum*, vel plenioris *Historiae R. Olai Tryggonis* F. ⁶⁾ non vacasse, putamus, a multis deinde aliis hinc hausta. Quid? quod a Laponibus hanc appellationem omnino ortam fuisse atque ad Norvegos propagatam, valde probabile videtur. In Lapponica autem lingua adeo non ad homines Fennicae stirpis designandos pertinet, (quos *Suomalats*, vero atque domestico gentis nomine, Lappi appellant), ut commune contra Svecorum atque Norvegorum genus significet. Apprime ad

⁴⁾ Idque jure, ut putamus, optimo; partim enim Carelicae partim Tavasticae originem stirpi debere, non contemnendis probare licet argumentis.

⁵⁾ Sic ad *Francos* nomen *Gallorum*, ad *Anglos Britanno-rum* sive *Brittorum* transiit etc.

⁶⁾ Vid. T. I. p. 215. T. II. p. 140.

ad rem nostram facit disputatio Doctissimorum Auctorum egregii *Lexici Lapponici*, (cura et impensis Illustriss. Regiae in *Ecclesias Lapponicas Directionis*, non ita pridem editi, Stockh. 1780, 4:0), voc. *Kainolats* ita scribentium: „*Kainolats*, Kainahaljo, ita Lappones Svecos et Norvegos appellant. Kainahalja, foemina Svecica aut Norvegica. — Videtur a Fennica ortum esse voce Cainho, Helsingus sive Svecus⁷⁾; unde Cainho Kylä, vicus quidam ad Tornam urbem, Helsingbyn“. Quae verba non uno nomine et lucem et firmitermentum supra observatis afferunt.

§ V.

Nihil quidem vel de lingua vel de moribus Quenorum OTHERUS commemorat, quod hanc de genere stirpeque illorum controversiam dirimat. A *Finnis* tamen (s. Lapponibus) non minus quam a *Nordmannis* (Norvegis) aperte distinguit; ac ne conjectando quidem, quod de *Biarmiis* fecisse videmus¹⁾, Finnicis adjunxit nationibus. Quod ab ADAMI Bremensis de Fennis, Helsingiae quondam incolis, hariolatione petitur argumentum, haud moramur: cui et parum fidendum esse, integris rerum iudicibus facile patet²⁾,

⁷⁾ Illud nobis quidem vocabulum Fennicum ignotum est. Videtur autem *Kainu* et *Kainulainen*, quod nuper indicavimus, ad antiquam *Quenorum* gentem designandam proprie olim pertinuisse, (a Lappis etiam ad Fennos vicinos propagatum); atque hinc a Fennis Westrobotniensibus ad *Svecos*, ac maxime *Helsingos*, veterum Quenorum progeniem, (*Norriandos* quoscunque intellige), sibi proximos notissimosque, recte denotandos adhiberi. Quae omnia nostram egregie firmant sententiam.

¹⁾ LANGEBEK l. c. p. 110.

²⁾ *De situ Daniae* etc. c. l. p. 61. *In confinio*, inquit, *Sveonum vel Nordmannorum*, contra boream, habitant *Scritefingi*; quos ajunt cursu feras praeire. Civitas eorum maxima *Helsingaland*, et *Halsingaland regio* est. Et paullo post: *Haec* (Svecia) *ab occidente Gothos habet, et civitatem Scaranen, a borea Vermilanos, cum Scritefingis, quorum caput Halsingaland; ab austro longitudinem habet — Baltici maris —; ibi est civitas magna. Ab oriente autem Ripheos montes attingit, ubi de-*

et si faventer velis interpretari, vicinos huic regioni Lappones animo obversatos esse, credendum est. Neque etiam ex vetustioribus Norvegorum vel Islandorum narrationibus, in stirpe cognationeque Quenorum indaganda, multum lucis atque adjumenti adipiscimur. Si tamen quae de Rege eorum *Farevidr* apud TORFAEUM (l. c.), et de *Miolla* Filia Regis Quenorum apud ARNGRIMUM JONAE (*Crymogaeae* p. 114) leguntur³⁾, certa amplecti fide licet, etiam haec nomina, a genio linguae Fennicae plane abhorrentia, ad gentem Germanicae sive Gothicae stirpis, conjecturam animi inclinant. Minime autem *Quenos* in *Maris Albi* vicinia quaerere, prolata jam rerum documenta permittunt; quare Cel. FORSTERI sententiam amplecti nullo modo possumus, qui *Quenos* cum *Fennis* confundens, oppido *Carelorum* illis assignat sedes⁴⁾. Neque rationi quam in praesidium hujus sententiae suae adhibet, satis momenti inesse nobis videtur; nempe *Cven-Sae* cujus meminit AELFREDUS, *Mare Album* interpretatus, in hujus maris vicinia *Quenos* male quaerit, quos adeo manifesto in *Norrlandia* nostra Regius scriptor collocavit, ut Cel. FORSTERUS ipse, alio loco *Quenlandiam*, versus septentrionem a *Sveonia* sitam fuisse doceat (l. c. p. 84, cfr. et p. 85 not. 43). Quomodo igitur in *Fennia* quaeri poterit? Nec in descriptione *Albi Maris*, quod sese adiisse atque cognovisse ostendit OTHERUS, tali illud unquam nomine appellat. Cum praeterea *Germaniam*, versus septentrionem ad *Quenorum* usque hoc mare (*Cven-Sae*) sese extendisse AELFREDUS doceat: vel hinc manifestum fit, de *mare Baltico*, cujus utique *Queni* olim erant accolae, ei esse sermonem, non de *Albo* illo, ad quod nemo unquam, quantum scio, *Germaniae* fines extendit: interjecto nempe terrarum spatio non *Germanici* sed *Fennici* generis natio-

serta ingentia, etc. Ibi sunt Amazones, ibi Cynocephali etc. Quid mihi frugis bonae ex his nugis exsculpes?

³⁾ Cfr. IHRE *Diss. laudatae* § XI p. 12.

⁴⁾ Vid. l. c. p. 75, not. 4); et adjecta libro suo *Mappa Geographica*.

nibus semper habitato. Nec ad rem facit, quod *Quenorum* illud *mare Oceanum* (Garseg) *AElfredo* appellari observat: nam saepe et alios veteres similem de hoc mari opinionem fovisse, notum est.

DE FAMA ——— MAGLAE FENNIS
ATTRIBUTAE.

DISSERTATIO

QUAE

PRÆSENTAT

HENR. GABR. FORTMAN.

PUBLICAE UNIVERSITATIS ABOENAE

MDCCCXXXIII.

Alma 1733.

DE FAMA MAGIAE FENNIS
ATTRIBUTAE.

DISSERTATIO

QUAM

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICAE CENSURAE OBTULIT

FRID. JOH. ROSENBOM.

Aboae 1789.

§ I.

Mentem humanam, quamdiu inculta manet, nonnisi rebus vehementius in sensum agentibus, insolitis ac novis (quarum tamen in illa ignorantia non potest non insignis existere multitudo) ad attentionem excitari, satis constat¹⁾. Illis autem, quod causas phaenomenorum veras perspicere haud valet, vires facile adscribit occultas atque mirabiles, et analogiae cuidam ex hominum actionibus ductae insistens, sensum atque adeo animum tribuit, imo (ob effectus sibi irresistibiles) naturas iis praesidentes vel inhabitantes humana majores ac potentiores adjungit²⁾. Quibus tamen aut conciliandis aut subigendis cum se viam aliquam aut consilium aliquando reperisse sibi persuadeat, aut casu oblatum, aut observatione atque analogia quadam inventum, aut ex phantasiae pravae ludibrio enatum; superstitionis stultae spissa hinc seges existit, qua nullas non gentes barbaras misere deludi scimus³⁾. Accessit mox planorum vafra audacia, qui reliquorum superstitione ac credulitate ad quae-stum faciendum et auctoritatem in eos sibi comparandam abusi, fraudibus atque praestigiis infelicem hunc animi mor-

1) Cfr. HEYNE *Opusc. Acad.* Vol. I. p. 195 sqq. et Vol. III p. 7—38.

2) Cfr. KRAFT *Sitten der Wilden*, 3 Abtheil.

3) *Ex rerum causarumque ignoratione omnis persuasio de rebus praeter solennem naturae ordinem progressis novaque et insolita ratione natis, viresque obscuras et arcanas nactis, oritur. Ita ad omne Τερατολογιας et superstitionis genus via patefacta est.* HEYNE l. c. V. I, p. 191. *Est enim ea mentis humanae imbecillitas, ut cum in causas rerum inquirere incipit, primo res aequae incognitas et mirificas pro causis subjiciat, utque de causis physicis nonnisi novissimo loco cogitet.* Id. ib. p. 205.

bum graviolem etiam atque funestiolem reddiderunt, ut magos, vates, medicos, sacerdotes nullis fere non rebus eorum sese interponentes: quae vulgaria adeo sunt, ut exemplis adferendis ea confirmare, omnino sit supervacaneum. Ac sicut ab una parte vehemens non minus quam stultum futura praesciendi studium in nullas non fraudes homines rudes impulit; ita rerum omnium admiratio insolitarum, et de vi superiorum naturarum persuasio, eo illos vecordiae egit, ut non modo homines furiosos et mente captos veneratione quadam, tanquam divinos, prosequerentur, sed etiam non facile sub alio quam turbato et vesano mentis statu homini mortali commercia cum diis aut spiritibus (tanto scil. potentioribus, ut praesentiam eorum ferre haud facile valeret), contingere crederent ⁴⁾: qualem hinc conditionem neque impostores vel arte quadam sibi inducere, vel callide simulare, praestigiisque variis adjunctis fucum credulis facere, neglexerunt ⁵⁾. Hujusmodi initiis ac fundamentis, turpis

⁴⁾ Sic VIRGILIUS (*Aeneid.* L. VI v. 47 sqq.) Sibyllae vaticinaturae habitum terribilem describit:

— — — — — *cui talia fanti*
Ante fores, subito non vultus, non color unus,
Non comatae mansere comae, sed pectus anhehum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri
Nec mortale sonans, afflato est numine quando
Jam propiore Dei.

⁵⁾ Cfr. imprimis KRAFT l. c. § 21—27. Scilicet nihil fere insolitum quod esset, naturale habebatur. Unde omnes morbi vehementiores a spirituum superiorum vi enati credebantur. Unde deliriis quoque aegrotantium non parum fuisse attentionis atque obsequii a miseris barbaris praebitum, novimus. Quumque visa dormientibus sibi interdum clarius oblata, non modo ob speciem rei ipsius hominibus rudibus mirabilem mentes vehementer afficerent, sed etiam inter exempla plurima, vanitatem talium phantasiae ludibriorum, quasi rectore carentium, demonstrantia, (parum illa memoriae commissa), quaedam cum eventu rerum, similitudinem habere, casu natam, deprehenderentur; in his praecipuum futuri, cujus praesciendi avidissimi stulti mortales semper fuerunt, significationem inesse, iis callide interpretandis cognoscendam, putabant. Cfr. HEYNE l. c. Vol. III, pag. 36. KRAFT l. c. § 26.

illa non minus quam coeca et perniciosa de *Magia* et *Artibus* viribusque *Magicis* persuasio, superstructa fuit ⁶⁾; quae barbarorum non tantum omnium mentes infecit atque occaecavit, sed cultiorum quoque gentium pervasit et turbavit animos, quos post literarum etiam lumen exortum diu obsedit ⁷⁾, nec hodieque, proh dolor, in tanta scientiarum luce iisdem eripi atque penitus fugari potuit. Quo tamen gens aliqua rudior fuit, quo incultior et coecior, quo debiliori iudicio, quoque vehementiore simul ac perturbatiore phanta-

⁶⁾ Magna, ut in re commentitia necesse fuit, de ipsa notione *Magiae* constituenda, homines opinionum diversitate fluctuarunt. *Naturalem* illam (quam vocant) e cognitis rerum naturalium virtutibus ad vulgus parum notis profectam, hinc omnino eximendam esse, facile intelligitur: *Praestigiatoriam* autem illam (*γοητεία*), quam ex spirituum fere quorundam superioris generis auxilio pendere existimabant, partim *bonam* et *beneficam* habebant (in rerum futurarum praedictione, morbis pellendis etc. sese exserentem), veneratione igitur et favore dignam, partim *nefariam* et *maleficam* (veneficium), in hominibus laedendis et necandis, variisque damnis gignendis occupatam: utrumque tamen genus iidem homines exercebant, quos alias honore, alias poenis dignos reliqui censuerunt; odio tamen atque detestatione, metus perpetuo comite, frequentius quam favore eosdem persecuti. Quae omnia nota adeo sunt, barbarisque populis cum paullo cultioribus communia, ut argumentis hoc loco confirmare necesse haud sit.

⁷⁾ Quem fugit, quanto studio olim etiam Graeci et Romani haec deliria persecuti sint? Qua de re vel loca plurima Poëtarum satis testantur. Vid. ex. gr. LUCANUS *Pharsal.* L. V. v. 430 sqq. Cfr. PLINIUS *Hist. Nat.* L. XXVIII, C. II sq. et L. XXX, C. I sq. Colchos inprimis atque Thessalos magicis artibus infames olim fuisse, notissimum est. Ac quid mirum, ad hanc stultitiam homines fuisse pronos, quorum tota religio superstitione turpissima nitebatur, oracula, sortes sacras, auspicia, extispicia, nullamque non amentiam continebat? quam magna est, inter utrumque genus delirii, cognatio, quam facilis ex altero in alterum delapsus! Fatendum tamen est, et honestioris conditionis homines ab his deliriis semper fuisse alieniores, et lucem literarum valde fidem iis datam minuisse; quae post philosophiae generosioris cladem, ex terris barbaris atque orientalibus, novo quasi impetu redierunt, atque ipsam quoque philosophiam turpissimo suo veneno infecerunt.

sia praedita; eo apertior his deliriis janua patuit, eo abundantior eorum fuit proventus⁸⁾. Unde mirum videri nequit, et has inprimis fama stultissimae artis majori semper flourisse, (quae ut umbra sole exoriente, longius longiusque sensim fugata, ad remotissimos horridissimosque terrae angulos tandem recessit), et cultiores populos ubique in vicinos, quominus politos minusque cognitos, eo asseverantius culpam cum domi exercitae tum sibi quoque traditae facultatis vanissimae transtulisse⁹⁾. Hinc septentrionis etiam nostri incolae alii alios, ut praecipuos artis dubiae (nunc sc. laudatae nunc reprehensae ac detestatae) magistros, vel suspexerunt vel incusarunt. *Germanici* generis nationes (Sveci, Norvegi, Dani) ipsae huic stultitiae admodum adiectae¹⁰⁾, *Finnis* inprimis hanc vel laudem vel infamiam

⁸⁾ Vera non minus quam foecunda, et ad magiae quoque effectus opinatos applicabilis, est observatio D:ni ISELIN: Solche Ereignisse sind doch jeweilen nur bey solchen Völkern gemein gewesen, die noch in der Barbarey lebten, derer Geist, wie der von Kindern, sehr roh, derer Urtheil sehr schwach, und derer Einbildung sehr stark und sehr unordentlich war. Wie mehr hingegen die Vernunft eines Volkes und eines einzelnen Menschen anwächst, desto wenigern Glauben finden solche Erzählungen bey ihnen. Wie mehr der Kopf eines Menschen von wirklichen Begriffen leer ist; desto leichter beherrschen ihn erdichtete und falsche. Wie mehr Licht und Wahrheit sich darinn ausbreiten; wie mehr die Uebermacht der Einbildung geschwächt wird: desto mehr verschwinden Gespenster und Erscheinungen. **Gesch. der Menschheit** 1 Band, 3 Buch, 17 Hauptst. p. 331 sq. in nota. Idem tamen vir doctus et acutus, non audet has nugas in numerum vel deliriorum vel fraudum omnes simpliciter referre: adeo vehemens praepudiciorum inveteratorum est vis atque auctoritas! Cfr l. c. 18 Hauptst. p. 336 sqq.

⁹⁾ Sic *Graeci Colchos, Hyperboreos etc.* hac arte maxime valere, garriebant. Vid. JAMBlichus *Vita Pythagorae* C. 19 et 28. LUCIANUS *Philopseud.* (Opp. T. II, p. 335, Ed. Amst. 1687 8:o). Cfr. OVIDIUS *Metamorph. L. XV, v. 356 sqq.*

¹⁰⁾ Quippe qui ipsum suum *Othinum* hujus artis peritissimum fuisse, asserebant. Caeterum de magia illorum vid. inprimis, quae accurate et copiose collegit Illustr. SUHM *Om Odin og den Hednisse Gudelære udi Norden* IV B. I C. § XII, XIII, p. 353 sqq.

tribuunt, quorum in his artibus summam peritiam, formidabilemque inde natam, nocendi praecipue, potentiam, nullae non eorum Historiae (Sagor) depingunt: quae cum post religionem adoptatam christianam, adeoque magicae artis odium vehementer auctum ¹¹⁾, confectae sint; tanto etjam studiosius tam infame a sua gente crimen amoliri, et in paganos, adeoque magis barbaros minusque illud horrentes, conferre, instituerunt. Unde ad posteros quoque fama artis detestabilis huic maxime populo cultae atque familiaris, propagata fuit. Quam famam ejusque rationem, caussas et fundamenta paucis exponere, praesentis erit Dissertationis materies atque consilium.

§ II.

Primum vero observamus, *Finnorum* nomen, quod in antiquis Historiae Septentrionalis monumentis toties occurrit, illam proprie gentem, cui hodie hanc appellationem tribuimus, (incolas nempe magni Principatus Finlandiae, qui *Suomalaiset* sese ipsi dicunt), haud respicere, Norvegis atque Islandis monumentorum plerorumque illorum auctoribus parum notam, sed eos, quos *Lappos* vel *Lappones* recentiori vocabulo veteribus illis scriptoribus ignoto, jam vocamus ¹⁾. Unde quae de Finnorum Magia, veneficiis atque incantationibus apud illos narrantur, ad nostros trahi Majores nullo modo debent; eoque minus, quum assignatae etiam famosis illis incantatoribus plerisque sedes, manifeste homines Lappones indigent; cum quibus, utpote vetustissimis Alpium septentrionalium habitatoribus, adeoque vicinis suis, multum olim negotii Norvegis fuisse, novimus. Quamquam igitur minime negamus, nostros etiam majores, ut reliquis

¹¹⁾ Nempe Diabolo jam ejusque auxilio omnia consilia operaque magica adscribere, moris erat.

¹⁾ Cfr. Diss. Clar. D:ni FRANTZÉN *de Bircarlis*, supra p. 121 sqq. not. ⁵⁾ ⁶⁾ ⁷⁾. Ac notum est, neque hodie Norvegos nostris hominibus *Finnorum* nomen tribuere, quo Lappos ac maxime Finmarchiae suae incolas designant.

superstitionis nugis atque deliriis, ita praetensae quoque arti magicae incantationibusque valde fuisse deditos (eujus stultitiae necdum penitus vestigia evanuerunt); majore tamen illos harum artium cultarum infamia, quam pro merito, recentioribus temporibus fuisse aspersos, vel hinc suspicari mox licet. Gentem vero utramque (*Lapponum* sc. qui soli olim *Finni* vocati sunt, et quibus denotandis illud nomen inventum fuit, nostrorumque *Finlandorum*, quibuscum idem postea per errorem fuit communicatum) ex eadem licet antiquitus stirpe ortam, minime tamen esse confundendam, nec post adventum demum suum ad septentrionis has oras, multoque minus nonnisi post religionem Christianam in Patriam propagatam, in binos hos quasi ramos abiisse, sed diu antea jam fuisse Lappones, antiquissimos septentrionis incolas, a longe serius advenientibus Finlandis distinctos atque segregatos, certissimum ²⁾ habemus. Qua re diligenter observata, mox patebit, testimonia scriptorum exterorum (utpote alium omnino populum spectantia) ad Magiae a nostris olim majoribus factitatae studium vehementius, iis impingendum, haud sufficere.

§ III.

Quæ de *Lapponum* partim celebrata olim partim execrata magia atque incantationibus, circumlata sunt, a scriptoribus rerum hujus gentis diligenter collecta et exposita ¹⁾, persequi hoc loco non attinet. Non modo re atque veritate majora de iis, ut fieri solet, fuisse credita; sed a scriptoribus quoque veteribus, studio omnia in majus efferendi, temere aucta et exaggerata, facile est ad videndum. Neque quid homo sanus atque intelligens de his nugis atque deliriis existimare debeat, obscurum videri potest. Nostros autem majores, quos *Fennos* proprie vocandi jam mos in-

²⁾ Diss. cit. l. c.

¹⁾ A SCHEFFERO, HÖGSTRÖMIO, LEEMIO caeterisque notissimis, qui de *Lapponum* Historia atque moribus scripsere, auctoribus.

valuit, quod attinet: in multis quidem ejusdem plane stultitiae, earundem technarum atque praestigiarum, quae Lapponum olim familiares erant Magis, apud illos quoque vestigia reperiuntur. Quod neque mirum; quum ex communibus caussis proveniens talium artium in omnibus fere populis barbaris, remotissimas licet mundi partes habitantibus, insignis occurrat similitudo: quam facile fuerit, comparatione inter Asiaticarum, Africanarum et Americanarum gentium superstitiones facta, (cujus facultatem copiosissimam peregrinatorum libri praebent), ex instituto demonstrare. Quod tamen hujus loci consilium nobis non permittit. Eadem ignorantia, idem amor rerum miraculosarum, idem ingenium rude atque incultum, eadem conditio vitae, iidem fere mores, idem ambitus et penus idearum, in similia consilia, similes eminendi et fallendi artes, homines ubique impellunt²⁾. Soli tamen coelique natura diversa, quamque illa gignit in victus cultusque ratione diversitas, nec non gradus culturae major aut minor, dissimilitudinem quandam necessario parit; qualem inter Lapponum quoque supersti-

²⁾ Sic inter reliqua consilia effectus mirabiles praestandi, (gestus, exsultationes, agitationes, contorsiones et afflictiones corporis violentas et praecipites etc.), Carmina, vehementi mentis contentione recitata, ac interdum etjam cantum quendam (unde *incantationis* vocabulum exstitit), adhiberi nullibi non sive, notum est: quem morem, et ex vi carminum in mentes humanas afficiendas, saepius experta (quam in res quascunque alias non debiliorem esse, hinc intulerunt), et certarum formularum, vix aliter memoria accurate tenendarum, credita nescio qua efficacitate, a majoribus commendata, ortum fuisse, facile patet. Qualibus carminibus atque formulis, insitam quandam miramque vim per se inesse, plane ut vulgus coecum imperitumque putat, nec Philosophi defuerunt (nomine licet parum hoc digni), qui statuerent; ut vel Platonici sic dicti recentiores, suo exemplo, in probrum humani ingenii, demonstrarunt. Cfr. MEINERS *Beitrag zur Gesch. der Denkart der ersten Jahrhunderte nach Christi Geburt*, 2c. f. 84—94. Ac apud nos quoque non multum abfuit a simili stultitia *Gabr. Maxenius* in Diss. Acad. de *Effectibus Fascino Naturalibus* (hic Aboae a. 1733 Praes. *Joh. Thorvöste* edita): vid. ejusd. §§ VII et VIII.

tionem, qui venatu tantum, piscatu et Rangiferis pascendis vitam sustinuerunt sustententque, et Fennorum nostrorum, qui agriculturam etiam, ab initiis usque sedium suarum in his terris quaesitarum, operam dederunt, observamus. Sic memorabile est, *Tympani Magici*, cujus usus inter Lappones fuit celebratissimus (*Kåbda*, alii scribunt *Quodbas*, ipsi sua lingua vocant), apud Fennos adhibiti, nullum omnino exstare vestigium; ac ne nomen quidem hujus instrumenti Fennicum, ut neque apud Estonos, ullum reperiri. At ejus tamen usus apud multas nationes barbaras Asiae septentrionalis, etiam stirpis Fennicae, (sed Lappis quam nostris Finlandis, aliis etiam rebus magis affinibus), solennis hodieque superest³⁾. Nec minus est notatu dignum, inter reliquas Estonum superstitiones, quarum meminit non uno loco auctor veteris *Chronici Livonici*, quod in lucem publicam GRUBERUS edidit⁴⁾, nullam prorsus hujus instrumenti occurrere mentionem; ut neque omnino insigni aliqua artium magicarum fama eminuisse, ullibi significat. Credibile est, in utraque natione, utpote jam agricola, adeo-

³⁾ Ejus rei notitia egregia peti potest ex Itinerariis virorum Doctissimorum, qui jussu Academiae Scientiarum Petropolitanae per provincias minus cognitatas vastissimi imperii Russici, haud ita pridem peregrinationes susceperunt. Exempli loco nonnulla tantum exempla indicabimus. Sic Dn. PALLAS docet (*Reise durch verschiedene Provinzen des Russischen Reichs*, Part. III, p. 62), *Ostiacorum* magos sive *Schamanos*, ut plerosque Schamanos populorum per Sibiriam dispersorum, Tympanis magicis uti; idem de *Samojedorum* Magis, quos *Tadyb* vocant (nomine non omnino ab Lapponum *Tabdet* et Fennorum *Tuta*, cognoscere, abhorrente), ib. p. 75 et 78 narrat: de Chorinzicis (quorum *Maga Udugun* audiit) p. 176 et 181 sq.; de *Tungusicis* ib., p. 221 sqq. (cfr. GEORGI *Bemerk. einer Reise im Russischen Reich* 1 B. p. 280 etc.; E. YSSBRANTS IDES *Reise nach China* p. 64 sqq.; ADAM BRANDS *Beschr. seiner Chinesischen Reise* p. 97 sqq.) de *Sagajicis* (dictis *Kahm*) ib. p. 345, 347; de Tataro *Katschintzicis* ib. p. 401 sq. Add. de Schamanis *Buraeticis* GEORGI l. c. p. 316 sqq.

⁴⁾ *Origines Livoniae Sacrae et Civilis* (Ff:ti et Lips. 1740). Cfr. ex. gr. p. 167.

que ex crassissimae barbariei tenebris aliquantum progressa, absurdiora ista molimina (ut in aliis etiam terrae partibus, simili ubi homines conditione fuerunt, factum reperimus) cessasse; aliis licet cognati generis fraudibus atque nugis, mentes coecas fascinare nihilominus pergentibus. Quin, post promotas longius ad septentrionem, Lapponibusque propius gentis sedes, nova quaedam rursus superstitionis ludibria ab his fuisse adscita, non omnino improbable credas, quos, qui inter Fennos nostros maxime superstitiosi sunt, hodieque ut harum artium non modo magistros se superiores suspiciunt, doctoresque suos agnoscunt ⁵⁾, sed, ad illos

⁵⁾ Lappones olim, ante majorum nostrorum in has terras adventum, in Finlandia sedes suas habuisse, atque ab his sensim ejectos hinc esse, certissimis doceri potest argumentis; Cfr. Diss. D:ni FRANTZÉN supra citat. § 1, p. 119 not. 1) 2) 3). Eisdem Lappones a Fennis magiae callentissimos haberi, quos doctores in hac arte suos agnoscunt, multis constat documentis. Sic si quem magicae artis peritia eminere inprimis putant, de eo dicere solent: *Se on koko Lappi, ille Lappo totus (vel plane) est.*

In carmine quodam superstitioso miles bellum aditurus, optat ut *Vehum Dei Väinämöinen, et pallium longinqui Lapponis* sibi in tegumen corporis contingat:

Waippa manhan Väinämöisen,
Kaapu kauko Lappalaisen,
Sepä tänne tuotukohon zc.

In alio vates dicit se *verba tradita dicturum, quae Lappo olim cecinit, Sacer senex cantavit:*

Noita saatuja sanoja,
Joita ennen Lappi lauloi,
Wiikki manha wierettefi.

Alius vates, tenuem suam excusaturus venam poëticam, dicit se neque genere natum esse poëtico, neque ex instituto artem didicisse, sed quasi e longinquo et clam canentem audiisse magistrum Lapponem:

En minä Nunon sukua,
Engä laulajan lajia:

itinera quoque interdum, ubi scilicet sibi aqua haeret, admodum longinqua clam suscipiunt, exquisitorum responsa efficacioraque malorum, quibus premuntur, remedia inde reportaturi. Nec exigua superstitionum pars nugarum, quibus hodie Fenni nostri litant, Svecis atque Germanis accepta debetur; a quibus nostri illas, cum ipsa simul religione Christiana (turpe ac deplorandum!) didicerunt: quod ex collatis inter se harum gentium superstitionibus, oppido patet ⁶). Inprimis quae Papisticas redolent fabulas atque

Ulfoa runoja kuulin,
Läpi seinän laulajata,
Lattialla Lappalaista.

⁶) Cfr. v. gr. quae de superstitionibus Svecorum habet JON. MOMAN Diss. de *Superstitionibus hodiernis ex Gentilismo* (Ups. 1750 et 1752, p. I et II. Praes. IHRE) cum iis, quae de *Superstitione Veterum Fennorum* tradit Diss. CHRIST. LENCQVIST (Aboae 1782, P. I et II): quam comparationem latius instituere, paginarum angustia nobis jam non permittit.

Quaedam inprimis carmina gentis utriusque superstitiosa adeo arctam produnt cognationem, ut nemini esse dubium queat, quin alia gens ab alia mutuo acceperit. Duo tantum exempla apponam. Sic ad *Paronychiam* depellendam (at läsa härt **Svefan**) tali carmine rusticos Svecanos superstitiosos uti docet MOMAN l. c. p. 62:

| | |
|---|---|
| Wår Herre Christ och Sancte Pehr | Dominus noster Christus et Sanctus Petrus |
| Gingo wågen fram | Ambulabant per viam. |
| Så mötte de Qwesjan; | Tum obviam venit Paronychia; |
| Så frågar wår Herre: | Tum interrogabat Dominus: |
| Swart skall du gå? | Quorsum ibis? |
| Jag skall gå i en man= (qwin=) hand. | Ibo viri (foeminae) in manum. |
| Nej, svarar wår Herre; | Nequaquam, respondet Dominus; |
| Du skall gå i den skog där ingen bor, | Ibis in silvam ubi nemo habitat, |
| I den sjö där ingen rör, | In lacum ubi nemo remigat, |
| Och under en jordfast sten, | Ac sub lapidem terrae infixum; |
| Och icke göra denna mannen (qwin= nan) men. | Ac huic viro (foeminae) non nocebis. |

Contra eundem morbum (*Koi, Koisi, vel Koiso, nomine etiam e Svecica lingua, ut videtur, mutuo accepto*) hujusmodi carmen Fenni superstitiosi adhibent:

| | |
|--------------------------|--------------------------------|
| Jesús kävi tietä myöden; | Jesus ambulabat secundum viam; |
| Luli häändä Koi waftaan. | Obviam ei venit Paronychia. |

portenta, (in quibus b. Mariae virgini et Apostolo Petro insignes dari solent partes), ex hoc fonte cuncta ad nos manasse, facile patet; nec dissimulo, suspicionem mihi esse, quasdam alias ineptias, quae in nostris terris atque moribus vix videntur natae, eadem hac via ex Graecorum Romanorumque veteri superstitione, quam Christianae religionis confessores per infelicia illa ignorantiae secula turpiter adoptaverant ?), ad nostros Majores transiisse. Adeo non hu-

Jesüs sanoï koiſle kowasti:
Mihingäs menet matoinen?
Menen tuonne luuta syömään,
Ehää menen mädtämään.
Mene tuonne liven alle,
Kibu siellä finnähainen,
Paru siellä pannähainen,
Täſä pitkäſä ijaſä,
Minun päiwäfunnisi!

Jesus dixit Paronychiaev severe:
Quorsum vadis vermicule?
Vado illuc, ossa rosarum,
Carnem vado corruptum,
Vade illuc sub lapidem,
Conquerere ibi nebulo,
Lamenta ibi exsecrande,
Per longum hoc aevum,
Per cunctos meos dies!

Membra luxata (equorum, pecudum etc. maxime) ad pristinum locum componendi rationem, Svecis usurpatam, talem tradit l. c. MOMAN p. 63.

Jesüs red på sin fåla;
Hans fåla wred sig.
Satte led mot led,

Jesus vehebatur equulo suo;
Equulus suus luxatus est.
Apavit (sc. Jesus) articulum contra
articulum,

Sena mot sena,
Blod mot blod,
Lade Ia i Ia,
Dot som åt är gjordt.

Tendinem contra tendinem,
Sangvinem contra sangvinem,
Posuit cuncta in ordinem,
Remedium quod perfectum est.

Eidem malo sanando Fenni hoc carmen adhibent:

Kiesüs kirkohon ajawi,
Hewoisellä hiruvisellä,
Kala-hauwin karvaisella;
Ujoi siltoa sinistä,

Jesus in templum vectus est
Equo coloris alcini (fusci)
Lupi marini similis;
Vehebatur super pontem coeruleum
(obscurum, quia sc. summo mane
iter fecit)

Maata maran karwallista;

Terram coloris hepatici (caligine obductam);

Siweltsyi hewoisen jalka,
Kiwisellä kirkko-tiellä
Wahaisella wainiolla;
Kiesüs maahan rattahilta,
Suonia sowitzamahan,
Jäseniä jattamahan.
Misti' on luuta luishtanut,

Luxatus est equi pes,
Lapidosa templi-via,
Petris-aspero campo:
Jesus descendit ex dorso equi,
Tendines coaptatum,
Membra coagmentatum,
Unde ossa evolarunt,

jusmodi nugarum vel majores nostri praecipui auctores, ut multi hariolantur, aut nostrae hae terrae istarum vera patria, existimari debent! Ac pariter in istis, quae vel de *Finnorum* s. Lapponum, vel de Othini sui artibus magicis scriptores narrant Islandici, quaedam ab his addita et illis afficta esse, ad similitudinem talium artium a scriptoribus Graecis Romanisque commemoratarum, (quarum aliqua ad se fama una cum literarum diluculo pervenerat), mihi quidem manifestum videtur⁸). Sed hic filum abrumpere cogimur.

Siihen luuta liittyköhön;
 Mist' on liutunut lihoa,
 Siihen liittyhön lihoa;
 Mist' on suonta suljastanut,
 Siihen suonta solmufelle:
 Ohommaqi ennellistä,
 Paremmaqi muinallista!

Illuc os adjungatur;
 Unde dissoluta est caro,
 Illuc addatur caro;
 Unde tendo dejectus est,
 Illuc tendo constringatur:
 Ut fiant vegetiora pristinis,
 Meliora praeteritis!

Quis hasce nugas cum reliquo Papisticae superstitionis agmine a Svecis ad Fennos nostros pervenisse, non videat?

7) Minime negamus, (quod ex supra § I, dictis satis patet) insignem inter diversarum gentium barbararum superstitiones ubique deprehendi similitudinem, ex causarum earundem eodem effectus gignentium vi facile deducendam: sed tamen quasdam quasi locales esse, aegre nisi per mutuatum uni populo ab alio talem stultitiam explicandas, deprehendit credo quisque, accuratius indolem earum considerans. Atque ex hoc genere suspicor somnia fuisse Graecis olim familiarissima, de hominibus in ferarum variarum formas ope pharmacorum aut incantationum mutatis: quas nugas inde in septentrionem fuisse propagatas reor. Talem itaque formas mutandi potentiam suis etiam Magis Scandiani veteres adscripserunt (cfr. SUHM l. c.), unde similes fabellae ad nostram usque plebeculam propagatae sunt: quarum fontes, qui HOMERI *Odyseam*, LUCIANI scripta (ex. gr. *Asinum*), etc. legerit, facile agnoscat. Similia alia tacemus.

8) Plura sane de Lapponum s. Finnorum artibus vetera scripta tradunt Islandica, de quibus Lapponibus ipsis nihil fuit auditum: quod scriptores de superstitione Lapponum, cum illorum traditionibus conferenti, facile intelligitur. Cfr v. g. quae adfert l. c. III. SUHM cum iis, quae apud SCHEFFERUM *Lappon.* et HÖGSTRÖMIUM *Beskrifn. öfw. Sw. Lappm.* leguntur.

DE IMPERIO HERMANRICI OSTRO-
GOTHORUM REGIS.

DISSERTATIONES

QUAS

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICO EXAMINI SUBMISERUNT

CAROLUS REIN et ESAIAS HILDEEN.

Aboae 1792, 1794.

§ I.

Inter Reges Gothorum, ante imperium Romanum in ipsa Italia ab hoc populo percussum, in confiniis Ponti Euxini dominantes, clarissimum est *Hermanrici* ¹⁾ nomen; qui licet Hunnorum tandem succumbere formidosae potentiae et ferocissimo impetui cogeretur, diu tamen imperium amplissimum atque per suam maxime fortitudinem suasque victorias dilatatum tenuisse, traditur. Res ejus (ut in populorum gestis fatisque contingere necesse est, qui ipsi scriptores rerum suarum, ad posteritatem certe notos, nullos habuerunt) multa obscuritate multaque incertitudine laborant: sed AMMIANI tamen MARCELLINI fides ²⁾ et JORNANDIS (seu JORDANIS ³⁾) diligentia famam laudesque earum ita conseruarunt atque celebrarunt, ut materiam eruditioni ac diligentiae laudatissimorum recentioris aevi Scriptorum non contemnendam praeberent ⁴⁾. Quorum vestigiis insistentes, cum

¹⁾ Varie nomen, sive apud auctores veteres scribitur, sive in codicibus eorum manuscriptis exaratum exhibetur. *Ermenrichus* AMMIANO MARCELLINO (quomodo nostra exemplaria habent) dicitur; JORDANI vel *Ermanaricus* (In BONAV. VULCANII *Gothicarum — rer. Script.* C. 23, Ed. I, p. 64 sqq. et HUG. GROTII *Historia Gothorum* etc. C. 23, p. 642) vel *Hermanricus*, in FRID. LINDENBROGII *Diversar. gentium Historiae Antiquae Scriptoribus III*, p. 102 sqq. cujus nos lectionem, ut genio linguae convenientissimam, codicum MSS. et recentissimae editionis (in MURATORII *Scriptoribus rer. Italicarum T. I* reperiundae) conferendorum oportunitate carentes, sequimur.

²⁾ *Rerum gestarum* L. XXXI, C. III.

³⁾ *De rebus Geticis*. Vid. loca mox indicata.

⁴⁾ Ut nostros Historicos taceam illustres, VON DALIN (*Svea Rikes Historia* 1 Del. 10 C. 9 §) et LAGERBRING (*Sv. R. Hist.* 1 D. 17 C. 7 §) qui, non dicam quam merito, has res suis in-

nos quoque, specimen studiorum Academicum edituri ad locum eundem Historiae illustrandum operam qualemcunque collaturi sumus; speramus juveniles nostros conatus mitem Lectoris Benevoli experturos esse censuram.

§ II.

Quo tempore *Hermanricus* claruit, homines Gothicae stirpis in vicinia quidem maris Euxini sed latius tamen, et ad septentrionem, et ad orientem, et ad occidentem extensis sedibus, habitantes, in plures divisi comparent sive populos sive tribus, communi tamen lingua, communibus institutis atque moribus utentes; quales commemorantur *Greuthungi* et *Thervingi*¹⁾, *Gepidae*, *Heruli*²⁾ etc. Inter quos seruerunt operibus; diligentem pro more suo, iis tribuit operam III. SUHM, *Historie om de fra Norden udvandrede Folk*, 1 Bind, 1 Bog, § XXXI—XXXIII p. 112—133. Nec nullam quibusdam partibus impendit industriam Cel. THUNMAN *Untersuch. über die alte Gesch. einiger Nordischen Völker*, p. 172 sqq. et 176, It. *Untersuch. über die Geschichte der Östlichen Europ. Völker*, p. 26 sqq. 369 sqq.

¹⁾ Vid. AMMIANUS l. c. Gothicos fuisse populos patet, licet non satis id distincte doceat; explicata scilicet perspicuitas ad dotes hujus Scriptoris non pertinet, qui saepe res alienas immiscens ac copiose persequens, alias contra, scitu multo magis necessarias, nonnisi obiter tangit. Scytharum, ut vocat, diversos populos commemorantem TREBELLIVM POLLIONEM (in vita *Claudii* C. VI) et FLAVIVM VOPISCUM (in vita *Probi* C. 18) conferre utile foret, nisi tam foede nomina pleraque corrupta essent: notae tamen Salmasii ad locum utrumque, non contemnendam praebent opem. JORDANI nomen *Gruthungorum* et *Thervingorum* ignotum est, uti AMMIANO contra *Ostrogothorum* et *Vesegothorum*, illi familiarissimae, appellationes.

²⁾ TREBELLIVS POLLIO et FLAVIVS VOPISCUS l. l. c. c.; ut Jordanem taceamus. Caeterum sedes his gentibus valde diverse ab auctoribus assignantur; quod partim ex diversitate temporum, quibus vixerunt Scriptores, atque parum distincta aut certa earum cognitione, in populis sedes passim mutantibus et varie sese nunc conjungentibus nunc separantibus, omnino difficillima; partim ex corruptione nominum codices misere deformante, lectionisque orta hinc parum certa in his rebus ratione, pendet.

Greuthungi (s. *Grauthungi*, *Gruthungi*), non improbabili virorum doctorum conjectura ³⁾ iidem habentur, qui alias, sub *OstroGothorum* nomine inclaruerunt ⁴⁾; ut *Thervingorum* contra nomen *VestroGothos* denotare, existimant ⁵⁾. Quicquid sit, circa medium seculi IV, sive *Greuthungis* sive *OstroGothis*, sedes tum praecipuas circa Borystenem, inter Tannaim atque Danastrum (Tyram) in Tataria minori, Ucraina atque Volhynia hodierna habentibus, imperasse reperi-mus *Hermanricum*; quem *bellicosissimum Regem, et per multa variaque fortiter facta vicinis nationibus formidatum* appellat AMMIANUS, scriptor diligens et fidei exploratae; de cujus autem *Hermanrici* gestis atque imperio, magnificam et haud paullo gloriosiore exhibet narrationem JORDANES: praeter quos duumviros, nomen ejus a nullo alio, quod sciam, auctore vetere hodie quidem superstite celebratum aut memoriae proditum habetur. Tempore porro irruptionis ferocis in Europam ab Hunnis eodem seculo factae, quorum primus impetus in Gothos erupit, idem AMMIANUS ⁶⁾ Regem hunc hactenus victoriosum atque potentem, vi illorum immensa-que multitudine, fama in majus indies elata, adeo concussum fuisse narrat, ut de salute regni sui desperans, mortem sua sibi manu conscisceret. Verba ipsa adponemus: *Qui (Ermenrichus) vi subitae procellae percussus, quamvis manere fundatus et stabilis diu conatus est, impendentium tamen diritatem augente vulgatius fama, magnorum discriminum metum voluntaria morte sedavit.*

³⁾ LAGERBRING l. c. SUHM l. c. L. V. p. 323; alique plures. AMMIANI et JORDANIS testimonia conferentibus, res satis manifesta evadit.

⁴⁾ *AustroGothorum* jam meminit TREBELLIIUS POLLIO l. c. quorum deinde nomen factum fuit celeberrimum.

⁵⁾ Auctores nuper laudati, not. ³⁾.

⁶⁾ Hoc ex communi constat auctorum qui res seculi IV exposuerunt testimonio; cfr. (praeter AMMIANUM et JORDANEM), OROSIUS L. VII, C. 33, et excerpti a Cel. STRITTERO (*Memor. populor. e Scriptoribus Byzant. erutae*) *Theophanes* et *Eunapius* T. I p. 46, 48.

Haec JORDANES studiosius ornans, multa addit, nullius alius auctoris, nisi sua fide, non ubique certissima ⁷⁾, jam nixa: *Hermanricum* nostrum, ex illustrissima ortum *Amalo-*

7) De hujus auctoritate Scriptoris, non omnibus idem videri, mirum existimari haud debet. Non antiquioribus modo nostris Historicis, qui hypotheses suas de celeberrimorum illorum Gothorum e Scandia nostra egressu, hisque similes, illius imprimis testimonio superstruebant; sed plerisque etiam recentioribus laudatissimis auctoribus, minime contemnenda habetur: cfr. LAGERBRING l. c. § 3 et SUHM l. c. p. 19, 632, ac alibi passim, naevus tamen illius, ut exspectandum fuit, neque dissimulatis neque probatis. His addimus THUNMANNI iudicium, (**Untersuch. über die alte Gesch. einiger nordischen völker** p. 32 sq.) *Jordanes* — schrieb — um daß jahr 551. Außer vielen ältern Geschichtschreibern, die er gebraucht hat, und die zum theil für uns verloren gegangen, konnte er als Sekretär bei einem Gotischen König, und darauf als Bischof der Gothen (quod tamen alii in dubium vocant) viele wichtige nachrichten bekommen, besonders von dingen, die zu seiner zeit vorgingen, und die auf einige weise seine eigene nation betrafen? Eine solche ist auch die, worauf ich mich beziehe, und sie kann und darf also keines weges zu den weniger glaubwürdigen gezählt werden, die bisweilen, das mißtrauen der Critiker gegen diesen wirklich schätzbaren Geschichtschreiber erweckt haben. Alii contra fidem ejus non modo manifestis suis ostensis erroribus atque fabulis infringere studuerunt, sed etiam ad ipsam suam confessionem provocando, in Epistola dedicatoria ad *Castalium* (operi suo praemissa) quam nescio quo consilio *Grotius* in sua editione omisit, occurrentem, qua, ex memoria se compendium dare voluminum XII Historiae Gothicae *Cassiodori Senatoris*, antehac raptim perlectorum, fatetur. Verba ipsius sunt: „Svades ut nostris verbis duodecim „*Senatoris* volumina de origine actuque *Getarum*, ab olim usque nunc per generationes Regesque descendente, in unum et hoc parvo libello coarctem — Sed ut non mentiar, ad triduanam lectionem dispensatoris ejus beneficio libros ipsos antehac relegi. Quorum quamvis verba non recolo, sensus tamen et res actas credo me integre tenere. Ad quos nonnulla ex Historicis Graecis et Latinis addidi convenientia; initium finemque, et plura in medio, mea dictatione permiscens.“ Ex quibus igitur fontibus, et quomodo hauserit, satis apparet. Quos alios scriptores ipse consuluerit, quas auctoritates, quantaque diligentia et fide ipse adhibuerit, facile non est ubique statuere: satis credulum, atque ad res Gothorum augendas propensum, vel ipsum, vel Auctorem suum fuisse, non obscure patet.

rum stirpe ac hujus familiae nobilissimum, Regi Gothorum *Gebericho* in regno successisse; multisque et bellicosissimis *Arctois* gentibus perdomitis ideo a nonnullis suae nationis ⁸⁾, merito fuisse *Alexandro Magno* comparatum. Populos deinde enumerat ab illo victos et subjugatos: *Gothos*, *Scythas*, *Thuidos in aunaxis*, *Vasinabroncas*, *Merens*, *Mordensimnis*, *Caris*, *Rocas*, *Tadzans*, *Athaul*, *Navego*, *Bubegentas*, *Coldas*; nomina pleraque barbaris ipsis barbariora! quorum, culpa librariorum pessime corruptorum, singulorum sanandorum atque explicandorum spei omni prudenter renuntiat Illustr. SUHM, quaedam feliciter explanans ⁹⁾; nonnulla praeterea divinando enodare conatus est Celeb. THUNMAN ¹⁰⁾. *Herulos*

⁸⁾ *Majores nonnullos* hoc fecisse, autumat; *Gothos* sine dubio intelligens? studio suarum rerum magnificentius celebrandarum satis inepto, hic ductos.

⁹⁾ L. c. § XXXI. *Gothos* eum *Vestrogotos* imprimis vocare, admodum probabiliter disputat; quos a Graecis quoque et Romanis scriptoribus, cum de *Gothorum* in Romanum imperium primis irruptionibus loquuntur, utpote huic viciniore maxime significari scripta sua diligenter consulentibus, facile patet. *Scythas*, nomen admodum vagum, vel a JORDANE temere additum, vel glossema librarii esse, recte autumat. *Merens* HERODOTI *Mares*, eosdem qui sua lingua *Mari*, ab aliis *Tscheremissi* hodie vocantur, esse putat. *Mordensimnis*, quod nomen in aliis codicibus *Morden* scribi docet, Russorum veterum *Mordua*, hodiernos *Mordvinos*, esse existimat. *Rocas* significare *Roxolanos* arbitrat. *Athaul* (Athual) *Bulgaros* esse conjicit, a fluvio *Ethel* vel *Ethel* ita appellatos, ut a nomine ejusdem fluvii hodierno, *Volga*, postea aliud illud nomen accepisse putantur. Et sic porro.

¹⁰⁾ *Golthes* (quae vox in quibusdam codicibus pro *Gothis* occurrit) *Galindas* interpretatur, qui in annalibus Russorum *Golady*, in litteris Papae Alexandri IV (apud *Raynaldum* T. XIV, a. 1257, n. 24) *Goltae* vocentur. *Thuidi* (l. *Thiuidi*) *Tschudos* Russorum (si hoc gentis est nomen, et non *Peregrinos* in universum denotat; cfr Cel. SCHLÖZER *Probe Russischer Annalen* p. 73, forte tamen ad homines generis Fennici inprimis restrictum?) fuisse putat. *Remniscans* (lectio varia pro *Caris*) de *Tscheremissis* explicat.

porro, *juxta Maeotidas paludes habitantes* ¹¹⁾, quorum velocitatem celebrat, a *Hermanrico* fuisse victos, auctor addit; postea eundem *Venetos* ¹²⁾ (in tres deinde populos, *Venedos*, *Antes* et *Sclavos* distractos) subegisse, atque *AEstorum* ¹³⁾ *similiter nationem, qui longissima ripa oceani Germanici* ¹⁴⁾ *insident*, sub potestatem suam redegisse, ita ut *omnibus tandem Scythiae et Germaniae nationibus* ¹⁵⁾ *imperaret*.

§ III.

Attentius haec omnia considerans, nemo non videt JORDANEM studio herois sui virtutem potentiamque celebrandi abreptum, verba adhibuisse, quae severius examinata, cum exacta veritate conciliari haud possint. *Totam Germaniam* (quibus eam limitibus veteres definiunt) *Hermanrici*

¹¹⁾ De variis admodum, quae huic genti assignantur sedibus commentantem, cfr. III. SUHM I. c. II B. II p. 423—454.

¹²⁾ *Wendos*, *Wenedos*, (*Slavos*?)

¹³⁾ *Haestorum* habet Edit. LINDENBROGII, *AEstorum* MURATORI, pro *AEstrorum* quod apud VULCANIUM et GROTIUM legitur.

¹⁴⁾ Notum est, mare Balthicum a veteribus cum Oceano Septentrionali confundi, ac *Scandinaviam* insulam fuisse habitam, in hoc Oceano sitam. *AEsthos* autem (succini commercio olim notos) ripam hujus oceani longo tractu habitare, JORDANES putavit.

¹⁵⁾ Male auctor *Historiae Universalis (Allgem. Weltgeschichte)* quam, GUIL. GUTHRIE et JOH. GRAY convertentes atque reformantes laborem, Germani ediderunt, V Th. IV B. p. 348, haec verba *Ablavii* esse Historici a JORDANE allata, dicit; nescio quam secutus rationem. *Ablavium* (l. *Ablabium*) hunc, quem JORDANES *descriptorem Gothorum gentis egregium* atque *historiam* ejus *verissimam* vocat (C. IV), parum cognoscimus. Ne linguam quidem qua usus sit, aut aetatem qua vixerit, (aut gentem ad quam proxime pertinuerit?) definire certo licet, neque utrum eum JORDANES ipse consuluerit, an *Cassiodori* tantum de eo judicium secutus sit, satis apparet: multo minus, cujus ille aut diligentiae ac peritiae aut fidei fuerit, tuto existimare valemus. Cfr. de eo VOSSIUS de *Hist. Latinis*, L. III p. 690, et quae conjicit, non dicam quam feliciter, GROTIUS I. c. Proleg. p. 66.

paruisse legibus, fidem difficulter inveniatur; quam si in suam redeisset potestatem, a Romani Imperii finibus occidentilibus lacessendis, imo formidolosissimo impetu percellendis, haud fuisset quieturus: nec quae de statu aliarum quarundam nationum barbararum his temporibus scimus, cum unius imperio huiusmodi vastissimo, per totam Germaniam extenso, redigi in concordiam possunt ¹⁾. *Scythiae* autem universae nomine quid intellectum vellet, neque ipse forte definire JORDANES exactissime valuit, aut nationes ejus accurate recensere ²⁾. Probabile admodum est, ultra *Vistulam*, occidentem versus arma sua *Hermanricum* non extendisse, adeoque eam quae vere *Germania*, veterum consuetudine, dicta fuit, ne attigisse quidem. Ipse JORDANES victoriis suis multas *Arctos* gentes fuisse perdomitas, significat; quod non tantum nomina quarundam, situsque ipse locorum, verisimile reddunt, sed etiam parum cognita Romanis gesta sua atque minus interim vexatae horum provinciae, suis sedibus finitimae, confirmare videntur ³⁾. Itaque summo, ut

¹⁾ Cfr. *Juliani* et *Valentiniani* susceptas contra Germanos expeditiones apud AMMIANUM MARCELLINUM L. XVI—XXI et XXVII—XXX. Unius potestati hos subjectos non fuisse, nec communem Imperatorem agnovisse, facile intelligas.

²⁾ Ipse *Scythiam* suam describens, C. V, valde quidem incertos et aegre constituendos ei limites assignat; sed *Tatariam* tamen minorem, *Russiam Europaeam*, ditionem *Astrachanensem* et *Casanensem*, nec non *Poloniam*, (ad *Vistulam* usque) l. *Sarmatiam*, *Daciam* et *Moesiam* veterum, obscure licet, hoc comprehendisse nomine videtur? sed Geographiam ejus explanare, nostri minime nunc est instituti.

³⁾ Romanorum finibus eum non ingruisse, res ipsa loquitur: quos eo tempore *Atharicus* quidem *Thervingorum* (*Vest-Gothorum*) Judex, alique Duces minus potentes, infestabant; sed ingentibus *Hermanrici* opibus oppugnatos fuisse, haud reperimus. Partem tamen aliquam subditorum suorum, privato ausu, *Vest-Gothis*, aliisque tribus barbaris Romano imperio propioribus, sese adjunxisse interdum, praedas a locupletibus sed imbellibus vicinis subinde agentibus, valde verisimile est; quare AMMIANUS, irruptionem a Gothis tempore *Valentis* Imperatoris factam descripturus, dicit *gentem Gothorum ea tempestate intactam ideoque saevissimam, conspirantem in unum*, (quae verba tribus plu-

nobis quidem videtur, jure Illustr. SUHM sedem bellorum ab *Hermanrico* gestorum, regionumque ab illo occupatarum praecipuam, in hodierna *Russia Europaea*, atque imprimis locis *Tanai* et *Volgae* adjacentibus, quaerendam esse, significat⁴⁾; haud improbabile judicans, has ejus victorias, quibus Hunni (aut eorum amici) offensi provocatique fuerint, susceptae ab his post aliquot annos irruptioni formidabili

res independentes, societatem belli liberam ineuntes, potius quam homines unius imperio parentes, describunt) *ad pervadenda parari collimitia Thraciarum* L. XXVI, C. VI. Cum Valens in tertia sua expeditione Gothica, *continuatis itineribus longius agentes Greuthungos, bellicosam gentem, aggressus esset*, (ad Danastri fortassis viciniam penetraverat, qui fines *Greuthungorum* et *Thervingorum* separasse videtur, cfr. SUHM l. c. L. I § 34, p. 140 sq.) occurrit ei *Athanaricus*, (qui *Thervingorum Judex*, ib. L. XXXI C. III aperte vocatur; Cfr SUHM l. c. § 35 p. 147), adscitis forte etiam vicinorum *Greuthungorum*, in periculi societatem jam adductorum, auxiliis; *Hermanrici* nulla, vel hac occasione, fit mentio: pacem etiam nonnisi cum illo fecisse Valentem, aperte patet. Non enim opus est, quem Regem *Scythiarum* EUNAPIUS appellat (cfr. STRITTER l. c. p. 44 sq.) alium esse putemus quam eundem *Athanaricum*, cum quo (licet *Judicis* tantum ei nomen tribuat) AMMIANUS haec omnia transacta esse, testatur. Nec inde, quod *Athanarico* ab Hunnis superato, *Alavivum* et *Fridigernum*, magna apud Gothos auctoritate pollere videmus, illum his dignitate non fuisse superiorem colligere licet: cum notum sit, quam sint apud barbaros imperii et obedientiae vincula in universum laxa atque inconstantia, quae adversis casibus facile imprimis soleant abjici et mutari. Quam parum autem bella et maximae saepe rerum conversiones inter barbaros factae, Romanorum (ad quos tamen consequentiae earum vehementer pertinebant) attentionem adverterint, ipse docet AMMIANUS; qui de Gothorum ab Hunnis superatorum pulsorumque ad Istrum adventu scribens, addit: „Dum aguntur haec in externis, *novos majoresque solitis casus versare gentes arctois*, „rumores terribiles diffuderunt: — Quae res adspersanter a „nostris inter initia ipsa accepta est, *hanc ob causam, quod illis tractibus nonnisi peracta aut sopita audiri procul agentibus* „*conservebant bella.*“ (L, XXXI C. IV).

⁴⁾ L. c. § XXXI p. 115 sq.

causam proximam praebuisse? ⁵⁾). Meridiem versus imperii sui fines saltim ultra Danastrum patuisse, vix credas. Ac praeter ea quae de Romanorum finibus ab eo non vexatis nuper observavimus, alia etiam demonstrare argumenta videntur, ne *Westgothos* quidem potestati ejus paruisse: quibus hoc tempore summa auctoritate praefuisse *Athanicum* AMMIANUS aperte testatur ⁶⁾); eundemque *Regem* JORDANES recte appellat ⁷⁾), licet *Fridigerno* demum (imperante Romanis jam *Theodosio*) successisse, male idem significet, auctoritati AMMIANI ⁸⁾ aperte repug-

⁵⁾ Ibid. p. 116.

⁶⁾ Quare *hos* (*Gothorum* nomine generali appellatos) a JORDANE minus recte inter *domitos* ab *Hermanrico* populos enumerari, putamus; cfr. supra p. 201 Not. ⁹⁾). Ad *eosdem* inprimis spectare quae de *Gothorum* irruptionibus primis scriptores Romani Graecique tradunt, confirmat etiam Cel. STRITTER l. c. *Summar.* p. 5 not. a). Nulla caeterum occurrunt apud AMMIANUM vestigia, quae *Athanicum* agnovisse aliquem superiorem, aut alienis auspiciis res gessisse, indicent. Vid. L. XXII, C. 5. Quin JORDANES ipse (non optime sibi hac in parte constans?) cum inferius (C. XXIV) de Hunnis in *Ostrogothos* (*Hermanrico* adhuc tum vivo) irruentibus loquitur, dicit: „a quorum „societate jam Vesegothae discessere, quam dudum inter se juncti „habebant.“ De populo altero ab altero nuper *domito*, aegre haec explices? Ac potius ad ea existimes respicere, quae superius (C. XVII) de tribu utraque olim, sub *Ostrogothae* imperio conjuncta, dixerat? Quos igitur *Gothos Hermanricus*, *Ostro-gothorum* ipse Rex, *domuerit*, difficillimum jam erit conjectu.

⁷⁾ C. XXVIII. Cfr. quae observavimus supra p. 203 sq. not. ³⁾).

⁸⁾ Qui l. c. (L. XXVII, C. V) *Valentem* Imperatorem in hunc *Athanicum* signa commovisse, aperte docet; cum quo pacem etiam ab eodem Imperatore fuisse conclusam testatur, addens (ne quis alium esse *Athanicum* putet, de quo JORDANES loquatur, illi posteriorem): „Hocque composito et acceptis obsidibus, Valens Constantinopolim rediit; *ubi postea Athanicus*, „proximorum factione genitalibus terris expulsus, fatali sorte decessit, et ambitiosis exsequiis ritu sepultus est nostro.“ Cfr. JORDANES l. c. C. XXVIII. *Fridigernum* autem unum ex ducibus fuisse (*Alavivo* tamen, ut videtur, auctoritate minorem?)

nans ⁹⁾. Neque probabile nobis videtur, quod idem JORDANES asserit (C. XXIII) *Geberichum* fuisse *Hermanrici* nostri in regno proximum antecessorem; quod illum Westgothis, hunc Ostgothis (neutrum populo utrique) imperasse existimamus ¹⁰⁾; suspicantes aut JORDANEM, aut quem se-

parti Gothorum, quae Athanaricum ab Hunnis superatum et *ad effugia properare montium praeruptorum* coactum deseruerat, praefectorum, idem AMMIANUS aperte dicit; cui itaque *Fridigerno Athanaricum* successisse, incommode valde asseri putamus. Veterem Romam pro Nova (Constantinopoli) ex lapsu memoriae substituit Ill. VON DALIN, cum l. c. I D. 10 C. 9 § dicit: Athanaric dog så godt som landsflyktig i Rom.

⁹⁾ Fortassis ne suum regnum, celebratae tantopere *Hermanrici* Monarchiae officeret? Laudatoris enim potius quam Historici partes haud raro agere JORDANEM aliquoties vidimus: nec victoriarum vel verbo meminit a Valente de Gothis reportatarum, quas commemorat AMMIANUS, nec pacis ab eo cum *Athanarico* factae, splendori Monarchiae Hermanrici parum favorabilium. Similiter neque clades Greuthungorum, post mortem *Hermanrici* acceptas, nisi paucis tangit: quem defectum supplet rursus AMMIANUS, docens illis superatis Hunnos (quibus, eorumque sociis Alanis post mortem *Hermanrici*, successor suus *Vithimeris aliquantisper restitit, sed post multas quas pertulit clades, animam effudit in praelio vi superatus armorum*) porro in Thervingorum fines irrupisse; quorum Judici (vel Regi) *Athanarico* hi motus interim non nisi per famam innotuerant; adeo non vel ipse vel populus suus pars erat magni imperii Greuthungici!

¹⁰⁾ *Geberichum*, (*Athanarici* forte in regno antecessorem?) a quo *Vandalos*, inter *Gothos* ab orientali et *Marcomannos* ab occidentali plaga sibi vicinos (in parte hodierna *Moldaviae? Wallachiae. Transylvaniae et Ungariae superioris*) habitantes, (cfr. SUHM l. c. § XXX p. 110 sqq.) superatos fuisse JORDANES tradit, nonnisi *Vestrogothis* imperasse, hinc credimus; *Hermanricum* vero (qui cum populis bellavit ad Wolgam etc. habitantibus) solis *Ostrogothis*. Hunc ex gente fuisse *Amalorum* expresse idem asserit, quod de *Gebericho* nullibi prodit. Genealogias quidem ejus (in remotioribus imprimis earum articulis) maximi non facimus: sed cum tamen *Amalos* ab *Ostrogotha* (si hominis hoc nomen et non potius gentis fuit? qualem permutationem non raro in vetustis monumentis occurrere novimus) per filium ejus *Unilt* deducat (C. XIV), et hujus *Ostrogothae* tempore populum Gothicum nondum in *Ostrogothas* et *Vesegothas*

cutus fuit auctorem, tribuum diversarum Regulos, partim coaevos (eorumque gesta), multorum more scriptorum, in unam interdum seriem, quo eam exhibere posset longiorem splendidioremque, disposuisse?

[Supersunt quidem nonnulla adhuc, quo argumentum susceptum plene explicetur, persecuenda: de morte *Hermanrici*, de annis aetatis suae, de ratione temporis sui gestorumque suorum accuratius constituenda, de interitu tandem imperii sui, celerisque ejus ruinae caussis; sed haec aliorum absolvenda industriae relinquere, facultatum jubet ratio].

§ IV.

De morte porro *Hermanrici*, quam, Hunnis irruentibus ¹⁾, ex metu impendentium discriminum (quorum diritatem indies fama auxerat), salute imperii desperata ipsum sibi conscivisse AMMIANUS docet ²⁾, ita JORNANDES scribit, ut haud obscure timiditatis et ignaviae suspicionem ab Herois sui fama removeere studeat. Nam sub Hunnorum adventu, a duobus fratribus Roxolanis *Saro* et *Ammio*, germanae ³⁾

fuisse divisum (non dicam quam commode) asserat, verum uni paruisse imperio affirmet (C. XVII), ac *Geberichi* genus alia serie (C. XXII) ad *Cnividam* referat (eundem, ut videtur, quem, C. XVIII *Cnivam* vocat, ac post *Ostrogotham* praefuisse Gothis dicit?); probabile sit, Regem utrumque ad eandem stirpem nec a JORDANE ipso fuisse relatam.

¹⁾ Qui „pervasis Alanorum regionibus, quos Greuthungis „confines *Tanaitas* consuetudo nominavit, interfectisque multis „et spoliatis, reliquos sibi concordandi fide pacta junxerunt: „eisque adjunctis, confidentius *Ermenrichi* late patentes et uberes „pagos repentino impetu perruperunt.“ l. c. Quibus verbis Auctor *Tanaim* fluvium finem orientalem imperii Gothici haud obscure constituit, ad cujus alteram ripam regio Alanorum pertineret; quare cum ad *Volgam* usque victorias suas *Hermanricum* extendisse, supra p. 204 (praeceunte Illustr. SUHMIO), significatum fuit, *superiorem* Wolgam intelligi debere, facile patet.

²⁾ Cfr. supra p. 199.

³⁾ *Sanieth* nomine, sive ut in alio Codice appellatur, *Sonilda*. Vid. Illustr. SUHM l. c. I B. § 32, p. 122.

necem ab *Hermanrico* crudeliter trucidatae ulturis, latus ejus ferro sauciatum fuisse tradit, unde *aegram vitam corporis imbecillitate contraxerit*. Quibus addit: „Quam adversam ejus valetudinem captans Balamir Rex Hunnorum, in „Ostrogothas movit procinctum: a quorum societate jam Vese- „gothae discessere, quam *dudum* inter se juncti habebant. In- „ter haec *Hermanricus tam vulneris dolorem, quam etiam in- „cursiones Hunnorum non ferens*, grandaevus et *plenus dierum*, „centesimo decimo anno vitae suae, *defunctus est*. Cu- „jus mortis occasio dedit Hunnis praevalere in Gothis illis, „quos dixeramus orientali plaga sedere et Ostrogothas nun- „cupari“⁴⁾. Discas hinc, aegrum ex vulnere Regem inde fuisse impeditum quo minus Hunnis intrepide obviam iret, hostesque fortiter repelleret, hoc ipso ejus incommodo imperium, defectione etiam Westrogothorum debilitatum⁵⁾, lacessere ausis; quare cum doloris saevitia victum, tum Hunnorum successu, quem prohibere sibi non liceret, commotum, sponte mortem sumpsisse: quin enim acceleratum suo ipsius arbitrio (moribus gentis convenienter) e vita excessum verba Auctoris, obscurius licet significant, dubium non videtur⁶⁾.

Neuter igitur praelium cum hostibus commisisse narrat; cujus rei causam AMMIANUS in terrore atque desperatione, JORDANES inprimis in valetudine Regis infirma ponit: adeo ille nihil de vulnere aut morbo *Hermanrici* habet, ut *diu conatum esse manere fundatum et stabilem* dicat,

⁴⁾ L. c. C. 24 fin.

⁵⁾ Postea tamen, C. 48 dicit *Ostrogothas Hermanrici regis sui decessione* (non igitur ante ejus mortem?) fuisse a *Vesegothis divisos*. Quod prodere nobis videtur, eum haud plenissimam hujus rei habuisse cognitionem, ac dubia nostra de asserta ab eo Westrogothorum cum Ostrogothis sub *Hermanrico* conjunctione, non parum confirmat.

⁶⁾ Quare minus accurate in citata supra versione Germanica Historiae Universalis *Guthrie-Grayanae* Part. V, Vol. IV (V Theil, IV Band, XVIII Buch 4 Hauptst.) p. 300, post exhibitam AMMIANI narrationem additur: nach dem *Jordanes* aber ward er ermordet.

hoc est defensionis consilia atque praesidia strenue aliquamdiu quaesivisse atque comparasse, sed aucta nimis fama ferociae et potentiae hostium perturbatum, omnem spem salutis abjecisse: neuter culpam intermissae defensionis strenuae et constantis in aetatem Regis fessam atque inertem (quamvis summam ei JORDANES senectutem tribuat) rejicit. Quae ita fortassis explicari atque conciliari poterunt, ut vulnus illud *Hermanrico* inflictum, aut jam lenitum aut minus acerbum fuisse putetur, quam a JORDANE, excusandi Herois caussa describitur; aetasque ejus per famam veterem aucta, aliquanto minor illa quoque fortassis fuerit, quam quae ab Auctore proditur? ita tamen, ut neutra caussa omnino nihil ad animum Regis debilitandum contulerit, qui pristinas desiderans vires, ne partam antea gloriam in discrimen adduceret, tanto promptius oppetierit mortem. Sed magnum non habet haec disputatio momentum.

§ V.

Anni aetatis suae a JORDANE proditi, solitum illi quidem vitae humanae excedere spatium videntur; utpote ad CX usque, nulla addita deficientium vel corporis vel animi virium commemoratione, producti: sed cur tamen testimonium Auctoris, qui definiti hujus numeri notitiam testi alicui superiori sine dubio debuit, omnino rejiciamus, satis gravem cogere causam nullam putamus. Neque enim necesse est, ut res maximas, quas de eo praedicat JORDANES, in extrema demum hac senecta, aut intra brevis temporis spatium, gessisse credatur ¹⁾; neque nos, allucinatione JORDANIS rejecta (qua *Her-*

¹⁾ JORDANES quidem nihil tale habet; quare ex hypothese addit quae in hunc sensum scribit Cel. GIBBON (*History of the decline and fall of the Roman Empire*, IV Vol. Ch. XXV § V. „The victories „of the great Hermanric, king of the Ostrogoths, --- have been compared, by the enthusiasm of his countrymen, to the exploits „of Alexander: *with this singular and almost incredible difference, that the martial spirit of the Gothic hero, instead of „being supported by the vigour of youth, was displayed with „glory and success in the extreme periode of human life; between the age of fourscore and one hundred and ten years.*“

manricum Geberico in imperio Ostrogothorum post temporis aliquod successisse narrat) adeo angustum regno illius tempus tribuere coacti sumus, ut aut annos aetatis suae admodum deminuere, aut nonnisi senem regno admovere, debeamus. Cur *Gebericum* Westrogothorum fuisse regem, et Ostrogothis non imperasse, (ut neque *Hermanricum* Westrogothis), credamus, supra docuimus²⁾: quam disputationem nostram ipsae illae difficultates confirmant, quae in conciliandis annis aetatis et mortis suae cum chronologica aliorum quorundam eventuum ratione occurrentes, Illustr. SUHMIIUM cogunt et tempus vitae Heroi Gothico multo brevius tribuere, quam JORDANIS verba produnt, et nonnisi paucos imperio Geberici annos assignare³⁾; quod quidem, gestis nostri partim contemporaneum fuisse, non improbabiler statui posse existimamus? Caeterum series annorum cum a Cel. STRITTER⁴⁾, tum a Cel. ERNESTI⁵⁾ constituta, qua mortem *Hermanrici* anno circiter 375 p. Chr. n. contigisse ponitur, non improbabiler nobis videtur; nisi uno aut altero anno hanc fuisse superiorem credas, quos inter mortem herois et factam per Hunnos ex suis terris expulsionem Gothorum atque permissum his, Istro superato, in Provinciam Romanam descensum, intercessisse probabile est. Nam recte observante Ill. SUHMIO, si ex fide veterum anno 376 in terras Romanorum Gothi profugi recepti sunt; *Vithimiris*

²⁾ P. 13—16. Unde cum *Hermanricum habuisse* JORDANES dicit, *quos domuerat*, etiam *Gothos*, aut existimandum est, eum aliud dicere non voluisse, nisi Westrogothos *imperio ejus subfuisse* nutuique paruisse, antea jam suis Ostrogothis sociatos (licet haec pro Herois sui gloria praeter veritatem augenda, addidisse constet, nam bello subactos ne ipse quidem significare videtur); aut videndum, num altera illa lectione *Golthes* (loco *Gothorum*) veri quid insit? Cfr. supra p. 201 not. ¹⁰⁾.

³⁾ L. c. § 30 p. 110.

⁴⁾ Operis supra citati (*Memoriae Populorum etc.*) T. I p. 46 sq.

⁵⁾ Quam margini Editionis *Ammiani Marcellini* a se curatae (Lips. 1773, 8:o) apposuit. Non multum ab ea abeunt Nob. v. DALIN (l. c. p. 305) qui a. 374, et Ill. SUHM (l. c. p. 110 et 154) qui circiter 370 habet.

autem post obitum *Hermanrici Rex Gothorum creatus*, narante AMMIANO *restitit aliquantisper* hostibus, ac *post multas* demum *quas pertulit clades, animam effudit in praelio vi superatus armorum*: spatium temporis non brevissimum his conatibus tribuere convenit; quamvis haud nesciamus, barbarorum bella celeritate plerumque geri rapida, multosque saepe eventus intra pauciores menses concludere ⁶⁾. Deinde discessus Gothorum (ducibus *Alatheo et Saphrace*, qui *Viderichi*, quem parvum filium Rex *Vithimiris* reliquerat, curam susceperant) ad *Danastum* fluvium, ac persequentium eos *Hunorum cum Athanarico Thervingorum Rege*, sibi obvio, intercedens bellum, aliquam illa etiam moram peperisse videntur: post quos demum eventus, Gothis profugis *Istrum* transire *Romani* permiserunt; quaeque uno anno omnia evenisse aegrius credas, licet intra biennii spatium contingere potuisse, negare haud audeamus.

§ VI.

Monarchiam *Hermanrici*, quam fuisse amplam adeo, validam atque formidabilem accepimus, tam celeriter corruisse, minus videbitur mirum, si praeter ingentem *Hunorum*, *Alanis* etiam *conjunctorum*, vim atque ferociam, terroremque ex his, fama in majus auctis, *Gothorum* animos subito percutientem (quos ignotae hactenus gentis cum forma tum mores vehementer commoverant), ipsam imperii hujus *Gothici* faciem atque conditionem propius spectemus. Nam ut omittamus, novum adhuc fuisse, populis variis iisque barbaris et reluctantibus nuper obtrusum, qui nondum obsequio adsveti, multo minus amore reipublicae communis conjuncti, hoste ingruente externo, occasionem avidè arripiebant jugum odiosum sibi atque grave quantocius excutiendi; talia solent esse in universum barbarorum imperia, tam instabilia et male coagmentata, ut post acceptam unam alteramve cladem, facile mox dissolvantur, corruant et sub-

⁶⁾ Quare etiam dicit AMMIANUS *Vithimirem aliquantisper Alanis (Hunnisque) restitisse*, l. c.

jugentur. Unde tam frequentes celeresque in hujusmodi gentibus rerum conversiones, et nata deletaque subito (quod interna firmitate carent) maxima imperia. Provincias feroci impetu subactas, raro arcibus et munimentis, saepe ne praesidiis quidem firmant; copiarum victricium terrore et gentes devictas et peregrinas coërceri posse, confidentes ¹⁾. Quin temporario quodam, et adventante hostili exercitu demum expresso contenti victores esse nonnunquam solent obsequio et tributo; suis interim ducibus, legibus moribusque uti victis permittentes, quos tamen inter servos et imperio subjectos numerare haud dubitant: aliquando etiam victricibus eos semel adiisse armis et meliore fortunarum parte spoliasse (latronum instar, raptō vivere advetorum) satis putantes, de iis porro sub obsequio continendis haud magnopere laborant. Cujus generis imperium in nonnullas quas domuerat gentes remotiores, *Hermanricum* quoque exercuisse non est improbable; ac favet AMMIANUS, qui eundem vocat „Regem per multa variaque fortiter facta *vicinis nationibus*“ (iisdem fortasse, quas eum *domuisse* JORDANES tradit?) „formidatum.“

Nec tamen facillime totum Gothorum imperium ab Hunnis fuisse eversum, nec cum *Hermanrico* animos eorum penitus mox concidisse, ipsa AMMIANI narratio, atque facti a *Vithimire* acres, quamvis infelices pro patria defendenda conatus, demonstrant: post ejus denique mortem pars eorum, ducibus *Alatheo* et *Saphrace*, paternis avitisque sedibus relictis, hostium sese dominationi subduxit ²⁾; pars jugum

¹⁾ Notum est, quam graves poenas hujusmodi negligentiae, et Ostrogothi (ac deinde Longobardi) in Italia, et Westrogothi in Hispania, multo serioribus seculis dederint. Quod bella defensiva plus artis, laboris, patientiae vulgo poscant; ad haec gerenda barbari non modo minus idonei, sed etiam minus propensi (maxime qui campestris incolunt regiones) esse solent, quam ad impetus in hostem vehementes faciendos, ac quoties numero copiarum suarum confidunt, rem aleae martis totam committendam.

²⁾ Aliter quidem JORDANES; qui non modo generosorum a novo Rege *Vithimire* factorum pro gentis et gloria et salute conaminum, nullam facit mentionem (cfr. supra p. 206 not. ⁹⁾), sed

peregrinum subire, quam solum vertere maluit. Hoc nempe JORDANI facile credimus; qui *Hunnorum*, inquit, *subditi ditioni in eadem patria remorati sunt, Vinithario tamen Amalo principatus sui insignia retinente*³⁾. Qui (porro addit) *avi Ataulfi virtutem imitatus*⁴⁾, *quamvis Hermanrici felicitate inferior, tamen moleste ferens Hunnorum imperio subjacere, paululum se subtrahebat ab illis - - Sed cum tali libertate vix anni spatio imperasset, non est passus Balamber rex Hunnorum, sed ascito ad se Sigismundo Hunemundi magni*⁵⁾ *filio, qui juramenti sui et fidei memor cum ampla parte Gothorum, Hunnorum imperio subiacebat, renovatoque cum eo foedere, super Vinitharium duxit exercitum - - Dum uterque ad se venissent, Balamber sagitta missa caput Vinitharii saucians, interemit. - - Et mox defuncto Vinithario rexit eos (Gothos) Hunimundus filius quondam regis potentissimi Hermanrici, etc.* Quomodo Historiam Ostrogothorum Hunnis subjectorum, donec jugo tandem peregrino excusso, duce Valamiro Rege

etiam *Alatheum* et *Saphracem, Greuthungorum* duces, regis eorum pueri *Viderichi* curam gerentes (de quorum ex patria cum rege suo emigratione prorsus silet), *Westrogothos* facit, horumque duci *Fridigerno* adsociat, C. 26; *Alatheum* fortasse cum *Alavivo* confundens? cfr. supra p. 204 not. 3). Ut neque illam quam AMMIANUS prodit caussam, cur postea *Athanasius Constantinopolin* peteret, nempe quod *proximorum factione genitalibus terris expulsus* fuisset (cfr. supra p. 205 not. 8); sed *muneribus et moribus suis benignissimis* ab Imperatore *Theodosio* sibi sociatum et ad se in *Constantinopolin* invitatum, dicit (C. 28).

³⁾ L. c. C. 48.

⁴⁾ De quo tamen, ejusque virtute, nihil antea Auctor prodidit. Num eundem intelligit, quem C. 14 vocat *Vuldulf*, avumque *Vinitharii* facit? Ne parum his omnibus fidendum sit, vereor!

⁵⁾ *Hunimundus* hic quis fuerit, et quibus rebus gestis *Magni* nomen promeruerit? docere Auctori non placuit; cujus studium homines gentis Gothicae cupide extollendi, nullibi non elucet. Illum tamen *Hunimundum magnum, Sigismundi* patrem, alium statuere credas ab *Hunimundo* filio *Hermanrici* atque patre *Thorismundi*, de quo deinceps scribit?

fratribusque suis *Theodemiro* (Magni Theodorici patre) et *Videmiro Vandalarii* filiis ⁶⁾, pristinum imperio gentis suae splendorem asserere, novisque illum fortibus factis augere et illustrare valerent, persequitur. Quibus quantum insit veri, alii judicent. Dissimulare tamen non possumus, his cum narratione AMMIANI comparatis, suboriri nobis contra Auctoris fidem dubia non pauca, vel fontes suos parum sinceros, vel memoriam suam parum firmam fuisse, suspicantibus? Ita quae de *Berimundo* filio *Thorismundi* (nepote *Hermanrici*) C. 33 traduntur, eum cum filio *Vitiricho* ab *Ostrogothis*, qui adhuc in *Scythiae* terra *Hunorum* oppressionibus subjacebant, ad *Wesegothorum* regnum migrasse, tantam habere similitudinem videntur cum fuga *Alatheï* et *Saphracis* (JORDANI ignota), qui cum rege parvulo *Viderico* post *Ostrogothorum* res ab *Hunnis* fractas, ad *Istri* ripas, eodem fere tempore quo *Westrogothi* sub regulis suis *Alavivo* et *Fridigerno*, evadentes, fluvium illum eodem ac hi consilio transierunt, ut ex eadem fama utramque natam esse narrationem, haud absurde conjicias? quam, ad asserendam *Eutharici*, cui *Amalaventha* nupserat, regiam ex *Amalorum* stirpe progeniem celebrare, JORDANIS tempore, non parvi retulisse existimes! Sed haec sufficiant.

⁶⁾ Qui *Vandalarius* oppido idem est, quem C. 14 *Vini-tharium* dixit, eorundem *Valemiri*, *Theodemiri* et *Videmiri* patrem. Nisi igitur varietatem lectionis Codices hic exhibent, lapsum memoriae in Auctore admittere necesse est. *Vini-tharius* autem ille, de cujus gestis C. 48 scribit, ex *Amalorum* gente fuisse ille quoque putabitur? licet de genere ejus JORDANES nihil, uti neque de *Vithimiris* cum *Hermanrico* cognatione AMMIANUS, quidquam prodat.

DISSERTATIO

HISTORIAM BORGOGAE URBIS NYLANDIAE
LEVITER ADUMBRANS,

QUAM

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICO EXAMINI SUBMISIT

MAGNUS ALOPAEUS.

Aboae 1794, 1795.

§ I.

Eos qui Nylandiae oram maritimam hodie incolunt homines, lingua Svecana, quam in propriam sibi dialectum flectunt, utentes, nec Fennicae esse originis, nec terram, quam jam occupant, antiquitus tenuisse, apud omnes in confesso est. Contra, ut ceteras Fenniae partes, ita hanc regionem a Lapponibus olim fuisse pererratam, multa docent, quae adhuc supersunt, indicia: quo tempore valde incultam fuisse, mores illius populi, praeter Rangiferorum curam non nisi venatui et piscatui dediti, satis produnt. Hos Lappones Fenni nostri, ab oriente huc advenientes, ex tota hodierna Finlandia pedetentim expulerunt, sedesque suas mature in Nylandiae oris collocarunt, atque agriculturae et rei pecuariae studentes, terrae etiam faciem sensim mutarunt: donec novi ex Svecia advenae maximam hujus regionis partem iis eriperent, atque ad interiora Fenniae loca, incolas, qui tela victorum evaserant, commigrare cogerent.

Fennos vero, quamdiu oram Nylandiae et Fenniae Australis maritimam insulasque ei objectas habitarent, cum Estonibus, genere sibi conjunctis, qui alterum nostroque oppositum sinus Fennici littus tenebant, frequens habuisse commercium, dubio caret. Ac piraticam etiam his adsociatos exercuisse, veri simile est; quam inprimis et magis proficuum et frequentiore factam fuisse credas, postquam mercatura Russos inter atque Wisbyenses inferiorisque Germaniae urbes florere uberius coepisset¹⁾. Svecica quoque littora ab hujusmodi piratis subinde fuisse infestata, haud

¹⁾ Cfr. PRAESIDIS *Annotationes ad Chronicon Episcop. Finl. Juustonianum* p. 12 - 15.

improbabile putes; cum tot hostiles in Sveciam invasiones a paganis factas memorent antiquae historiae Svecanae scriptores, quorum interdum socios Fennos etiam fuisse, non modo MESSENIUS aliique recentiores tradunt, sed etiam Legendae Sanctorum antiquae, atque Breviaria, ubi expeditionis Regis *Erici IX* mentio injicitur, confirmant²⁾. Quales igitur eorum praedationes, inter causas etiam commode referri possunt, cur laudatus nuper Rex *Ericus* bello Fenniam aggredereetur. Expeditionem vero ejus contra Fenniae australis et hodiernae Nylandiae incolas, utpote illius culpae maxime reos, inprimis fuisse susceptam, multa demonstrant argumenta: quibus barbaris facile victis atque fugatis, oram maritimam, ut illos a piraticae postmodum faciendae opportunitate excluderent, Sveci occuparunt, novisque suae gentis colonis habitandam tradiderunt; quod quin jam ab Erico Rege factum sit, Historici nostri non dubitant. Unde huic Provinciae nomen *Nylandiae* (Terrae Novae) accessit. Successu temporis colonia haec Svecana orientem versus sensim magis extendebatur, et ad flumen usque *Kymmene* porrigebatur. Hinc factum, ut hodieque tota Nylandiae ora, a Tenalensi usque paroecia ad dictum fluvium (h. e. tota quae austrum spectat ora Fenniae) a Svecanis habitetur incolis; cum Finlandiae proprie sic dictae non nisi insulae (*Öfären*), nec illae nisi australiores, colonos habeant Svecicos, in continenti autem pauci admodum ejus generis reperiuntur³⁾. Ad quod tamen consilium etiam hanc contulisse causam putes, quod et pluribus majoribusque insulis Finlandiae ora quasi munita sit, ita ut continentis incolae, insularis invitis, haud facile navibus mare adire quirent, et

²⁾ Vid. l. c. Cfr. etiam Ampl. HALLENBERG *Diss. de Nobilibus in Svio-Gothia Litteratis* p. 23 sqq.

³⁾ Cfr. *Annotationes ad Chron. Juusteanum* p. 16 sq. not. ²³⁾. Negatum tamen haud volumus, aliquanto plures olim fuisse colonos Svecicos in terra continente Finlandiae propriae collocatos, qui postea variis fati, bellorum maxime calamitatibus diminuti, locum Fennis ex vicinia adfluentibus concesserint.

ab Estonum societate consiliisque, atque praedae ditioris illecebris, essent remotiores.

Dubio caret, coloniam hancee Svecicam initio parum fuisse numerosam, indeque minus validam; multaque hinc a Fennorum vicinorum, patriis sedibus hostiliter expulso- rum, odiis et incursionibus passam fuisse damna. Namque hi, injurias ulturi, cum Tavastis, Careliis aliisque barbaris reliquas Fenniae regiones habitantibus, atque etiam cum Russis, piraticarum olim expeditionum, nunc odii in novos vicinos advenasque, sociis, ad infestandos Svecos sese con- junxerunt, crebrisque invasionibus novam Svecorum colo- niam infestarunt. Mercatores autem Wisbyenses, Lubecen- ses et Rigenses, passorum olim a piratis damnorum, prae lucro praesente obliti, suamque magis rem, quam Religio- nis novaeque in his oris Ecclesiae Svecanae Fennicaeque comoda spectantes, hoc eorum studium alebant, arma, equos, navigia aliasque res ad bellum gerendum necessa- rias (bona hostibus ablata, sine dubio, mercedis loco, vili pretio recipientes) iis suppeditando; quod ex litteris PAPA- rum, cum *Honorii* III a. 1221, tum *Gregorii* IX a. 1229 et 1230 datis ⁴⁾, discere possumus. Quae tamen molimina hostilia hanc, etsi valde afflictam, coloniam prorsus sub- vertere non potuerunt. Svecorum enim auxilio, ei sine du- bio subinde misso adjuta, se defendebat, et paullatim ma- jus majusque cepit incrementum. In qua re promovenda, insignia inprimis fuisse merita *Episcopi Thomae* comperi- mus; qui praeter litteras ad subtrahenda hostibus novae Ecclesiae auxilia spectantes, quas modo tetigimus, alias a *Papa Gregorio IX* impetravit, quibus sub *protectione Aposto- licae sedis et sua, Episcopum, Clerum et populum Finlan- densem* recepit, atque *molestatores eorum per censuram Ecc- lesiasticam compesci* jussit ⁵⁾. Quin idem *Papa Militibus*

⁴⁾ Vid. *Annotationes ad Chron. Juust.* p. 64 not. ⁸⁰⁾, p. 59, p. 60, pag. 132 not. ⁸⁾. Cfr. a *CELSE Apparatus ad Hist. Sveo-Goth.* Sect. I. p. 58 n. 16, p. 62 sq. n. 5 et 7.

⁵⁾ *Annott. ad Chron. Juust.* p. 59 n. ⁷³⁾.

etiam *Christi in Livonia injunxit* ⁶⁾, ut in remissionem peccaminum ad provinciam Finlandiae pro defendenda novella plantatione ad *Christi fidem in ea noviter conversorum, contra infideles Ruthenos personaliter accedentes, cum consilio Finlandensis Episcopi, qui assumpsit in praemissis partibus negotium fidei ex animo prosequendum, defensionem eorum insisterent viriliter et potenter: cui tamen mandato Apostolico paruisse non videntur. Quam vero gravibus nova Ecclesia et colonia periculis et cladibus esset exposita, vel inde patet, quod omnis zelus Episcopi, diligentia et providentia, impedire non valeret, quo minus ad evitandam hostium saevitiam fugam ipse capessere, Wisbyamque petere anno 1247 cogeretur. Quod ostendere satis videtur, praesidia et munimenta, quibus se tueri possent, incolis hactenus defuisse ⁷⁾. Nec tranquillitate atque securitate frui haec ora potuit, antequam *Thorkillus Canuti* anno 1293, expeditione in Careliam suscepta, maritimaque illius regionis parte occupata, arcem *Wiburgensem* in praesidium et terrae a se subjectae et veteris coloniae, contra Russos inprimis iisque adjunctos Carelios, conderet. Quo firmo contra inquietos hostes munimento exstructo, otium tandem nacti sunt qui Nylandiam habitaverunt, antea multis crebrisque incursionibus identidem infestati. Nullum antea in tota Nylandia fuisse castrum credas; certe nulla ejus rei nostris temporibus supersunt vestigia: uti nec litterae Papae *Alexandri III* (datae Tusculi V. Idus Sept. a. 1164) accurate expensae demonstrant, illi aliquid de munimentis Fennorum innotuisse.*

Colonos autem, qui in Fennia, atque maxime in Nylandia, sedes suas posuerunt, ex *Helsingia* fuisse oriundos, valde probabile videtur; quod vel ex locorum quorundam nominibus concludere fas est (ex. gr. paroeciae *Helsing*, urbis *Helsingfors* etc.), quae non obscure hanc originem suam produnt? Neque parum roboris huic sententiae inde

⁶⁾ Litt. a. 1232 datis. *Annot. ad Juust.* pag. 60 not. 132 sq.

⁷⁾ Cfr. l. c. p. 139.

accedit, quod in scriptis antiquis Nylandiae incolae dicuntur *habitare in jure Helsingonico*; patriae nimirum suae legibus et consuetudinibus uti, colonis his concedebatur⁸⁾. Quod vero Ducem *Guttormum* hancee coloniam in Fenniam deduxisse narrant ÖRNHJELM, et ex eo recentiores, inter fabulas merito refertur. Nulla enim alia insignis nisi R. *Erici et Thorkilli Canuti* ad Nylandiam expeditio, certo veterum confirmari potest monumentorum suffragio.

§ II.

Qua ratione Nylandia post Svecorum adventum fuerit primum gubernata, prorsus ignotum nobis est; valde tamen probabile videtur, nec firmo admodum regimen civile adhuc nixum fuisse fundamento, satisve prudenter institutum ac stabilitum, nec rem militarem optime constitutam; quod vel ex crebris illis funestisque hostium invasionibus, quas supra memoravimus, colligi posse videtur: credas fere, ecclesiasticae auctoritati soli novos colonos fuisse commissos? Post aedificatam autem arcem Wiburgensem, ejus Praefecto curam etiam Nylandiae fuisse demandatam, multis demonstrari potest rationibus¹⁾; sufficit commemorasse litteras Regis *Magni, Erici filii*, anno 1331 datas, quibus con-

⁸⁾ Cfr. l. c. p. 20, 144 not. ⁴⁾; p. 185 sq. not. ⁸⁾, p. 220 sq. not. ²¹⁾; p. 269 sq. not. ¹⁰¹⁾, p. 306 not. ²⁶⁾.

¹⁾ Occurrit quidem in litteris a. 1327 datis (de quibus mox) mentio *Gerardi, Advocati* (h. e. Praefecti) *Nylandiae*; sed si Wiburgensi ditioni ille simul non praefuit, diu tamen Nylandia peculiari paruisse praefecto non videtur? Anno enim 1331 *Petrus Johannis*, a. 1362 *Suno Haquini*, a. 1373 *Hennechinus Dume*, Praefecti Wiburgenses, Nylandiae simul praefuerunt. Cfr. *Tidn. utgifne af et Sällskap i Åbo*, a. 1785. Append. p. 225—230. Exstructo autem postea Castro *Raseburgensi*, quin occidentalior Nylandiae pars (Raseborgs-Län) hujus arcis paruerit praefecto, nullum est dubium (cfr. l. c. p. 221—224). Supersunt etiam literae *Beronis Legiferi*, in quibus *Legiferum* ille se appellat *Nylandiae*; sed per totam Finlandiam jurisdictionem ejus sese extendisse, certum est: *Nylandiaeque* appellationem ideo tantum eo loco usurpasse videtur, quod in hac provincia,

ventionem ab Episcopo Aboënsi *Benedicto* cum incolis Advocaciae (s. Praefecturae) Wiburgensis de decimis solvendis initam confirmavit, et ubi Advocacia illa in *Jus* dispeceitur *Karelicum* et *Helsingonicum* ²⁾ (qua posteriori denominatione Nylandiae incolas olim significari siveisse, supra monuimus). Atque ex eo tempore constitutio et conditio Nylandiae melior fuit reddita; ejusque incolae ab hostium invasionibus magis securi, victum cultumque sibi comparandi varia sensim consilia arripuerunt. Tum temporis etiam mercaturam ad ostia fluminum Nylandiae cum mercatoribus Germanicis et Livonicis exerceri coepisse, probabile est. Certe jam ante terram nostram a Svecis occupatam, commercium quoddam inter mercatores hosce Fennosque intercessisse, literae Papales supra memoratae indicant, quibus prohibita haec fuit mercatura; Fennis vero ex-

cum illas exararet literas, versaretur, ibique jus diceret. Cfr. *Annott. ad Chron. Juusten.* p. 144 not. ⁴⁾, et p. 276 not. ¹¹³⁾.

Alienum forte non fuerit, hoc simul loco indicare, ex literis vetustis judicialibus, quarum exempla adhuc supersunt, apparere, a. 1351—1356 *Vicarium Legiferi* in Nylandia fuisse *Matthiam Koog* vel *Kogger*, (l. c. p. 277, not. ¹¹⁴⁾, et a 1380 *Olaum Petri* (*Olof Pedersson, Underlagman i Nyland*); eodemque anno (1380) et 1382 in supremo Judicio Regio (*Räffste-ting*) Borgoe habito, Regis locum tenuisse (*Ronungens dom i märjo hafwande*) *Johannem* (*Jöns*) *Hinteken* vel *Hindteckär*, hominem Germanicae, ut videtur, nationis. Provinciae hujus Judices Territoriales ab anno saltem 1415 duos fuisse, Nylandiae scil. *Occidentalis* et *Orientalis* (*Wäster-Nyland* et *Öster-Nyland*), ex illorum temporum monumentis discimus.

²⁾ Cfr. l. c. p. 185 sq. not. ⁸⁾. Ratio *Decimas Episcopales* solvendi, quae tum constituta fuit, postea ad tempora usque reformatorum apud nos sacrorum, eadem mansit; ita ut incolae Nylandiae nullas *Frumenti* decimas, sed earum loco definitum illa conventionem *Butyri* pondus (*Näbbe-Skattsmör* dictum, nempe quotannis *unam marcam butiri de quolibet capite virilis vel muliebris sexus, septimum suae aetatis annum complente*), Episcopo solverent. Cfr. l. c. p. 510 not. ³⁷⁾. Quae res ostendit, majori cura priscis temporibus rem pecuariam, quam agrariam, in Nylandia fuisse cultam.

pulsis, Mercatores navigationem suam ad portus Fennicos plane deseruisse, non est cur credamus.

Fieri igitur non potuit, quin plures ex Nylandiae incolis, qui de ista mercatura lucrum haurire cuperent, ad ostia fluminum pedetentim se conferrent, mercesque ex interioribus regionis partibus secum portarent, quo merces alias his terris non indigenas, illis redimerent, partimque suis rursus popularibus cum lucro venderent. Loca autem, ubi sedes suas ponerent, (prope ostia fluviorum), re ipsa monente, elegerunt, quo promptiorem commodioremque sive cum exteris sive cum suis hominibus mercaturam exercere possent. Ad quod consilium alia quoque ratio accessit; nempe quod piscaturae commoditas, iis temporibus uberri-
mae (antequam et piscatorum aucta multitudo atque diligentia, et aquae in fluviorum ostiis profunditas, quae copiam piscium allegerat, per limum quotannis devectum relictumque, decrescens, ut aliás supervenientes causas omit-
tamus, hoc lucrum diminuisset), homines in haec eadem loca congregavit. Ut vero constantius commodiusque esset illud cum mercatoribus exteris civibusque commercium, de-
inde sensim *Urbes* in hujusmodi locis enatae conditaeque sunt; quo modo in Nylandia nostra urbes *Borgoam* et *Hel-
singforsiam* exordium cepisse, novimus: de quarum illa, (aetate huic superiore) ejusque fati, quantum quidem ob monumentorum antiquiorum defectum praestare nobis licet, paucis agere jam constituimus; sperantes fore ut L. C. juveniles nostros conatus, historiae illustrandae urbis patriae dicatos, mitiori perstringat censura.

§ III.

Diu vero antequam *Borgogae* urbs aedificari coepisset, Paroeciam eodem hoc nomine appellatam floruisse, Templo suo fuisse instructam, et suos habuisse Curatos s. Pastores, extra dubium est: quam in antiquissimis Nylandiae, imo totius Finlandiae merito esse adnumerandam, simul constat. Anno enim jam 1327 mentio ejus Curatique sui *Henrici* in

vetustis monumentis injicitur ¹⁾. Ad hancce paroeciam tota olim pertinebat terra, quae postea nomine venit *Territorii*

¹⁾ Dignae quae hic legantur sequentes Literae, rem demonstrantes, pluribus ex rationibus videntur; quare eas, ex *Registro Ecclesiae Aboënsis* in R. Bibliotheca Stockholm asservato descriptas, apponendas judicavimus: „Omnibus presens scriptum „cernentibus *Andreas*, frater *Symonis dicti Flaxöghae*, salutem „in Domino sempiternam. Tenore presencium constare volo evidenter, me viro discreto Domino *Henrico*, *Curato in Borga*, „tam ex parte fratris mei *Karoli*, quam ex parte mei, predia „nostra in *Stensbölä* pro pleno precio vendidisse, et idem precium ab eodem *Henrico* totaliter subleuasse, cum omnibus suis „pertinenciis et adjacenciis quibuscunque, presentibus viris fide „dignis Domino *Karolo Neskonungzson*, *Capitano Finlandensi*, „*Karolo Harokson* (an *Haraldson?*) *Petro Postoll Advocato Tavastie*, *Gerardo Advocato Nylandie*, *Biorno Legifero*, *Henrico Wman*, *Johanne Galnä*, ceterisque aliis quam pluribus fide dignis: Quorum sigillo presentem peto literam roborari, quia sigillum personale non ullum habeo. Datum et actum anno Domini MCCCXX septimo, ju Dominica Letare“ l. c. Fol. 145). Aliis literis a. 1332, partim a testibus quibusdam *die Julianae Virginis* (16 Febr.), partim a *Berone*, *Legifero partium Orientalium Finlandiae*, *Dominica Trinitatis* partim a. 1333 a *Karolo Näskonungzson*, *Milite*, datis, (in quibus mentio etiam fit *Laurentii*, *Advocati Tavastie*), idem *Henricus* vocatur *Curatus in Kechala* (*Keckalum*, et *Dominus Hinzo Rector Ecclesie Kyckalum*) h. e. *Kiikala*: quo itaque translatum fuisse, patet, (quaeque Ecclesia tum sine dubio vicinas paroecias hodiernas, *Lojo*, *Wihtis* etc. complectebatur?). Biennio autem post, a. 1335 aliis literis ab *Ärengislone Andrisson*, *Advocato Aboënsi*, qui *Dominum Karolum* (*Näskonungzson*) *Militem* vocat *antecessorem suum*, idem *Henricus* audit *Dominus Henricus in Haw* (*Hauho*); et rursus aliis literis a. 1337 a *Laurentio Petärsson*, *Advocato Aboënsi*, datis, appellatur *Dominus Henricus*, *nunc Curatus in Saw* (*Sagu*); ita ut saepe stationem mutaverit necesse sit, nisi alterutro loco nomen Ecclesiae vitiose scriptum sit? Vid. cit. *Reg. Eccles. Ab.* Fol. 146. Ab hoc autem diversus fuisse alius videtur *Dominus Henricus de Borga*, quem a. 1340 ut ejusdem Ecclesiae Pastorem in sequentibus commemorari litteris videmus, etiam illis exscriptu non indignis: „Noverint universi, quod ego „*Johannes* in *Stensbölä* recognosco me leuasse a venerabili in „*Christo* patre, Domino *Hemingo*, permissione Diuina Episcopo „*Aboënsi*, illas LX marcas denariorum, in quibus predecessor

Borgoënsis, ac praeter quasdam alias hodiernas ecclesias, Capellas habuit sibi adnexas (paroecias hodie peculiare) *Perno*, quae ambitu suo Ecclesias etiam *Elimä* (forte?) et *Pyttis* complectebatur, et *Sibbo*, ad quam Paroeciae quoque hodiernae *Thusby* et *Helsing* pertinuisse videntur²⁾. Ob paucos namque incolas, in terra parum adhuc exulta, non nisi sensim Tempa erigi et Pastores iis praefici proprii poterant.

Celebritatem vero inprimis nacta est Ecclesia haec Borgoënsis, postquam Rex *Magnus Erici* a. 1351 Abbatem et Fratres Monasterii *Padis* in Estonia, (Cisterciensis ordinis), *Jure Patronatus* in eandem Ecclesiam donasset: quae ejus liberalitas, cum materiam deinde liti diuturnae inter Praefectos illius Monasterii et Episcopos Aboënses agitatae, dedisset, animum Scriptorum fere omnium qui Historiam

„suus Dominus B. (*Benedictus*) bone memorie condam Episcopus Aboënsis, patri meo tenebatur obligatus, pro quibus eundem Dominum meum H. (*Hemmingum*) tam ex parte mea quam fratris mei, liberum reddo et quitatum. Preterea *recognosco me debere sibi dare quolibet anno XX marcas denariorum Sveuorum nunc currencium, vel earum valorem in pecoribus et butyro, seu aliis rebus, prout solent recipere mercatores, de exaccione in parrochia Borga et capellis sibi annexis. Ac etiam (excidisse hic quaedam verba, palam est?) virorum Dominorum Henrici de Borga, AErwasti in Kirkislät, Nicolai Vellus et Pauli de Tenala, quia proprium sigillum non habeo, presentibus sunt appensa. Datum in Kirkislät anno D:ni MCCCXL, feria 2:da post Dominicam Reminiscere.“ Ibid. fol. 146 sq. Confirmant hae literae ea quae nuper significavimus, rei pecuariae horum locorum incolas maxime studuisse, et mercaturam quandam hic jam tum factam fuisse; simulque docent, Capellas quasdam (sine dubio *Perno* et *Sibbo*, de quibus mox) ecclesiae Borgoënsi jam tum fuisse adnexas, et ex hac paroecia Praesuli Aboënsi, Decimarum Episcopalium loco rediisse XX marcas denariorum (harum 5, versus finem seculi ejusdem, librae argenti puri, et marf lödig, in his oris adhuc respondebant). Videtur Johannes iste de Stensböle redemisse ab Episcopo, pro definita illa summa pecuniae, decimas Episcopales (*Näbbe-Sfatt-Emör*) Ecclesiae Borgoënsis.*

²⁾ Cfr. *Annot. ad Chron. Juust.* p. 260.

Svecanam illorum temporum narrarunt, ad se convertit³⁾. Quoniam vero alio loco ex instituto haec res explicata est⁴⁾, nobis fusius illam hic exponere haud est necesse. De statu tamen atque conditione hujus Ecclesiae, quae ex monumentis hanc litem attingentibus discere licet, paucis commemorare placet.

§ IV.

Inde igitur edocemur, Conventum Padisensem beneficio Regis non modo jus Curatum hujus Ecclesiae praesentandi et nominandi accepisse, sed etiam accedente consensu Episcopi Aboënsis¹⁾, potestatem omnes redditus pastorales ex hac Ecclesia provenientes Monasterio suo vindicandi²⁾; hac tantum conditione adjecta, ut majores aequo et solito a parrochianis redditus non exigent, et ut aliquem ex fratribus illuc mitterent, qui munere Curati fungeretur: quales igitur *Vicarios* sive *Capellanos* peregrinos pro lubito Conventus missos, revocatos et mutatos, quamdiu Padisenses jure sibi concessio fruebantur, sacris hic prae-fuisse, reperimus³⁾. Postquam vero R. *Alberti* nomine prae-

³⁾ Cfr. praeter MESSENIUM, VON DALIN *Svea Rikes Hist.* II Del. 13 Cap. 2 § p. 305, et LAGERBRING *Svea Rikes Hist.* III D. 6 C. 25 § 413 sq.

⁴⁾ Vid. *Tidningar utg. af et Sällskap i Åbo* a. 1785 Append. p. 94—111. Cfr. *Annott. ad Chron. Juust.* p. 259—264, p. 349 et p. 438 sq.

¹⁾ Quem consensum Rex aliter sibi comparare non potuit, quam ut novos duos in Ecclesia Aboënsi Canonicatus institueret; quibus fundandis praedia Regia in *Tessiö* (Paroeciae hodiernae *Pyttis*) et quaedam alia dicare Ecclesiaeque Cathedrali donare necesse habuit.

²⁾ *Omnia jura temporalia* hujus Ecclesiae, quae Padisensibus collata fuisse dicuntur, huc spectabant: nec aliud significabant verba Regis, *quod Abbas et Conventus Ecclesiam ex nunc pro suis utilitatibus, regant, ordinent et disponant*. Concessum praetera illis fuit, jus in *piscarias* (*fischerierne*) *ad fundum presbiterialem ibidem pertinentes*.

³⁾ Utramque conditionem exprimunt literae regiae, addentes primo haec verba: *proviso quod idem Abbas et fratres pa-*

dia in *Tessiö* Ecclesiae Cathedrali fuissent ademptae, adeoque conditio a parte Regis revocata, Episcopus suam quoque concessionem revocans, jus Padisensibus a se additum abstulit, et Beneficium aliis dedit, parte tamen fortasse ejus aliqua iis relicta? ⁴⁾. Successor autem suus (secundus)

rochianos *ad nova et majora onera non adstringant, quam aliis Curatis facere consueverant*; deinde haec habentes: *transferentes in ipsos plenam auctoritatem confratres suos personas idoneas, cum et quociens opus fuerit, salvo semper jure dyocesani ibidem, presentandi, instituendi, ac de prefata ecclesia, sicut juris fuerit, faciendi*; sive ut in literis confirmatoriis R. *Erici (Magni filii)* verba sonant: *Ita quod de ecclesia predicta secundum voluntatis suae libitum futuris temporibus libere valeant ordinare, dum tamen ecclesia praedicta et capellae suis debitis officiis non fraudentur*. Haec erant *jura spiritualia* eis concessa, tota nempe cura pastoralis et officia juraque sacerdotalia. De *juribus Episcopi*, sive inspectionis, sive decimarum episcopalium percipiendarum, quod suspicabatur Praeses *Annot. ad Chron. Juusten.* p. 261 sq. not. ⁸⁸⁾, nihil unquam fuisse remissum aut diminutum, nunc censet. Caeterum Padisenses et statim jus sibi traditum arripiebant, et ecclesiam per vicarios suos administrare non negligebant. Qua de re Abbas Conradus in literis ad Episcopum Aboënsem (*Magnum*) datis (circa a. 1418), scribit: „Quod si quis dixerit, nos corporalem et realem possessionem „non habuisse, contrarium patet, cum manifestum sit, profatam „ecclesiam et Capellas, a tempore gratiae nobis factae, *per fratres nostros successores sive succedentes fere rectas, et novissime per quendam fratrem nostrum Nicolaum Bolthe defunctum „nomine, rectam, et in eadem tumultatum.*“

⁴⁾ In Testimonio fratris *Thorneri Andreae*, Monachi Vadstenensis, fervente inter Episcopum Aboënsem et Padisenses lite edito, dicitur, Episc. *Hemmingum collationem et unionem* (Ecclesiarum Borgo, Sibbo et Perno) *Abbati et Conventui per eum factas cassasse, irritasse et modo simili revocasse, et dimisso eis duntaxat jure Patronatus seu praesentationis, ecclesiam Borgaa cum capella Sibba venerabili viro Domino Olavo Jacobi de Ulsby, tunc seniori et potiori Canonico Aboënsi, Capellam vero Perna Domino Andreae dicto de Perna, auctoritate ordinaria contulisse, eis curam et administrationem in spiritualibus et temporalibus assignando*. Quo facto, neque ipsum jus Patronatus Padisensibus illibatum reliquisse, videri queat? Nisi ad interim, aut quia Padisenses nullum Curatum

Johannes Petri, totum jus suum illis ademisse dicitur, et proprium pastorem Borgoënsibus dedisse, ita ut Padisenses nonnisi post multos annos ab Episcopo *Johanne Westfal*, idque per intercessionem potentis illius Drotzeti *Bo Jöns-son*, illud, nec tamen integrum, recuperarent ⁵⁾. Quod tan-

praesentaverant, adeoque jure suo legitime usi non fuerant, hoc fecisse videri voluit?

⁵⁾ Idem *Thornerus Andreae* dixit: „*Mortuo—Hemmingo* — „— *successor ejus immediatus* (nempe Episcopus *Henricus*, morte „praeventus, ad muneris administrationem non pervenerat) — „*Johannes Petri* - - - omnia jura Ecclesiarum, tam in tempo- „ralibus quam in spiritualibus revocavit, Abbati et Conventui de „Pades nullo penitus reservato, conferens ipsam Ecclesiam Borga „cum dictis suis capellis cuidam Domino *Johanni Amberni* dicto „*Gram*, qui easdem ecclesiam et Capellas per XII annos, vel „quasi, continue rexit et possedit pacifice et quiete, sine omni „solutione seu annua pensione dictis Abbati et Conventui - - - „facienda. Mortuo autem dicto - - *Johanne Petri* - - superve- „niens Dominus *Johannes* dictus *Westfal*, - - ad importunas in- „stantias *Boecii Joansson*, tunc *Dapiferi Sveciae*, de mera gra- „tia predicta jura - - Abbati et Conventui de Pades restituit, „donec ea ipse vel successor ejus duceret revocanda, transfe- „rens dictum Dominum *Johannem Amberni* de ipsa Ecclesia „Borgha ad ecclesiam curatam *Hattula* in *Tavastia*.“ - - Con- „firmantur haec literis Abbatum Padisensium *Nicolai* et *Tide-* „*manni*; quorum ille ad Episcopum *Hemmingum* scribens, queri- „tur hunc *Vicarium seu Capellanum* Padisensium de saepe dicta „ecclesia amovisse, et contendisse eos *ultra quam decet et decuit* „*huc usque de ecclesia Borga nec non capellis ibidem sustulisse,* „cum tamen cum non lateret quod a *Capellano praedictae eccle-* „*siae et capellis praefecto L Marcae Sveciae* annuatim iis *per-* „*petue deberent procurari; ex quibus tamen, Deo teste et pro-* „*pria conscientia, XXX marcas Sveciae tantum sustulissent.* Ab- „bas autem *Tidemannus* (ad Episc. *Magnum*) scribit, *Hemingum* „*ecclesiae* - - *Borgha et annexarum capellarum jura sacerdotia* „*ex mera gratia* iis concessisse, quam concessionem - - ad „*dies suos inconcussam tenuit* (hoc non usquequaque verum, callide „esse scriptum, facile patet) *sub certo tamen censu limitatam:* „*quem censum sui successores - - - temporibus suis generose iis* „*favebant, tamen non avaritiae vitio, sed caristarum ingruentia* „*minorato* (leg. *minoratum*). Etiam haec magis callide et dissi- „mulanter, quam per omnia vere, scripta esse, apparet. Quae ta-

dem post novas lites sibi subinde, ac maxime ab Episcopo *Magno Tavast* motas, huic atque sedi suae pro Centum Nobulis Anglicanis ⁶⁾ a. 1429 vendiderunt. A quo tempore

men, cum superioribus collata, satis docent, Episc. *Hemmingum* ita ecclesiae nostrae possessionem Padisensibus ademisse, ut certam tamen partem reddituum pastoralium (*censum*), cujus summam hodie ignoramus, iis quotannis pendendam, tandem relinqueret: qua Episc. *Johannes Petri* eos privavit penitus, sed quam successores sui non tamen integram, sed rursus imminutam, iis restituerunt. Reliquam autem reddituum pastoralium partem, beneficii loco, aliquibus suae Dioeceseos Clericis hos Episcopos tribuisse credas; sed curam spiritualem Padisensium vicariis permisisse? Cumque Abbas *Conradus Magnum* Episc. roget, ut Conventui permittat *saltem butiri perceptione gaudere*; liquet hanc reddituum partem eos in primis sibi vindicasse. Ac cum frater *Thornerus* testetur, ex quo Episc. *Johannes Petri* ecclesiam Padisensibus ereptam *Johanni Gram* administrandam tribuisset, hunc per 12 circiter annos ei praefuisse, circa a. demum 1381 Padisenses ejus curam recepisse sequitur: quam curam *Olavum Jacobo* et *Andream de Perno* non diu agere potuisse, facile videbit, qui meminerit praedia in *Tessiö* ante a. 1364 aut 1365 R. *Alberti* nomine revocari non potuisse, ac *Hemmingum* tamen ante obitum suum (a. 1365—1367), Monachis placatum, partem saltem juris sui iis restituisse. Quantum lucri ex jure suo Conventui redierit, e literis patet Abbatis *Nicolai* nuper laudatis; nisi eum etiam illud, sancta sua assèveratione posthabita, dissimulasse credas? *Magno* Episcopo, qui verum jus nullum Padisensibus superesse (utpote praediorum Tessiöensium revocatione extinctum), sed ex mera sedis Aboënsis gratia ecclesiam nostram eos tenere censeret, indigna res visa fuit, ut sua dioecesis Monachis peregrinis esset quasi tributaria, et cum suorum clericorum non pauci beneficio egerent, hoc lucrum Estonibus temere accresceret, licet igitur primum exorari se passus, antecessorum suorum facilitatem imitaretur, mox tamen pecuniam a R. *Erico* (Pomerano) et Reg. *Margareta* Ecclesiae Cathedrali donatam, ad praetensum et tam diu litigiosum jus a Padisensibus tandem redimendum et amice acquirendum, impendit. Cfr. *Annot. ad Chron. Juust.* p. 348 sq. not. ¹⁰⁾, et *Tidn. utg. af et Sälfskap i Åbo* l. c. p. 109 sqq.

⁶⁾ Quorum quisque eo tempore 4 marcis respondebat Svecicis, ejus valoris ut earum 9 libram argenti puri aequarent: pro qua pecunia piscaturam Salmonum in amni Helsingensi, simul ab iis, Ecclesiae Cathedrali acquisivit.

haec ecclesia cum saepe dictis suis capellis, ad sacrorum usque apud nos reformationem, ita fuisse Ecclesiae Cathedrali Aboënsi annexa videtur, ut vel per Vicarios, vel per Curatos ei quodammodo tributarios, administraretur; tributum autem quod hi penderent, ad *Missae* illius, quae *Aurorae* vocabatur, canendae institutum in Templo Cathedrali sustentandum, impenderetur 7).

§ V.

In his tot literis, quae famosam illam de jure Patronatus in Ecclesiam nostram, attingunt litem, nulla omnino fit *Urbis* Borgoënsis mentio: unde colligas, nullam hic eo tempore urbem adhuc exstitisse? Sed anno tamen 1346 jam conditam fuisse, ex relatione Senatus urbici Borgoënsis, dicitur in Litteris Regis CAROLI XI ad Governatorem Nylandiae a. 1698 d. 2 Decembris datis, quarum exemplum in Libro Monumentorum ejusd. Senatus (*Borgå Magistrats Svartbok*) p. 44 sq. servatur, quarumque meminit etiam PALMSKÖLD (*Collection. N:o XIV, Topograph. T. LX p. 71*), ubi verba audiunt: „Borgmästare och Råd, samt Borger-, skapet i Borgå Stadh sig deröfver besvärat, at - - - oach-

7) *Expresse de Episcopo Magno Olai* scribit JUUSTEN (*Chron. Episcopor. Finland. p. 372 Ed. Praesidis*): „Jus Patronatus quod habebant fratres Monasterii Padensis in Livonia ad „Ecclesias Borgo, Sibbo et Perno, per ipsius industriam obtinent Aboënses (h. e. Ecclesia Cathedralis Aboënsis). *Ex eorundem etiam Ecclesiarum censibus prima Missa, quae quotidie in Aurora in Ecclesia Aboënsi dicitur, perpetuata est.*“ Cfr. *Annot.* ad eundem p. 348 sq. not. 10). Hujus igitur generis Curatus vicarius aut tributarius fuerit oportet *Laurentius Ingemundi* (Laurens Ingimundsson) qui a. 1436 vocat se *Kirkio presther* i Borgha, cum a. 1431 sese vocasset *Kirkiopresther i Hallicko*, unde sese illic translatum fuisse significat, cujusque frater *Olaus Ingemundi, Armiger (a Vapn)* ibidem audit. *Registr. Eccles. Ab.* Fol. 201 et 232. Ac interim ecclesiam *Perno* proprium Pastorem, licet eidem oneri subjectum, eodem circiter tempore accepisse, adeoque a Borgoënsi fuisse separatam, reperimus: quare a. 1442 mentio fit *D:ni Laurentii Skytte, Curati (Kirkioherre) in Perna.* *Reg. Eccles. Ab.* fol. 149.

„tadt att oftabemälte *Stad ifrån dess första foundation a. 1346* altydh och in till denna tiden har varit lyka dehl-
 „achtig med Sochnen i samma Kyrka“ etc. Unde autem
 hanc illi notitiam hauserint, aut quibus argumentis verita-
 tem asserti sui probare valuerint? penitus nos latet: adeo-
 que parum huic asserto fidere audemus. Verum antequam
 a Padisensibus jus suum redimeretur, vere tamen Urbem
 hic fuisse, suis et *Consulibus* et *Senatoribus* jam instructam,
 ex litteris liquet eorundem a. 1424 datis, quas hanc ob
 causam ex *Regist. Eccles. Aboënsis* (fol. 133) descriptas,
 subjungimus: „Allom thöm thetta breff höra eller see, kun-
 „görom *vi Borgamestare oc Radmen j Borgha met thesso*
 „*wara naerwarande opno brefue, at areno aepter Gudz byrd*
 „*MCDXXIII^o, Toorsdagen naest fore fastaganæ sunnadagh,*
 „*kaendes for oos hustrv Cristin Pedersdotter, Biorn Salue-*
 „*sons hustrv, at hanne bonde, som tha hardelica kranker*
 „*laagh, oc hon, met samtykkio oc godan vilia giord hafdo*
 „*Jorda scipte met Domproasten och Capitulit j Abo a Dom-*
 „*kirkionne wegna, j swa matto, att the haffdo sat ok wp-*
 „*latit met allom raeth Domkirkionne i Abo all thera godz*
 „*j Saw sokn liggiande, swa som aer Lolas, Odekulla, Kur-*
 „*kisala oc Padasa, met allom tillaghum, engo wndantagno*
 „*oc skildo, vthan hwsom, for huilkom the skulu en för-*
 „*nöghaes, oc Padhasa godz, som hwstrv Gertrud Lökanaes*
 „*enkia var pantsaett för L marc swenska j Aboes mynt,*
 „*skall for:da Domkirkia återlösa, ok ena engh aff Haquon*
 „*Diegn, som war pantsaet för fyra marc swenska: ok for:da*
 „*Biorn ok hans hwstrv Cristin skulu hafua ok beholda all*
 „*the godz Domkirkian aatte i Borgha sokn, som aeru Skin-*
 „*nareby, Stensböla, Böla och Metha, met allom tillagom,*
 „*engo wndantagno ok skildo, vtan husom, som landboen*
 „*tilhöra; oc for thy for:da Biorn for sinom krankdom, oc*
 „*hustrv Cristin for annor lagha forfall, kundo ey siaelffue*
 „*til Saw fara, ther godzen liggia, befaelto the fullelika met*
 „*alla makt sinom maagh, Peder Hoornhws, at fara til Saw,*
 „*oc ther sköta oc skiaela aepter landzlaghum for:da godz*
 „*aa thera wegna Domkirkionne i Abo til aewinnelika aegho;*

„ok hwat han gör aff wara wegna j thessom forserifnom
 „aerandom, thet wiljom wi stadhukt ok fast halla, likaer-
 „wis som wi thet siaelue giort hafdom. Thil mera wisso
 „och witnisbyrdh thessa forseriffna stykkae, haengiom wi
 „waart Stadzens Incigle for thetta breff, som Scriffuat aer
 „aar dagh ok Stadh forskriffnom.

§ VI.

Circa initium igitur Seculi XV urbis nostrae origines quaeri debere, non improbable videtur? Quo fere tempore templum quoque ejus hodiernum fuisse exstructum, ferunt ¹⁾. Nomen autem nova urbs idem retinuit, quod jam antea paroeciae adhaeserat; ejus nominis causam accurate definire non valemus ²⁾. Tenuia urbis initia fuisse, utpote sen-

¹⁾ In veteri Inventario (*Inventarii Book*) Ecclesiarum Borgoënsium, legitur, (qua fide, ignoramus): An. 1414, sub *Episcopo Olao Magni* (leg. *Magno Olavi*) *exstructum esse Templum Borgoënsium, tradit notatio majorum*. Alia traditio, eundem annum prodens, addit *Sancto Enevaldo* fuisse dedicatum (a cujus nomine appellari, inscriptio etiam docet in pariete, supra fores Templi maximos, post illud a. 1729 reparatum Germanice adpicta); sed talem Sanctum Historia nostra ignorat? In literis autem a. 1722 die 6 Dec. datis, asserit Dn. *Cleve*, Lector olim Gymnasii Borgoënsis, in veteri libro Historico Ecclesiae Borgoënsis *Borgå Kyrkas Historie Bok*), qui jam periit, annotatum fuisse, templum Ecclesiae lapideum a. 1418 esse aedificatum. Adeo ut res non sit certissima.

²⁾ Conspiciuntur quidem hodie vestigia munimenti (*Skans* vel *Redoute*) non procul ab urbe, versus septentrionem, in orientali ripa amnis illam praeterfluentis olim siti, quod Castrum (*Borgen*) hodieque dicitur, unde etiam collis fundo Presbyteriali adjacens, *collis castrens* (*Borg-Backen*) audit. Sed hoc opus recentioris esse temporis, res ipsa docet: adeo ut paroecia nomen inde habere olim non potuerit; nisi aliud antiquius eodem loco fuisse, existimes? Intra duas fossas et duplicem aggerem (*Stord-wall*) planities est, ubi foveae apparent, quas servando pulveri pyrio inserviisse (*Krut-fällare*) credas? Non est autem improbable, colonos Sveicos, post occupatam Nylandiam, munimenta quaedam contra ejectos Fennos, et maxime contra Piratas ethnicos, oram hanc a Russis adjutos acriter infestantes, in primis ad

sim sine dubio ortae, facile patet. Privilegia iis antiquiora, quae in libro Privilegiorum Senatus Urbici Borgoënsis servata, a Rege *Gustavo I* (die 3^a) Dec. a. 1546) data esse reperiuntur, invenire non potuimus; quorum exemplar infra adponimus⁴). Sed non multo post haec

ostia annuum erexisse: eorumque praecipuum aliquod, paroeciae nostrae nomen olim dedisse? Quod et alia nomina ex talibus castris nata, hodieque in hac terra obvia, confirmant. Sic habetur intra eandem hanc Paroeciam Capella et ecclesia *Borgnäs* (Promontorium Castrense) ad alterum s. occidentaliorem amnem (*Mentzelensem* dictum, *Menzelä ån*): ac quamvis nulla hodie vestigia castris alicujus ad eum occurrant, tamen versus euro-boream a templo, fossae cujusdam reliquiae superesse dicuntur. Similiter in Paroecia *Sibbo* pagus habetur nomine *Borgby* (pagus castrensis), in cujus vicinia vestigia munimenti antiqui (*Borg*, s. *Redoute*?) itidem supersunt: cui rei suffragatur etiam *Fennica* ejusdem pagi appellatio, *Linnan-peldo* (ager castrensis).

³) In *Collectione Palmsköldiana* (in Bibliotheca Acad. Upsaliensis servata) ubi Literae Borgoam attingentes No. XIV Topogr. T. LX. p. 53—84 habentur, die 4 ejusdem mensis data dicuntur.

⁴) Titulus iis praefixus hujusmodi jam legitur: *Öpet Permenzbreff och Privilegie, för Borgo Stad i Nyland, att the måge fhöre uth the wharur, som icke förbudne äre, och segle til Stockholm med the förbudne wharur; Ithem försuarelsbref. Dat. den 3 Decemb. An. 1546.*

„Wi Gustaf med Gudz nåde etc. Göre wetterligit, att wij „aff vår synnerlig gunst och nådhe, hafue taget och anammet, „som wij och nu med thette vårt öpne breff tage och anamme „thesse våre trogne Undersåter, Borgmästere, Rådth och Menig- „heten som bygge och boo i vår Köpstad Borgo (Palmsk. ad- „dit: i *Nyland*), uthi vårt konglige hegn, wernn, fridh, förswar „och beskyddan, och enkannelige til at hägne fredhe och be- „skydde them, theres hustrur, barn, legefolk, godz och ägodelar, „rörligit och örörligit för alt öfuerwäld, oskäll, oförrättan, Thes- „ligest hafue wij och så gunsteligen undt och gifuit som wij och „nu her med unne, gifue och efterlåtthe, them och theres Effer- „kommande Borgere i för:ne Borgo, oss och Sverigis Crona til „en laglig (Palmsk. *leglig*) och behagelig tidh, rätt och fulkomp- „lige Staz Frijheeter och Privilegier, så at the lijke som andre „väre Borgere och Köpstädsmänn (Palmsk. addit. *flestäd*) „her i vårt rijke måge och skole bruke theres hantering, han-

accepta Privilegia, urbs nostra prope interitum erat. Mercaturam enim fere cessasse, nec juribus suis urbanis per aliquod tempus cives usos fuisse, monumenta testantur⁵⁾. Hostilibus praeterea invasionibus urbs graviter afflictata fuit; a. nempe 1571 in Martio (ut habet liber *Inventarii Eccles. Borg.*) *Mosci invasere per Wederlax, Kymmenegård incendio deleverunt; templum quoque Borgoënsè igni tradunt, peragranteque rapinis usque ad civitatem Helsingforsiam. Qualem invasionem a. 1578 contigisse Wexionius in Epit. Descript.*

„dell och wandell her Inrikes till Stockholm och flere af våre „Köpstäder, med huad som helst wharur her aff Rijket at före „förbudit är, eller framdeles blifua kan, och utriekes med theres „wharur, som löss och medgifuin är eller blifuer at föra aff „Rijket, och eljest uthi alle motte holle sig efter som vårt Kong- „lige uttgångne Mandaz om sådana Köpmandz handelz och an- „dre Stadgars innehoud klarligen uttrycke och förmäle; Samma- „lunde at the och her efter som tilförene frije och obehindrede „måge och skole niuthe, bruke och beholle the Stadzägor „och utrympningar, uthan för theres Stad, lijke som them af „framledne våre förfäder Rijkens Konunger och Regentere nå- „deligen och wetterligen unte och efterlätne warit hafue; dog „om theres näst onliggande Bygd theremot någon skälig bewiss „med Bref, Sigell eller annan longlig och laglig häfd hafua „kunne, som ock tilförene sådant för oss wäl beklaget är, Thå „skall och altijdh sådant stå them så wäl som then annen part „frijtt och öpet före, at sökiet hoss hwar annen med rätte. „Hwilket wij gifue våre Fougder, Befallningsmän och alle an- „dre, som för vår skull wele och skole giöre och lathe, til- „kenne, at the uthi ingen motte, giöre förb:de Borgo Borgere, „emot thesse för:ne våre frijheter och Privilegier hinder, qvall, „platz eller förfång, wijdh vår ogunst. Ther hwar och en sig ef- „terrätte hafwer; och thess till ytermere wisse lathe wij wetter- „ligen hengie vårt Kongl:e Secret nedén före thette breff som „gifuit och skrifvit är på vårt Slott Stockholm denn 3 Decembris „åhr 1546.“ (Apud Palmköldium legitur: *den Fierde dag Decemb. anno Domini etc. Tusende Fem Hundrade Fyratige på thet Siette*). Apographum, ex Archivo Regni comparatum et concordiae cum Actis (Registraturet) testimonio munitum, inter Acta Senatus Urbici Borgoënsis conservatur.

⁵⁾ Cfr. Literae R. *Johannis* mox adferendae.

Sveciae dicit⁶⁾. Non est mirum, si post tantam calamitatem urbs aliquamdiu fere deserta mansit ac ad incitas prope redacta; donec Rex *Johannes III* eandem, quae ad pagi rustici fortunam descenderat, novis Privilegiis, die VIII Julii a. 1579 datis⁷⁾, ornaret; quibus illam in pristinum sta-

⁶⁾ L. VII, C. I plag. X. Verba ejus sunt: „a Ruthenis Nylandiam ad Seckjerffvi (Säkjärvi) a. 1578 invadentibus et Hel-singforssium usque grassantibus male habitum: qui ingentem il-linc campanam abstulerunt: inde super glaciem de insulis *Pä-ling* Narviam elapsi.“ Circumstantias uterque non plane easdem commemorat; adeo ut nec eandem tangere irruptionem videantur? Nec facile crederes, anno jam 1571, cum adhuc de pace continuanda inter regnum utrumque ageretur, hostilem illum Russorum factum fuisse in Finlandiam impetum? nisi dubitationem nobis eximeret JACOBUS GISLONIS, qui *Chronol.* p. 120, ad a. 1571 scribit: „Alius Moschorum exercitus in *Martio Finlandiam intrat, et loca multa depraedatur.*“ (Prodiit ejus liber a. 1592). Cum quo testimonio cfr. Litterae *Gustavi Baner* ad R. *Johannem III*, Wiburgo d. 8 Febr. a. 1572 datae, typis exscriptae in *Foliis hebdomadae Aboënsibus* a. 1792, No. 21. Caeterum saepius his temporibus Finlandiae hanc oram hostiles hujusmodi sensisse impetus, constat. Quare non immerito MESSENIUS suo modo canit: „Ryska kriget nu kommer til: Det i begynnelsen angick Då Konung Johan riket fick, --- I fem och tjugu år det stod, Mång hjelt däri utgöt sit blod: De arme Finnar som näst bo, Ledo största sorg och oro, Ej dag ej natt voro där fri; Hvar slacktning stältes främst uti: *Huru ofta med rof och brand Den tid förhärjades Finland.*“ (*Chron. Rhythm. Finl.* p. 57). Sic crudeli Russos irruptione a. 1572 initio mensis *Februarii* (Kyndermesso tid) Finlandiam afflixisse narrat AEGID. GIRS, *K. Johan III:s Krönika* p. 34. (Cfr. Litterae *Banerii* nuper laudatae et initio a. 1577, induciarum biennialium tempore nondum elapso, per 12000 Tataros (equites levis armaturae) eandem atrocissime populatos esse, docet (item ib. p. 63; cfr. MESSENI *Scond.* L. VII p. 47).

⁷⁾ Quae exhibet *Collectio Palmsköldiana*, l. c. „Wi Johan den Tredje med Guds Nåde, Sveriges, Göthes och Wendes Konung, Göre Witterligit, at våre Undersåtare, som boendes äro uti Borgo By i Nyland, hafva i underdånighet sändt deras bud til oss och ödmuikeligen begärat vår nådiga tillåtelse, at de måtte få blifva boendes i för:ne Borgo, och der bruka Köpmans handel och wandel, såsom besottne Borgare i andre Stä-

tum restituit, eique liberam rursus mercaturam permisit. Otio tamen diu frui urbi nostrae neque postea licuit; a. enim 1590 (ut idem docet Liber Vetus) *iterum facta eruptione Russi in Februario per rapinas et caedes grassati sunt, tectum etiam Templi Borgoënsis deleverunt igne; interiora vero intacta manserunt: e capsulis autem scripta et monumenta antiqua hostes tunc abstulisse, posteritas queritur.* Ejusdem furoris hostilis meminerunt sub hoc anno etiam AEGID. GIRS l. c. p. 145 sq. et MESSENIUS *Scand.* l. c. p. 98. Praeterea cives urbis Helsingforsiae, Borgoam, utpote nimis sibi vicinam, mercaturae suae noxiam existimantes, de ea delenda consilia agitarunt: quae ut succederent, legatos ad Regni Administratorem Principem *Carolus* miserunt, oraturos, ut urbem nostram destrui, civesque ejus Helsingforsiam migrare juberet. Ille vero in tutelam suam suscepit Borgoam, antiqua ejus privi-

„der där i Finland. Så efter det, at för:ne Borgo By hafwer
 „i förtid varit en Köpstad, hvilken på någon tid till görandes
 „hafwer varit nederlagd, så at der ingen synnerlig Köpshandel
 „eller Statsrätt brukat är; Derföre hafwe Wi förenämnde Wåre
 „Undersåtares ödmiska begäran nådigt ansedt, och gunsteligen
 „efterlåtit, bewiljadt och samtyckt, at förenämnde Borgo By skall
 „uprättas och blifva en Köpstad, och Wåre Undersåtare, som
 „där boendes äro måge bruka fri handel och wandel, med Kö-
 „pande och Säljande efter Sweriges Lag uti alla måtto, såsom
 „andre Wåre undersåtare och Borgare uti Städerna, och på det
 „at samme Borgo Stads Inbyggare desto tryggare wara måge til
 „at bygga, handla och wandla efter som förbemält är, så hafwe
 „Wi uti detta vårt öpna Brefs kraft tagit och annammat för-
 „benämnde Borgo Stads Inbyggare, med Hustrur, Barn, Gods
 „och Ägodelar, rörligt och orörligt, ehvad det hälst vara kan,
 „som dem med rätta tilhörer, uti vårt kongliga hägn, wärn, fred
 „och förswar, synnerligen til at freda och förswara för alt öfver-
 „wåld och orätt, och fördagtinge til rätte, Förbjudandes förden-
 „skull härmed alle, eho de hälst wara kunna, som för wår skuld
 „wilja och skola göra och låta, at göra oftabemälte Borgo Stads
 „Inbyggare häremot något hinder eller förfång, wid Wår ogunst
 „och straff. Gifwit på Wårt Kongliga Slott Stockholm den 8
 „Juli anno 79, uti Wårt Regementstid på det Ellofte.

legia novis, die XI Januarii an. 1602 datis ⁸⁾, auxit, liberam ejus mercaturam confirmans, et in patria ex-

⁸⁾ *Dies XIII, Januar.* in Collect. Palmsk. habetur. Ipsae autem literae (quarum apographum testimonio legitimo munitum servat Senatus Urbicus) tales sunt: „Wi Carl etc. Göre „weterligit, att ändoch våre och Swerigis Krones Undersåther „uthi Helsingefors haffue någre resor opå åthskillige tydher oss „egenom theres uthskickadhe besöcht och flitiget ahnhollit, att „Borgo Stadh mätthe aldeles ödeleggies och Borgerskapet som „ther boo tilsäyes att the som handell wele driffue, the skulle „flyttie till Helsingefors och sättie sig ther nidher, förmenandes „sådant ware theres privilegier likmätighit. Såsom och therhoos „förmälendes, att huar thet icke skedde, då bleffue them all han- „dell uthi Helsingefors förtagen. Doch likwäll när man saken „rätt betenkia will, då liggie begge Städher icke huar andre så „när, att then eene kan ware then andre till meen och hinder. „Uthan der alt olageligit köp bleffue förtaget, och man wille sigh „meere om godh ordningh ähn oordningh befithet, så ock afäggie „all afwund och illwylie, då kunne icke allenest the bådhe Stä- „dherne bliffue widh macht uthan och wäll flere uthi Rykett „planthas och optagas, såsom man seer uthi fremmande Land „wara skedt och ähn skeer. Så efter våre och Cronenes un- „dersåther uthi Borgo haffue nu haft theres fullmächtige her „hoos oss och lathet see hwad för Privilegier som samme Borgo „Stadh af framfarne Konungar giffuin ähre, ödmiukeligen och „underdånligen begärandes, at wij them icke allenest confirmere „och stadfästa wele, uthan af gunst och nådhe förbette, derföre „så haffue wy ahnseendes wårt dragande Embethe, hwilkett af „oss kräffuer att wij alle wälfångne privilegier skole viddh-macht „holle och them icke brythe, uthan heller öke medh allom go- „drom, som lagh säger, för:te Borgo boers ödmiuke begäran „ahnsedt och theres privilegier confirmeret och förbettet som „herefter fölier. Först, såsom vår käre Herr Fadher Konungh „Gustaf opå thet år 1546, deslikes och sedan vår Herr brodher „Konung Johan opå thet år 79, bådhe Salige hoos Gudhi och „Christelige i åminnelse, haffue gifuit och efterlathet för:ne Borgo „boer och theres efterkommande borgere uthi Borgo Stadh rette „och fullkommelige Stadz privilegier och frihether; Så wele wi „och haffue them hermedh och uthi thette wårt öpne breffz kraft „samme frihether och privilegier aldeles såsom the oss här ähre „föreläsne wordne och i bokstafuen lydhe confirmerade och stad- „feste, så att för:tte Borgo by skall her efter ware och bliffue „een Köpstadh, och alle the som ther uthi boo och borgerskap

terisque Regionibus eandem exercendi potestatem incolis concedens; urbi praeterea insulam *Swinö*, cujus hactenus

„haffue wunnit, måghe och skole som andre våre borgere och „Köpstadzmän efter Swerigis Lagh och Rycksens lofige bruk „och stadger bruke theres handell och wandell bådhe inrykes „och utrykes, bådhe med inlendske och fremmande. Doch an- „dre Städhers privilegier, så och våre och framfarne Konungars „Mandater och Ordninger, som om förbodh opå någre synnerlige „warors uthförningh ähre uthgångne, eller herefter uthgå kunne, „aldeles her med oförkrenchte. Och ther så hende, att wij „framdeles någon serdeles ordning gjorde medh the Norlandske „Städher, ther efter the sigh uthi handell och wandell skulle „förholla, då skole och Borgoboerne ware förplichtade sigh her ef- „ter rette, och then eene framför then andre uthi thette fallet ingen „praerogation eller fördeel haffue. Till thet andre, Opå thet att „all oenighet som beggie Städher Borgo och Helsingefors är „emellan, må bliffwe förtagen, och hwar weete huru widt han „handle skall, och then eene icke beklage sigh att honom nä- „ringen och handelen af then andre bliffver ifrå tagen, så skall „medh beggie Städernes handell så hollit warda som her efter „följer: När the Fyre marknadher som uthi Borgo, Pyttis och „Pernow om åhret holles, ähre öfwerståndne, hvilke Helsingefors- „boerne skall fritt efterlathit warde att besökie och ther brede widh „Borgo Stadz inwånare att handle och wandle: Såsom och thet „samme skall Borgoboerne uthi Helsingefors uthi frymarknadher „stå öpet; då skall thet wara them som i Helsingefors bo aldeles „förbudit någon handell om åhrett ytterligare öster om Borgo „att drifve. Såsom och the som i Borgo boo, skole icke heller „uthan lagha marknadher något handle wester om Helsingefors, „uthan hwad såsom undersåtherne öster och wäster om beggie „Städher haffwe til at köpe och sälie, thet skole the göre uthi „näste köpstadh och ingalunda drage then staden förby som „nermare ligger. Wi wele och beggie Städher till destе meere „och bettere förkofringh haffwe alfwarligen förbudit och aflyst alle „Landköp som bådhe Råffwelsboer och andre driffwe uth medh „Siösidhen och op i landet, så att hvem som thermedh warder „beslagen, då skal han efter lagen hafwe förwerkatt thet han „handler medh, och böthe ther öfwer opå sine 40 marek. Och „efter att många her uthi landett boo, så wäll bönder som an- „dre, hwilke seglas bruke och handell och wandell driffwe, icke „mindre ähn som någre borgare i Städerna: därföre så skole „Fougterne säye them till som Skutor och skip haffue och han- „dell och wandell driffwe wele, att the skole draga in i Stä-

nonnisi dimidiam partem possederant, et pagum *Weckjärvi* (*Vehkajärvi*) oneribus publicis (praeter annum tributum XX Thalerorum Svecicorum) liberum, donans; atque aliis literis, eodem die datis, duorum annorum a tributis immunitatem civibus, ad vires urbis fractas reparandas, largitus

„derne, antingen till Helsingfors eller Borgo, och ther boo och
 „winne burskap, och sedan bruke seglas, handell och wandell
 „som andre borgare. Thy hwar annorlunde skeer, och Fougderne
 „antingen tillstädie eller see igenom fingerne thet sådane
 „Landzköp och olaglige handell bliffwer driffwen, då skole the
 „icke allenest efter Lagen ware förfalne til 40 mark så ofta
 „thet skeer, uthan och bliffwe ther offwan opå för ohörsamhet
 „tilbörligen straffadhe. Till thet tridie: efter ofte:te Borgeboer
 „haffwe uthi underdånigheet lathett giffwe oss tillkenne, att the
 „inthe synnerliget uthryme ther wedh stadhen haffwe antingen
 „til mulebeet, wedebrandh eller annet, och fördenskuld af oss
 „ödmiukeligen begäre att wij them någon lägenheet inrömmе
 „wille; så på dett de destе snarere måtte komme sigh före och
 „förwinne then skadhe som the nu een långh tydh hafwe haft af
 „thet att theres handell haffwer legatt neder: Derföre så haffwe
 „Wij nådigst bewilliget och samtycktt att the undher Stadhen
 „måge beholle en Öö benempdh *Swinöö* med alle dess tillydande
 „ägor och rättigheet, hvilken the tilförene half haffwe innehaft.
 „Desslikes en by *Wekejerffue* (Palmsk. *Wäckierffvi*) benempd,
 „uthi hwilken ähr een Skattjord och Sex mantaal, till att nytte,
 „bruke och beholle sigh och Stadhen till godho, qwitt och frij
 „för alle uthlagor så till (Palmsk. *så väl*) wisse som owisse
 „Perzeler, och (Palmsk. *Doch*) skole the theraf giffwe oss och
 „Cronen till wederkännelse hvartt ähr tiugu daler Svenskt mynt.
 „Förbiudhe fördenskuldh alle som för wåre skuld wele och skole
 „göre och late, att the icke tilfoge för:de Borgoboer heremott
 „eller emot thet som Sweriges Lagh och framfarne konungar
 „them undtt och efterlathett haffue, någett hinder eller förfångh
 „i någre mätthe. Såsom och befale wåre Ståthollare, Befalningz
 „män och Fougder, så wäll them som nu ähre, såsom och her
 „efter kommandes wardhe, att the Borgo Stadh och dess inwånere
 „widh thenne wår giffne privilegier handhaffue, beskydde och
 „försware, der hwar i sin stadh weeth sigh efter rette. Datum
 „Åbo then 11 (*Palmsköld* den 13) Januarii ähr 1602.“

est ⁹⁾. Quae Privilegia idem post coronationem suam, a. 1607 die 3 Julii ulterius confirmavit, novisque auxit juri-
bus ¹⁰⁾. Rex *Gustavus Adolphus* a. 1614 d. 22 Febr. civi-

⁹⁾ „På thet att the deste snarere måge komme sig före igen, „*efter the nu een tijdh långh uthan handell och vandell haffue „suttit*“, ut verba jacent: ex quibus patet, urbem hactenus vul-
neribus suis mederi non potuisse.

¹⁰⁾ Haec Privilegia habentur in *Collectione Palmsköldiana*, l. c. unde prioribus adjectos articulos exscribendos judicamus: „Vidare vele vi af gunst och nåde, desse för:ne Borgo Stads „Privilegier med efterföljande Puncter och Conditioner hafva för- „bättrat, som är: Först vele vi härmed förordnadt hafva, at efter- „som ofta hända plägar, at en hop fremmande, som äro Holländare, „Tyskar, Skottar eller af andre Nationer, de komma hit in i „Riket och sättia sig in i Städerna, och göra derhos Borgare-Ed, „och bruka deras handel och vandell, likasom invånare, och för- „kofra sig, och slå under sig stora ägodelar, och en part, se- „dan de hafva riktat sig så mycket de vela, åter säga sin Bor- „gare ed upp, och draga så af Landet, och sätta sig uti främ- „mande Städerna ned, och bruka de Penningar de här af Lan- „det fört hafva. Derföre skall hvar och en som Borgare vara „vill, och handel och vandell uti våre Köpstäder bruka vill, och „synnerligen uti vår Stad Borgo, Först, för än han til Borgare „antagen varder eller någon Borgare Ed gör, utlofva at vilja „blifva der boendes uti alla sina Lifsdagar. Hvad han det icke „utlofva vill, utan tillbiuder sig, medan han der handell och „vandell drifva vill, Borgare rättighet att utgöra, då skall det „honom intet varda förbudt, när han sin Ed aflagt hafver, och „emedlertid han där besittiandes är, skall han vara oss, vår äl- „skelige kära Husfru, och våre efterkommande, huld, trogen och „rättrådig, och sedan skall han niuta Borgare rättighet, lika „med andra stadens inbyggare; men hvar sig så tildraga kunde, „att han sedan vill säga sin ed up, och sig sedan uti andra „Städer och platser at begifva, vare sig inrikes eller utrikes, då „skall han först hembiuda staden eller någon besittnings bor- „gare, och ingen annan, hus och grund, om han der något så- „dant tilförene haft hafver; Hvar ingen voro som sådant köpa „ville, då skall Staden efter Mätsmannas ordom, hus och grund „till sig lösa, och tredingen af hans lösören, som der finnes i „Hus och gömmo hans, skall varda förfallen under Staden: om „nu innom Stadsens rå ej finnes något lösören, utan han hafver „dem hemligen utur Staden undanstungit och utfört, då hafve „förgjordt under Staden hus och grund, utan någon värdering,

bus jus concessit, Portorium (Tullen) Regi pendendum per tres annos sibi vindicandi, ut sic solutionem sibi procurare

„och hafve ingen hvarken han eller hans arfvingar någonsin magt
 „det at qvälja. Finnes skuld efter honom innom Stads, som bort
 „fara vill, då skall all skuld först betalas af jord och lösören in-
 „nom Stads, och ingen annan sedan kräfje här efter, som Lag ut-
 „visar. För det andra: Så hafve vi nådigst undt ock efterlåtit
 „at all saköre, som i Staden faller, hon skall höra oss hälften
 „till och den andra hälften till Staden, och den skall vändas
 „till Kyrkios, Schol-Stugors, Stads-Stugors och andra Stadens
 „byggningar. Till det Tredje: Så hafve vi nådigt efterlåtit dem
 „til Stadens byggning och förbättring, den tionde penning af
 „alt det arf som i Staden faller, så hvar någon utan Stads voro,
 „som något arf anten i löst eller fast i Staden tillfalle, och han
 „icke ville sielf bo i Staden uppå det hus eller tomt som honom
 „tilfallen voro, utan ville bo utan Stads och föra lösören af Sta-
 „den, han skall gifva deraf först i löst och fast som förbemält
 „är, til Staden hvar Tionpenning, och sedan skall han icke hafva
 „magt at sälja något, som utan om Staden bor, anten Hus,
 „Jord eller Tomt, som han i Staden ärft hafver, utan vill han
 „henne icke sielf besittia, då skola de, som i Städerna bo,
 „hafva magt henne at lösa och behålla efter mätesmanna or-
 „dom; vill han och icke sälja henne dem, heller sjelf besittia,
 „då skall samma Hus, Jord eller Tomt vara förfallen under Oss
 „och Staden, Oss hälften och Staden den andra halfparten. Til
 „det Fjerde: Så vele Wi ock härmed alfvarligen budit och be-
 „falt hafva, att Bryggare och brygghus skola hållas i Staden,
 „och icke hvar brygga som han sjelf vill, som här till skedt är,
 „utan de, som där blifva satte, de skola för eld och våda skull
 „hafva deras brygghus och pörter utom Staden, och af alt det
 „öl där bryggas skall, skall gifvas en mark i accis för hvar
 „tunna. Och där skola sättas vissa män till, som der hafva
 „inseende med, at samma accis blifver rätt gifven, hvilka pen-
 „ningar ock skola sedan komma Oss halfparten till, och den an-
 „dra halfparten till Stadens byggning, och ingen skall vid peen
 „och straff fördrista sig att hafva någon bryggestoll i sitt egit
 „hus. De som och hålla Brygghusen uppe, de skola låta hvar
 „och en för redelig betalning brygga uti deras brygghus; Icke
 „skall heller vara efterlåtit, som härtills skedt är, at Finskt öl
 „skall skänkas i alla vinklar och oloffiga hus, utan der skall
 „ock sättias vissa borgare till, som ölet i kannetal uptappa, och
 „de skola gifva af hvar tunna de utmångla och utsälja, Oss
 „half mark och två öre till Staden till byggningen. — Till det

possent pecuniae quam in usus militum contra hostes patriae pugnantium numeraverant. Cumque iidem questi essent, neque suis sese navibus urbes exterorum adire valere, neque ut peregrinae naves ad suam urbem venirent permitti; ut per biennium his ad urbem accedere liceret, a Rege impetrarunt: Revaliensibus atque Narvensibus mercatura, quam cum incolis vicinarum insularum oraeque Nylandiae maritimae proximae, in fraudem Borgoënsium exercuerant, simul interdicta. Senatui autem Urbico severe fuit injunctum, ut varii generis opifices, (quorum index attexebatur), in urbem suam adsciscerent. Anno sequente (1617

„Femte: Efter Borgarne uti Borgo Stad ödmiukeligen hafva be-
 „klagat sig utöfver det olagliga Lansköp, som både de Revel-
 „ska der drifva, som pläga draga tidt utöfver at hoffiske och
 „köpslaga der med allehanda köpmansvaror, som är Salt, Kläde,
 „Jern och annat, ock föra åter öfver til Refvel allehanda varor
 „och gods, Oss och Kronan till skada och afsaknat uti Tullen,
 „och för:de Borgo Stads Inbyggare till förfång uti deras handel
 „och näring; såsom ock det Bönderna segla till Räfle och
 „Narfven med ved och fisk, skulle under det sken föra ut alle-
 „handa varor, icke allenast hvad de sjelfve äge, utan ock Hof-
 „mäns och andre Bönders gods, så vele vi sådant olagligt Lands-
 „köp hafva alfvarligen förbudit, och aldeles härefter afskaffat.
 „Och hvilken som dermed beslås, at han brukar sådant Lands-
 „köp, då skall vår Fogde, och Borgmästare och Råd i Staden,
 „hafva magt at taga bort ifrån dem alt det de hafva med at
 „föra, och det skall varda förfallit, halfparten till oss, och half-
 „parten till Stadens Byggning.“

„Alle För:ne Puncter och Artielar biuda Wi på vår Ko-
 „nungsliga Embets vägnar, och strängeligen befalle, obrotsligen
 „vid magt at hållas; vi vele och härmed, förenämnde Borgo
 „Stads inbyggare med hustru, barn och legofolk, samt gods och
 „ägodelar, rörligit och orörligt, innan Stads och utan, uti vårt
 „Konungsliga hägn, värn, fred och försvar, annammat hafva,
 „för alt orett och öfvervåld, til lag och rätta. Förbiude för-
 „denskull alle i hvad stad de hälst vara kunna, särdeles de,
 „som för vår skuld skole göra och låta, för:te Borgo Stads In-
 „byggare häremot hinder och förfång i någon måtto göra och
 „tilfoga, vid vår högsta onåd och tilbörlikt straff. Gifvit på
 „vårt Konungsliga Slott Stockholm den 3 Julii år Et Tusende
 „Sexhundra på det Siundhe.“

d. 24 Octobr.) Rex privilegia quidem urbis, donec ea curatius expendendi et pro rerum usu atque ratione emendandi sibi opportunitas contingeret, confirmavit, sed *in quantum Ordinantiae pro mercatura regni moderanda in Comitibus ejusdem anni constitutae* (Handels-Ordinantien) *non repugnarent*: qua Ordinantia urbi nostrae, ut plurimis aliis, jus commercia cum exteris populis exercendi (Stapel-Rätten) plane ademptum fuit¹¹). Hoc itaque jus ut recuperarent, cives postea saepe a Regia Majestate petierunt; sed irrito semper conaminum suorum successu. Anno tamen 1765, non modo libera ad omnes urbes Svecicas navigatio illis concedebatur, cum jure merces suas in illis ad opportunum sibi tempus repositas habendi, (fri inrifes seglation och uplag), sed etiam potestas dabatur merces ligneas varii generis (trädfärit och trädwirke) ad portus omnes circa mare Balticum Sinumque Fennicum sitos transportandi, frumentumque, linum et cannabin, nec non semina cannabidis et lini, inde reportandi¹²). Inita praeterea cum Helsingforsensibus quibusdam mercatoribus societate, horumque jure simul fruente, navi ex illius urbis portu profecta, posterioribus his annis, (ab hujusmodi usu consilii per leges patrias haud exclusi), cum exteris etiam remotioribus mercaturam non infelicem fecerunt.

§ VII.

Regnante R. *Carolo XI*, praedio quidem *Weckjärvi* per captum consilium fundorum omnium Regionum privatis donatorum aerario rursus vindicandi (*Reductionen*), Borgoënses multati sunt; nec precibus civium illud repentium, a. 1682 Rex annuit: sed biennio tamen post (1684) faventiosem se illis prae-buit, ac jus tam hoc, quam nonnulla alia nuper adempta, resti-

¹¹) Legi potest haec Ordinantia in operis *Stiernmanniani* (Samling af Kongl. Bref, Stadgar och Förordningar, ang. Sveriges Rikes Commerce etc.) T. I p. 690 sq.

¹²) Decret. Reg. (Kongl. Resolution) d. 3 Dec. a. 1765.

tuit 1). Diurno autem ac fatali bello per totum fere regnum R. Caroli XII ardente, urbs nostra gravissimis afflictata calamitatibus. Primum enim a. 1708 (ut verbis utar libri veteris saepe jam laudati) *Muscovitae seu Petersburgo vecti navigiis circa vicum (praedium) Haico in terram exsiliunt oppressuri Borgoam. Caeterum aggredientibus jam in ponticulo amnis, fortiter opponunt se cives Borgoënses, prostratisque aliquot et in profluentem deturbatis, reliquos ad sua accedere navigia cogebant: sed die postero ab orientali littore, Ruschis dicto, fortius accedunt Russi, Borgoamque desertam ab incolis flammis devastant, flaminia per gratiam Dei salva manente. - - Deinde a. 1710 pestis - - civium Borgoae—agrestiumque 652 extinxit, quis locus sepulturae in la-*

1) *Decr. Reg. d. 20 Dec. a. 1682 Art. I.* „Hemmanet „Veckjärvi, som icke utan orsak är reducerat under Kongl. „Maj:t och Cronan, och dess räntor använde till nödige publice „usus, kan intet Staden restitueras, hvilken ock bör sökia sin „förkofring igenom handel och vandel, och icke någre Bonde „Hemmans räntor och bruk.“ *Faventius autem Decr. Reg. d. 23 Aug. a. 1684:* „Kongl. Maj:t har sedt så uthaf Landshöf- „dingens som Magistratens underdånige ingifne berättelse, huru „ringa Intrader till dhe betientes aflöningh och underhåld äre i „Staden Borgo att tillgå, sedan dhen dhem för detta bestådde „Siette dehl af Accisen och Bakugns penningarne ifrån a. 1680 „är vorden indragen, och fördenskuld i nåder förunnar dhem „härefter som här till 1:o att niuta dhen ena Skattjords Ränta i „Wedijärfwi som Staden a. 1602 är vorden donerat, och 2:o „samma kiällare frijhet som staden förr haft och a. 1664 och „1675 är thy vorden förunt och beviliat. 3:o Gillar och Kongl. „Maj:t i nåder det förslagh som Landshöfdingen till någre medels „utfinnande vid handen gifvit, at Borgerskapet i bemälte Stad „hvar efter sin handell må åhrligen erläggia och uthgiöra till „Magistratens underhåld ett visst af sine åkrar och täppor, fi- „skerij samt muhlbete och hambnpenningar, hälst eftersom och „sådant ähr reda åhr 1642 på då hållne Riksdag godtfunnit och „bevilliat. 4:o Skall och af alla uthgående en fjerdedel och af „inkommande vahrer en half pro Centonal gifvas; För hvilke „medell Magistraten under Landshöfdingens disposition, och ef- „ter den för de betiente nu heller herefter affattade Stat åhr- „ligen skall göra ricktig reda och räkenskap.“

tere Naese collis prope viam est datus; ad finem Januarii demum virus evanuit. - - Ao. denique 1713 Muscovita milites trajecit Borgoam, persequens mari terraque nostros fugitive belligerantes. Post quod tempus, ferreo hostium sceptro ad pacem usque Neostadiensem parere coacta, ruinis foeda atque oppressa urbs nostra jacuit. Quo autem clades bello accepta, restituta tandem pace repararetur, a. 1721 urbi ab omnibus tributis immunitas per octo annos clementer indulta fuit; qua ad a. usque 1731 frui licuit. Cui beneficio accessit quidem aliud, ut nempe pro Templo, Curia (Nådhuset) atque Schola aedificandis, hostium crudelitate combustis, opem in omnibus Regni Templis (med Håfven) colligere a. 1722 liceret; sed haec auxilia, quibus largiora tribuere exhaustae Reipublicae vires non permittebant, ad urbem ex cinere excitandam parum valebant²⁾. Ao. 1742 rursus cum reliqua Finlandia in Russorum venit potestatem, eisque subjecta usque ad pacem a. 1743 partam, esse cogebatur.

Quibus sensim sanatis vulneribus, novam acerbamque a. 1760 experta fuit calamitatem, cum die XI Junii duae tertiae partes urbis tristissimo incendio deflagrarent: quo incendio se damnum prope 400000 thalerorum monetae argenteae (Thalerorum imperialium $133333\frac{1}{3}$) passos esse, jurata fide cives confirmarunt. Haec igitur jactura quo repararetur, non modo a Regia Majestate permissum fuit, ut per urbes patrias spontaneae benignitatis subsidia iis colligerentur (genom Stamböcker), sed ordines etiam Regni opem iis a quavis familia per totum regnum conferendam impertiebant, atque ad publicorum aedificiorum exstructionem 10000 Thaleros monetae argenteae, intra quatuor annos (1762—1765) colligendos donarunt: quae donec omnes pecuniae redirent, e Cambio Regni publico (Rifsens Ständers Banque) summam 60000 Thaleror. monetae argenteae mutuam sumere urbi licuit, accurate tamen postea (una cum foenore ex legibus

²⁾ Cfr. *Decret. Reg.* d. 11 Jan. 1726, et d. 25 Oct. 1734.

debito) solvendam. Praeterea civibus qui omnem rem familiarem amiserant, sex, qui vero partem tantum bonorum suorum perdiderant, trium annorum a tributis immunitas data fuit; quibus porro beneficiis immunitatem ab omni generis tributis (excepto eo quod pro libertate spiritum frumenti destillandi iis temporibus pendebatur) per octo annos duraturam, S. Regia Majestas a. 1770 addidit. Centum quoque milites ex peditatu Nylandico operam civibus in urbe aedificanda, pro mercede admodum modica (8 oerarum monetae argenteae in diem quemque, cum cibo vulgari, *Åusmanslöfi*) praestare jussi sunt³⁾. Hac benignitate publica adjuta, non tantum pristinae conditioni urbs sensim restituta fuit, sed etiam aedificiis lapideis, praeter curiam nonnullis quoque aliis, ornata. Sed cum tot calamitates, quibus hoc seculo afflicta fuit, cogitamus, mirari haud convenit, si ad florem tamen majorem pervenire hactenus non potuit.

§ VIII.

Faciem statumque ejus hodiernum ut diligentius depingamus, consilii nostri non fert ratio: quae res ad Oeconomicam ejus potius descriptionem, (ab alio aliquo olim exspectandam) quam ad nostrum pertinet institutum. Obiter tantum notamus, totam urbis aream hodie ulnas quadratas aequare 610615; quae, praeter forum, vicos, loca templo aliisque aedificiis usibusque publicis dicata etc., areas domibus privatis assignatas (*Åårds-tomter*) continet 271, omnes (praeter duas) aedificiis instructas, spatium 484790 ulnarum quadratarum occupantes. Numerus incolarum a. 1794 erat 1821: e quibus censi erant (*woro mantals-förefne och betalade mantalspenningar*) 1098; nempe sexus masc. 486 et sexus femin. 612; censu liberati (*utur mantal, och frie för mantalspenningar*) 723, sc. sexus masc. 366 et fem. 357¹⁾.

³⁾ Cfr. *Decret. Reg.* d. 11 Martii, d. 24 Aug. et d. 10 Nov. 1761; nec non d. 10 Apr. 1770.

¹⁾ Anno 1775 numerus incolarum erat 1982, familiarum (*matlag*) 390, et Cauponarum 96. Anno 1785 incolarum nume-

Quod ad quaestus quibus se dederunt, attinet, 24 Mercaturam exercebant (Håndlande, praeter 28, minoris momenti negotia gerentes, mindre Borgare); Opifices (Håndværkfare) erant 89, inter quos Textores lintearii (Linwåfware) 24, tironibus vel adjutoribus (Læro-gøfær och Gefåller) non connumeratis ²). Naves, praeter illam majoris molis de qua supra memoravimus, mare mediterraneum adeuntem (Spanie-farare) ac a. 1783 aedificatam ³), urbs duas possidet, portus Balticos visitantes (Österjöfarare ⁴), et tres minores Stockholmiæ quotannis petentes (Stockholmsfarare ⁵). Praeter quas aliae ex vicinis urbibus, prout usus requirit, mercede conducuntur. Ex agro urbi addito (tres portiones viriles, Mantal, aequante) circiter 269 jugera (tunneland) frumento gignendo adhibentur, prope 7 jugera herbae Tabaci colendae, et 7 alia hortis varii generis dicata sunt. Fabricas urbs habet tres: unam ad Tabacum praeparandum comparatam, a. 1744 fundatam: alteram in qua linteum crassius firmiusque velis nautarum imprimis idoneum (Buldan) textitur, a. 1748 in praedio Johannisberg (prope urbem sito) primum conditam, sed deinde, venia publica a. 1752 impetrata, in urbem translata: tertiam Saccharo coquendo dicatam, a. 1784 institutam.

rus erat 2189 (sexus masc. 1031, fem. 1158), familiarum 220, Cauponarum 65. Bellum insequens civium numerum, etjam in nostra urbe, imminuit.

²) Numerus machinarum textrarum (Wåffstolar) superabat 50. Olim vero horum Opificum longe major in urbe nostra fuit numerus, ita ut Magistri hujus artis (Måstare) usque ad 40 fuisse reperiantur: hodie vero ars ad vicini ruris incolas latius fuit propagata, aliaque impedimenta industriis his opificibus offererunt, quos bellum quoque multis privavit operariis.

³) Tonnarum dodenarios majores (swåra läster, 18 Tonnas continentes) 206 capientem.

⁴) Ex eo navium genere quod Brigg audire solet; alteram 60, alteram 57 Tonnar. dodenarios majores capere idoneas.

⁵) Quae junctim Tonnarum capiunt dodenarios 48.

§ IX.

Post pacem Neostadiensem, Wiburgumque amissum, et sedes Episcopalis et Gymnasium Regium ibi olim florens, ad nostram urbem translata sunt: de quo posteriori, ex instituto aliquando actum iri speramus. Templo et Pastore (qui post translata huc Cathedram, Archipraepositi simul honore semper ornatur) communiter urbs cum paroecia circumjacente utitur: Sacellanum vero habet proprium, Archidiaconi nomine vulgo insignitum. De his autem omnibus eorumque serie, ubi paroeciae diligentioris quis traditurus est descriptionem, commodius agetur. Juxta templum primum (Cathedrale) lapideum, aliud parvum ligneumque exstructum habetur, ubi Fennica lingua cultus Divinus celebratur. Olim Ecclesia rustica et urbana iisdem horis saera celebrabant: cum vero crescente utrobique hominum numero, Templum multitudinem illam capere non posset, et Ecclesia rustica urgere coepisset, ut urbs usu veteris aedis exclusa, proprium sibi conderet Templum; controversia haec tandem a. 1698 ita composita fuit, ut diversis horis utraque Ecclesia in Templo eodem cultui Divino operam daret: quod auctoritate Regia fuit confirmatum ¹⁾, nec per nova Ecclesia ruralis molimina antiquari potuit ²⁾. Quare hodieque illa maturius (hora antemerid. VIII), haec serius (hora circiter XI), cultum Divinum publicum orditur. Vespertinus autem (Ålftonjången), quoties ille habetur, post meridiem ab utraque ecclesia conjunctim celebratur. *Schola* urbs instructa est, cui Rector *Paedagogiae* cum Collega praeest ³⁾: quae si in Triviale mutaretur, ex alterutra urbe

¹⁾ D. 2 Dec. 1698.

²⁾ *Reg. Decret.* d. 20 Jul. 1723.

³⁾ Rector (Paedagogus) nullo alio stipendio fruitur, quam pecunia quae ex paroecia *Borgoënsi* in Scholarium usum, veteri instituto, colligitur (Djefne-penningar), 20 Thaleros imper. quotannis non multum superante, et $6\frac{2}{3}$ Thaleris Imper. ex acrio urbis, pro domo conducenda, ei praebita (quae summa major olim fuit). Collega loco stipendii pecunia Scholastica (Djefne-

vicina (vel Helsingforsia vel Lovisa) huc transferendam, et Borgoënsi Paedagogio compensandam, dubium non est, quin ad studia litteraria Dioeceseos adjuvanda, ex Scholae Trivialis Gymnasiique conspirante industria institutoque conjuncto, insignia redundatura forent commoda.

§ X.

Juri dicendo rebusque urbis administrandis Consul praeest, cui 4 adjuncti sunt Senatores urbici; qui opera ministerioque adjuvantur Notarii, Quaestoris urbani (Casseur), Exactoris (Stads-fogde) et duorum Apparitorum ¹⁾. *Insignia Urbis* docet WEXIONIUS (l. c.) esse „Igniarium, seu instrumentum igni eliciendo aptum“ (et *Ébftål*); qualem figuram

penningar) ex paroeciis *Sysmä* et *Gustavi Adolphi* (Hardola) redeunte fruitur, et in aedibus arcte habitat ad Scholam pertinentibus, cujus usibus illa domus paullo ante bellum Russicum a. 1741 susceptum, exstructae fuerunt.

¹⁾ His stipendia hujusmodi a. 1696 constituit Rex Carolus XI: 1 Borgmästare 300 Dal. S:mt; 4 Rådmän à 50 Dal. 200 Dal.; 1 Notarius 100, 1 Casseur 30, 1 Stadsfougde 20, 2 Stads-tjenare 22 Dal. Till lack, papper, bläck, Påstpenningar samt ved och ljus med extraordin:e expenser, hvarföre göres Räkning, 15 Dal. Till publique byggningar, hvarföre i lika måtto göres Räkning, 30 Dal. Till förberd. Borgå Stads betientes aflöningar samt publique byggningar blifver under berd. Stadsens medel som nu för tiden falla eller framdeles falla kunde, anslagne och anordnade, hvilka, efter den affattade Instructionen och Reglementet blifva handterade och disponerade, hvarföre åhrligen richtig redo och räkning göras bör, neml. Hemmans Räntor som Staden äro donerade. Källare frijheten 33 Dal. 1 ö. S:mt; Ståndpenningar. Tomptören, Mulbete- Noth- Kattze-stånd- Näät- Tappe- Saköres- Mätare- Buur- Domare- Siöbod-Hamn-Penningar. Centonalen af inkommande och utgående varor. — Skulle och någon gång hända, at medlen intet åhrl. indrager den summa som till Statens aflöning och Publique byggningar requireras, så måste brist på hvars och eens aflöning proportionaliter ankomma: Men om någre medel öfverskiuta, sedan bristen af det förra året är ährsatt, skola dhe hållas oför-rychte til Hans Kongl. Maj:ts disposition. Stockholm d. 18 Septemb. a. 1696.

Sigillum urbis hodieque conspiciendam exhibet: cujus adoptandae (si vere eandem illa antiquitus formam retulit?) causam omnino ignoramus. Seriem quidem Consulum, qui vel post initium Sec. XVI urbi praefuerunt, plenum exhibere non valemus; quod per graves calamitates quae eandem affligerunt, vetustiora ejus monumenta omnia perierunt: sed qualem tamen, maxime ex Actis Judicialibus urbis quae in *Archivo Summi Dicasterii Regii Aboënsis* servantur, colligere potuimus, dabimus. Annis igitur 1622—1656 hoc munus obiisse reperitur *Jacobus Heffner* ²⁾; quo absente, vices ejus gessisse credas *Petrum Laurentii* (*Pehr Larsson*), qui exeunte a. 1622 nec non 1625 Consul in actis appellatur. Deinde a. 1659—1661 *Dan. Möller* urbi praefuit, cujus vices a. 1660 gessit *Johannes* (*Hans*) *Sieben*. Successit ei *Joh. Plaghman*, qui a. 1663 d. 3 Jan. Consul nuper constitutus audit, ac a. adhuc 1675 in hac eadem erat statione; qua a. 1684 functum fuisse *Johannem Andree Rööck* reperimus. Habuit is successorem a. 1697 *Jac. Wijkman*, urbis Wiburgensis antea Secretarium, qui a. 1726 Consul urbis adhuc salutatur. Annis vero 1727 et 1728 mentio fit *Jac. Wijkman, Consulis Vicarii*; an filius fuit superioris? A. 1728 dicitur *Andream Grönvall*, hactenus Jurisconsultum Equitatus Nylandici (Auditeur vid Nylands- och Tavastehus-Läns Cavallerie Regemente), constitutum fuisse urbis Borgoënsis Consulem, post *Johannem Frese*, ad munus Judicis Territorialis Careliae admotum. In munere ille mansit (aetate tandem valetudineque corporis factus infirmior ³⁾, ad a. usque 1742 ⁴⁾, quo successorem nactus fuit *Gabr. Hagert*, Vicarium Judicem Territorialem,

²⁾ Nonnumquam nomen suum scribitur *Höffnär*.

³⁾ Unde questi sunt cives de ejus negligentia in munere administrando; cui interim alii nonnulli, ac tandem Dn. *Hagert*, quem deinde successorem habuit, praefuisse reperiuntur.

⁴⁾ A. jam 1739 Regio Diplomate Consulem factum fuisse licet edoctis, dubitationem tamen movet, quod a. 1741 die 3 Apr. Consul Vicarius constitutus fuisse, in actis judicialibus supra laudatis dicatur?

qui a. 1774 decessit. Hujus non vulgaria sunt merita in urbem (cujus ad Comitata Regni fere omnia, per illa tempora habita, deputatus fuit, haud spernenda, in suo Ordine, fide pollens auctoritateque), de qua post infelix incendium a. 1760 restauranda enixam gessit curam; mercaturam simul exercens, auctor etiam fuit Fabricarum tam Tabaci quam Lintei velaris (Bulban) conficiendi, condendarum. Ei successit *Dan. Nylander*, qui Secretarius antea Rei Munimentariae (Fortifications Secreterare) Helsingforsiae fuerat. Quo a. 1782 defuncto, Consul factus fuit *And. Gust. Hoffrén*, rei cibariae militaris antea Procurator (Fält-Commissarius), qui cum a. 1790 mortem obiisset, successorem a. 1792 d. 5 Junii nactus est Dn. *Andream Fabianum Or-raeum*, Librarium antea Ordinarium (Ordinarie-Cancellist) Supremi Tribunalis Regii Aboënsis, qui eandem etiamnum stationem ornat.

OBSERVATIONES CIRCA HISTORIAM DECIMARUM ECCLESIASTICARUM IN SVECIA.

DISSERTATIONES

QUAS

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICO EXAMINI SUBMISERUNT

GUDM. NYSTRÖM et PETR. AHLSTRÖM.

Aboae 1796, 1798.

§ I.

Ortam sensim in coetu, qui a Christo nomen habet, ex temere applicatis legibus Judaicis eam opinionem, qua *decimam partem* frugum, foetus pecoris etc. instituto et jure divino Ecclesiae atque Clero impertiendam esse statuebatur, monumentorum et antiquitatum ecclesiasticarum peritum latere potest neminem. Quam opinionem, passim sensimque adoptatam, ac seculo post Christum natum VI:o jam fere vulgarem ¹⁾, Hierarchae et maxime Pontifices Romani, ut suis rebus apprime commodam, vehementer probare variisque firmare argumentis, suo pariter ac temporis ingenio accommodatis ²⁾, haud neglexerunt. Ut igitur caeteros po-

¹⁾ Vid. Diss. AND. SKARÉN, *Gentium, praecipue Sveogothicarum quod ad decimas, jura excutiens*, Aboae a. 1744, Praes. A. SCARIN edita, § IV sqq. et Diss. BENJ. HULTIN *de Decimis Christianorum*, Lundae a. 1754, Praes. Sv. BRING. (Nob. LAGERBRING) edita, § III sqq. Cfr. THOMASIIUS Not. ad LANCELOTTI *Instit. Juris Can.* P. II p. 1132—1139. De instituto Judaico praeclare agit MICHAELIS *Mosaisches Recht.* Tom. I § 52 et Tom. IV § 192. Recte autem viri docti, etiam ex Protestantibus, multi observarunt, (nec omnes tamen aequae vel caute vel solide rem explicantes), cum et aequitas et necessitas postulet, ut non modo Ecclesiae Doctoribus, sed aliis etiam piis usibus, stipendia tamen aliqua et redditus impertiendi et assignandi sint; haud ineptissimum fuisse hoc et Judaeos et alios populos antiquos imitandi consilium, modo sapienter et juste adhibitum atque administratum. Cfr. ex. g. GROTIUS *de Jure Belli et Pacis* L. I, C. I § 17, n. 4; THOMASIIUS l. c. L. II Tit. 26, p. 1134; BRING l. c. p. 4.

²⁾ Cfr. BRING l. c. p. 10. Argumentum, quo usus est P. Innocentius III, deinde ubique adhibitum reperitur. Cfr. *Folia Hebd. Aboëns.* a. 1785. n:o 11, ubi Edicta Regis Magni quaedam de Decimis ab incolis Finlandiae pendendis, leguntur. Lon-

pulos sacro suo imperio subjectos, ita etiam nostros majores, postquam ad Religionem Christianam amplectendam perducti fuissent, ad sacrum quoque hoc Decimarum accuratissime et religiosissime solvendarum officium praestandum, magna cura et diligentia permovere et adigere studuerunt; primo quidem modestius et blandius, ne gens ferox recalcitraret, et eadem hic tragoedia excitaretur, quae in vicina Dania nuper acta fuerat ³⁾; deinde imperiosius ac

gius vero adhuc progreditur ANTON. DE DOMINIS, *de Rep. Ecclesiast.* L. IX. C. 2 (cfr. THOMAS. l. c. p. 1134): „Qui, Praecepta, „inquit, de decimis cum non sint pure judicialia neque ceremonialia pro solo populo Judaeorum; sed sint moralia et juris „Divini naturalis a Deo comprobati et explicati; illa omnes homines perpetuo obligabunt de jure, quamvis de facto a solis „fidelibus Dei cognitionem habentibus illa serventur.“ Semina hujus doctrinae jam insunt GRATIANI *Decreto* P. II. Caus. XVI Quaest. I Can. LXVIII *Decimae*. Ridiculorum quorundam argumentorum e Scriptura S. petitorum exempla sistunt *Leges nostrae antiquae*: vid. *Cod. Christoph.* et *L. Upl. Kirk. Balk.* Cap. I init. *Leg. Suderm. Kirk. B.* Fl. I etc. Docet porro BRING l. c. quo usque jus illud dilataverint Pontificii. Vid. inprimis SARPIUS in *Tract. de Beneficiis*, apud THOMAS. l. c. p. 1140 sqq. Ac quod ad questionem attinet, de qua idem BRING l. c. p. 12 disputat contra PETRUM ABRAHAMSON (in *Notis ad Kg. B. LL.* p. 24, qui a STIERNHÖCKIO, dubie loquente, *de Jure Sveon. vet.* L. II P. Post. C. ult. p. 421 parum habet subsidii), mens ac intentio saltem fuit Pontificis indubia et perpetua, ut fructuum quorumcunque, etiam ex Hortis provenientium, Decimae religiose et diligenter solverentur. Quod vel ex Bulla patet Papae BENEDICTI XII in *Registro Eccles. Ab.* Fol. I servata, de qua cfr. *Fol. Hebd. Ab.* a. 1785 Append. p. 124 et D:ni Praesidis *Annot. ad Pauli Juusten Chronicon Episcoporum Finland.* p. 80, not. ¹⁰⁴⁾, p. 253, not. ⁷⁵⁾.

³⁾ Ubi Rex *Canutus* Svenonis, idem consilium acerbius urgens, a subditis suis rebellantibus interfectus fuit; ideo a Clero, pro ejus commodis martyrium passus fuerat, in numerum Sanctorum relatus. Vid. LAGERBRING *Svea Rikes Hist.* 2 Del. C. I, § 20 p. 27; et qui rem Legendae et Cleri Pontificii ingenio conformiter adornatam, exhibet, PONTOPPIDAN *Annal. Eccles. Dan.* Tom I Lib. I, C. 3, ad ann. 1086, p. 221 sqq. Etiam Rustici Scaniae, armis captis, onus decimarum pendendarum a se amovere conabantur, infelici licet eventu; cfr. LAGERBRING l.

vehementius: donec obsequiosissime tandem per totum regnum observaretur, ac severissimis legibus poenisque munitum coleretur ⁴).

§ II.

Vulgo traditur, (ex testimonio Appendicis ad Leges vet. Westrogothicas, seriem Episcoporum primorum Scarensium exhibentis, confirmato auctoritate Episc. BRYNOLPHI in *Chronico Episcoporum Scarens.* 1) eodem illo ex fonte magnam partem hausto), per *Jerpulverum*, XIII:m Episcopum Scarensensem, jus Decimarum pendendarum in Patria nostra fuisse, si non primo inductum, tamen lege solenniter denique firmatum et publica auctoritate munitum: quod igitur circa finem demum sec. XII aut initium sec. XIII factum fuisse, colligunt ²). Verum cum vetus auctor de Westro-

e. C. XI § 7 p. 249. Feroces seculi mores, magna sine dubio in culpa erant, cur in Religione propaganda ejusque urgendis officiis, adeo violenter sese et Reges et Ecclesiae doctores gererent: cujus rei atrocissima exempla Historia inprimis Norvegica exhibet. Cfr. BOTIN *Sv. Folkets Hist.* Ed. II Vol. I p. 272 sq.

⁴) Cfr. Literae, humanitatis plenae, ferocis alias illius Papae Gregorii VII, apud ÖRNHJÄLM *Hist. Eccles.* p. 331 (ex JOHANNIS MAGNI *Metropoli* p. 25 et VASTOVII *Vit. Aquilon.* Ed. Colon. p. 154); cfr. A CELSE *Apparatus ad Hist. Sveog.* p. 23, N. 3, et LAGERBRING l. c. C. II § 6. Postea autem, si ante diem Paschae quis decimas non solvisset, excommunicationis poenam incurrebat. Vid. *Legg. Christophor. et Upl. Kirk. Balk XII Cap. Leg. Westrog. K. B. XIV Fl.* etc. Singulare est, quod in Literis Episc. Scarensis *Brynolphi*, Legib. Westrogg. adnexis, mentione nulla facta excommunicationis, hujusmodi peccatoribus mulcta XVI Ortugorum irrogatur: num ad illam poenam haec accessit?

¹) Apud BENZELIUM *Monum. vet. Eccles. Sveog.* p. 74.

²) Cfr. LAGERBRING l. c. C. XI § 7, et inprimis not. 1). WILSKMAN (*Svea Rikes Eccl. Värk*, Art. *Tionde*) indubitanter asserit, hoc a. 1200 factum, et pro publico totius Regni decreto venditare videtur. Quod ad observationem attinet, quam ibidem inserit, de titulo ac dignitate *Senatorum Regni*, eodem jam tempore adhibito; suspicamur Episc. *Brynolphum*, qui vergente sec.

gothia sola, et non nisi de *Episcopali Decima* ibidem constituta, diserte loquatur ³⁾; lis adhuc sub iudice pendet, quo

XV et initio sec. XVI vixit (BENZELIUS l. c. Prol. p. XVIII sq.) ad sui forte aevi morem verba sua nimis conformasse? Unde et hanc legem in *Concilio Senatorum* ac *Optimatum* s. *Procerum* (*Herredag*) constitutam fuisse dicit, cum tamen in auctore vetere (Append. ad LL. Westrogg.), unde facti memoriam hausit, mentio fit *Comitiarum populi Westrogothici* (*Ting*), nec de *Senatoribus* aut *Senatus consulto* (moribus ac rationi ejus aevi minus adhuc congruo?) verbum ullum legatur. Cujusmodi cautio in aliis quoque nonnullis monumentis, res horum temporum tangentibus, erit fortasse necessaria? Caeterum de tempore quo per adoptatos in Senatum Regium Legiferos, potestas Legislatoria a Populo ad Optimates et ad Senatum transiit, cfr. praeclari nostri Historici (non usquequaque tamen concinentes) Nobb. LAGERBRING l. c. C. 10 § 2 et 3 (cf. C. 13 § 6 et 15), et BOTIN l. c. Vol. II C. 5 p. 168; quorum egregia diligentia et perspicacia, spicilegii tamen faciendi Antiquariorum criticorum industriae non omnem eripuit opportunitatem.

³⁾ „Han kum fyrsta sinni Tiunde af Bondom *Biskupi*, tha „fick han doma til a *Thing*i, fyrst tha thing hafdis oc hjolds „wider Askubäck.“ Putat quidem LAGERBRING, non potuisse *Decimam Episcopalem* a reliqua Decima (cui inclusa fuit) separari: sed quamdiu non ex necessitate, aut vi legis sancitae, sed ex benignitate quadam libera, genus quoddam decimae, neque plene neque forte ab omnibus, pendebatur; quidni fieri potuit, ut nonnisi Curatis suis, partem tantum ejus, (forte trientem?) more sensim per imitationem aliorum Christianorum adoptato, sponte darent? Quem morem et accuratius et plenius observari in sua Dioecesi, sede antiquissima Christianismi, saltem stabiliti, in Svecia, Episcopus, *lege interposita* curaverit, sibi etiam suisque successoribus, jure Canonico debitam partem (fortassis etiam tertias Eccelsiae ac pauperibus dandas?) nunc demum pietati Dioecesanorum eliciens? Aut num locus ille veteris auctoris omnino non agit de solenni et per leges Canonicas injuncta Decima, sed de illa a Westrogothis inter Sveciae incolas solis, Episcopo et Curato suo (inter eos aequaliter dividendo) sponte oblato Decimae genere, quod *Howodtiunde* vocabatur, (*Decima Capitalis*), quodque LOC-CENIO, in versione Literar. Episc. *Brynolphi* Legi Westrog. adjunctarum Dec. *Principalis*, in versione vero Legis Westrog. (de *Jure Eccles.* C. XXVIII) *Universalis* audit (ut et D: no IHRE, *Glossar. Sveog.* T. I p. 920, qui definitioni ejus addit, fuisse *decimo quovis anno pendendam?*). Hanc *Decimam*

tempore vel prima hujus moris apud nos recepti quasi semina sparsa sint, vel per universam ille patriam invaluerit? Quod sensim, nec ubivis simul contigisse, credas? Hoc saltem constat, hunc morem secundo seculi XIII decennio ita jam invaluisse, ut Papa *Gregorius IX* non dubitaret severis Literis, a. 1233 datis, excommunicationis poenam Ostrogöthis tergiversantibus minari ⁴⁾.

§ III.

Notum est, dispesci Decimas in *reales* sive *praediales*, et *personales*, solere; quarum has tam exacte in Svecia, ut

Capitalem etiam in provincia Bahusiensi (an per totam Norvegiam?) olim fuisse solutam, docet LAGERBRING l. c. C. XI § 7 not. ⁵⁾; unde fortassis exempli contagio ad Westrogothos pervenit? Rationem gravis sane hujus tributi, (ex omnibus bonis mobilibus, excepto frumento, pendendi), exhibet cum *Lex ipsa Westrog.* l. c. tum literae Episc. *Brynolphi* nuper commemoratae (qui tamen locus uterque, a *Loccenio* non optime versus, commentario indiget diligenti): quibus addi debet Bulla Papae *Honorii III* ad Episc. Scarensem (*Benedictum II* s. juniorem), data *Laterani III Nonas Novembris, Pontificatus anno quinto* (a. 1220, d. 3 Nov.) in Collectione Bullarum Papalium in Sveciam missarum, sed hactenus in patria incognitarum, *Fredenheimiana* reperiunda; quam egregiam Collectionem, ex Archivis Pontificis Romani accurate descriptam, Bibliothecae nostrae Academicae munifice nuper donavit perpetuus ejus benefactor Generosiss. Dn. FREDENHEIM, *Supremus Aedificior. Regionum Praefectus et Eques de Stella Polari*. Scribit autem Papa: - - - „Decimas in quibus Parrochiani tui secundum Canonicas sanctiones tibi tenentur, et aliam Decimam que dicitur Capitalis, ad quam solvendam se voto voluntarie obligarunt, sicut eas juste ac pacifice obtines, tibi et per te successoribus tuis auctoritate Apostolica confirmamus“ etc. Cfr. TEGEL *Hist. Gustavi I*, T. I, p. 189.

⁴⁾ Cfr. A CELSE l. c. p. 65 n. 14 et 17. Non putes verisimile, vel litteras illas *Gregorii VII* totque Pontificum et Episcoporum curas atque consilia, interim nihil prorsus effecisse, vel Clero nullos omnino per CC annos fuisse in Patria nostra redditus certos assignatos, ac imprimis Decimae pendendae morem nullibi obtinuisse, maxime in Westrogothia, Danis et Norvegis vicina, ac ad Christianismum mature conversa?

multis aliis locis solutas haud fuisse, constat. *Reales* illae partim ex frumento (tritico, secali, hordeo, avena) partim ex aliis terrae proventibus (pisis, fabis, rapis, olere, lupulo, lino, cannabi etc.) solvebantur ¹⁾. Quo etiam pertinebant, quae ex foetura animalium domesticorum (*Quicktionde*), nec non ex piscatura et venatu solvebantur ²⁾. *Personales* vero sunt, quae ex rebus proveniunt, quae sua ipsius solertia industriaeque, negotiatione, artificio, militia atque scientia quis sibi comparaverit ³⁾: quarum loco certam pecuniae summam, a Legibus definitam, homines etiam ruri habitantes, sed agros quos colerent nullos possidentes, apud nos pendere debebant. Praeter frugum decimam, reliqua omnis Curato cessit; paucis locis exceptis, de quibus infra commemorabitur ⁴⁾.

§ IV.

Distributio porro harum Decimarum varie olim apud veteres instituebatur. GRATIANI *Decretum* P. II *Caus.* XII, *Quaest.* II *Can.* XXVI *Concesso*, in quatuor partes dividi omnes redditus et oblationes fidelium jubet, ut ex his ejus verbis apparet: „Redditus et oblationes fidelium in quatuor „partes dividat: quarum unam Episcopus sibi ipsi retineat, „et alteram Clericis pro officiorum suorum sedulitate distri- „buat: fabricis tertiam: quartam pauperibus et peregrinis „habeat fideliter erogandam, quarum rationem divino est „redditurus examini“. In quibus verbis semina ejus, quae apud nostros olim majores in Decimarum distributione obtinuit, rationis, reperire non est difficile. Ejusdem tamen

1) THOMASIIUS l. c. p. 1139 sq.

2) Vid. STIERNHÖÖK l. c. p. 421 sq. ubi Decimarum realium genera, qualia apud nostrates pendebantur, diligenter recenset. Decimas ex venatu et piscatu ad personales refert LAGERBRING l. c. C. XI § 7, p. 429; minus accurate?

3) THOMASIIUS l. l. c. c.

4) Vid. *Legg. Christoph. Upl. et Westrog.* l. l. c. c. *Ostrog.* Kr. B. IX Fl. *Suderm.* K. B. 6 et 7 Fl. *Westm.* K. B. VI Fl. *Dal.* K. B. § 4, 5, 6; et *Hels.* K. B. VII Fl. Cfr. LAGERBRING l. c. C. XI § 7.

Decreti alius locus (*Caus. XVI, Quaest. I Can. LXII Constitutum*) *Episcopo, tam de oblationibus, quam de tributis ac frugibus, tertiam partem*; alius (*Caus. X Quaest. I Can. VIII Antiquos*) eidem *de his quae altario oblatione fidelium conferuntur medietatem, et medietatem secundi gradus Clero tribuere videtur: ita ut non semper eadem primitus ratio obtinuisse videatur?* Ac Dn. DU CANGE *Glossar. T. II voc. Decima* (p. 1334) „Tantum, inquit (de ratione distribuendarum Decimarum in Gallia primitus adhibita loquens), „mono, decimas ecclesiasticas in tres partes divisas, quarum „prima ad ornamentum ecclesiae, altera ad pauperes, tertia „ad sacerdotes spectabat“ (nulla hic Episcopi mentio fit!). Quomodo vero apud nos olim divisae fuerint, docent nobb. STIERNHÖÖK (l. c. p. 409) et LAGERBRING (l. c. C. XI § 7). Scilicet Decimae frumenti ita plerumque distributae sunt, ut triens Pastori s. *Curato* cederet; residuarum vero in tres partes rursus divisarum una *Episcopo*, altera ecclesiae, tertia Pauperibus¹⁾ tribueretur: hinc nota sunt nomina nostris solennia *Prästetionde, Biskopstionde, Kyrkotionde* et *Fattigtionde*; quarum tres posteriores, aerario Regis, post reformationem Religionis, dicatae, vocari jam sveverunt *Kronotionde* sive *Konungstionde*, atque etiam aliquando, voce crassius sumta, *Kyrkotionde*. Sed neque apud nostros eadem ubique valuit Decimas distribuendi ratio. *Lex Westrogothica* (K. B. Fl. XIV) diserte sciscit: „A akri skal tiunda „skipta ock aflata; taki Präster swa sum kyrkia är til „vigd²⁾. Sidan skal skipta i threr lötä, een a kyrkia, an-

¹⁾ Num haec Decimarum pars, in plerisque extra Patriam locis, sensim ab aliis illis accrescentibus circumrosa partibus, penitus tandem evanuit? Quae, ut alios taceamus, neque vicinis Danis erat in usu; apud quos, nonnisi inter Episcopum, Ecclesiam et Curatum tota Decimarum summa dividebatur: ut mox docebimus. Hinc Dn. DU CANGE l. c. quid sint *Decimae Pauperum* explicaturus, non aliis quam ex nostro SCHEFFERO (ad *Chron. Archiepiscopor. Upsal.*) petit utitur testimoniis. Cfr. tamen BÖHMERS *Jus Ecclesiast. Protestantium* L. III Tit. XXX § 32.

²⁾ Excidisse videtur verbum *Tridung*, quod et contextus postulat, et collatio locorum parallelorum, in aliis Legibus no-

„nan Biskuper, tridia wäslir män“: quibus verbis extremis unus codex, recentior tamen, notatu dignum hoc adjungit interpretamentum: „Thridi skal skipta i tu; en lot til spē-
„talsens, ock annan hawi bonde hemma medh sik, fatöka
„manna lot“. Ac in caeteris quoque Codicibus deinde mentio fit frumenti ad *Xenodochium* pertinentis (*spitalskorn*); ita ut pars hujus decimae instituto ejusmodi consecrata utique fuisse videatur ³⁾. Cum hoc scito Legis Westrogothicae

stris antiquis obvenientium, confirmat. Ultima verba *sva sum Kyrkia är tilvigd* mire interpretatur LOCCENIUS: *prout Ecclesia templumque ad eas consecratum est*; cum aperte sit sermo de *Sacerdote, qui consecratus fuerit ejus templi* (vel ecclesiae) *Curatus*. Nec LUNDIUS, vel in textu hujus capituli constituendo, vel in sensu explicando, satis diligenter versatus est. Inter alia, explicatio verborum *Faluskäppa* et *Faluköpungs*, in hoc capite occurrentium, a STIERNHJELMIO facta (in vocabulorum interpretatione, editioni suae Legis hujus adjecta), quam LUNDIUS etiam amplectitur, (nempe ut sit *portio frumenti, Episcopo quotannis Falucopiae pendenda*), nobis minime satisfacit. Illam enim ex portione *Pauperum*, domi apud rusticos servanda, hi decerpere debuisse videntur; nec *Praepositi* portione majorem fuisse, verba legis docent, atque a Decima Episcopi, longe uberiore, aperte distingvunt (pro ejus etiam detentione duplo major mulcta statutur); quod idem ex Epistola Episc. *Brynolphi*, saepius laudata, adhuc clarius patet, ubi sermo est de poena ejus, qui *af Biskupsins, eller Prästins eller Kyrkiunar, eller spitalsins, eller Provestar gift, eller Faluköpungs skäppu*, quid retinet. Quid autem rei fuerit, fatemur nondum nosmet scire; ac rem eruditis ejus regionis Antiquariis explicandam remittimus. Asserit Nob. LAGERBRING l. c. C. XIII § 21 p. 410, *Falcopiam* olim tanti factam fuisse, ut ejus urbis mensura publicae instar normae inservierit, omneque frumentum modio Falcopensi (*Faluskäppa*) fuerit metiendum. Argumenti loco ad *Leg. Westrog. Kyrk. B. Fl.* 20 provocat; ubi nihil tale habetur. An nostrum indicare voluit Caput (XIV)? Unde tamen parum praesidii illi asserto accedit.

³⁾ Qui in ejus Provinciae antiquas res studiosius inquirunt, explicent etiam nobis, si fieri potest, *Xenodochium* illud, ubinam fuerit? Nisi vetuissent verba *Brynolphi* nuper allata, suspicati fere fuisset, *Falucopiae* illud fuisse: aut num ibi aliud tale iis temporibus fuit institutum publicum? In universum antiquae nostrae Leges Provinciales (ac imprimis Westrogothica), quae ne-

concinunt *Lex Ostrogothica* (*Kristnu Balk, Flukk. IX § 1, 2 et 3*) *Sudermannica* (*Kirk. B. Fl. VI*), *Westmannica* (*Kr. B. Fl. VI*), et *Dalica* (*K. B. § 3*). Paulo aliam in *Helsingia* (hoc est *Norrlandia* nostra hodierna) Oeconomiae ratio, pro coeli et soli ingenio, agriculturae minus favente, diversa, decimandi rationem peperit. Igitur praeter consuetas *decimas praediales*, veteri regionis more dividendas, non modo decimam Curato *ex omni piscium et avium captura* (verbis utimur STIERNHÖÖKII l. c.), et *ex feris prostratis* debitam, ut *arnum ex alce vel urso*, Lex dari jussit; sed etiam Episcopo *decimum quintum* quemque *Salmonem, decimam quintam* quamque *libram Harengorum* (*Pund Sill* eller *Ströming*), tantundemque, ut videtur, ex *phocis* et *sciuris* captis, ejus decimae residua pars inter Curatum et Ecclesiam deinde dividi aequaliter debuit ⁴⁾. Quae explicantur, (ut et reliqua reddituum Curato debitorum ratio) disertius in *Statuto R. Birgeri pro Helsingis, de eorum decimis* etc. quod HADORPHIUS adjunxit Legibus antiquis Urbicis, (*Biärköa Rätten*), a se editis (Stockh. 1687 Fol.) p. 6 sq. Unde patet, triente *Curati* primum demto, tum alium trientem frumenti integrum *Pauperibus* fuisse tributum, ac tertium demum inter *Episcopum* et *Ecclesiam* divisum, ita ut utrique non nisi sextans cesserit: quae sine dubio caussa fuit, cur in partem etiam decimae ex animalibus, quasi compensationis loco, venerint? Decimae vero quas *Pontifici*

que criticam hactenus industriam satis accuratam expertae sunt, neque interpretem satis attentum et locupletem, pro rei dignitate repererunt, uberem adhuc fundum Antiquariis nostris, in quo colendo elaborent, messemque haud contemnendam colligant, offerre credimus.

⁴⁾ Verba *Legis Helsingicae* (K. B. VII Fl.) sunt: „Korn „tiund ok all annar aker tiund, göris äpti thy gamul sidwäna „hawer warit, ok skiptis samalund - - *Quick tiund* äller *smör- „malä* thet a praester ensamin, ok swa af *fughum* ok *diurum*, „ok *sma fiskum* allum, *bogh af Älghi* ok *Biörni* hwarium. Bi- „skuper taki *hwan fämptandi Lax, Sildapund*, swa ok af *Siäl „i Graskinum* (lege ok *Graskinum* h. e. et *ex pellibus sciuri- „nis*), ok Präster taki halft vidh Kirkiu“.

etiam *Romano* Helsingiae incolas pependisse reperimus ⁵⁾, quarumque in Legibus hujus Provinciae nulla mentio fit, unde et quo tempore ortum habuerint, quaque ratione solutae fuerint, expiscari hactenus non potuimus.

In iis Provinciis, quae Danorum subjectae olim erant imperio, eatenus diversa obtinuit ratio Decimas Ecclesiasticas distribuendi, quatenus *Pauperibus* nulla pars concedebatur, sed omnes mox trifariam, (inter Curatum, Episcopum et Ecclesiam) dividebantur. Demonstrat hoc *Jur. Eccles. Scanens.* § 23 (Ed. *Hadorphii*, p. 47); cfr. PONTOPPIDAN *Annal. Eccles. Danicae Diplom.* T. II. p. 893. Unde hodie quoque in iisdem provinciis eadem ratio dispescendi Decimas, scil. in Decimam (trientem) Pastoris (*Prästetionde*), Regalem (*Kronotionde*, quae ad Episcopum olim pertinens, aerario publico postea vindicata fuit) et Ecclesiae (*Kyrktionde*) remansit ⁶⁾.

§ V.

Ab eo more, qui in reliquis provinciis imperii Sveo-Gothici, quoad Decimarum distributionem obtinuit, eatenus olim abiisse reperimus *Gothlandos*, quatenus Episcopo plane praeterito, trifariam eas diviserunt, inter *Curatum*, *Ecclesiam* et *Pauperes*. *Lex Gothlandica* C. III § 2 habet: *Sognamenn aigü thrithiung, oc Kirchia thrithiung, oc thrithiung Prestr* (Trientem accipiant pauperes, et trientem Ecclesia, et trientem Sacerdos); ubi *Sognamenn* verendum esse *pauperes* (*fattige*), non ut absurde habet interpres Svecanus, *parochiani*, *Socknemän*, (quos haec Lex vocat *Kirchiümenn*), vel loci aliarum Legum Provincialium paralleli docere poterant ¹⁾. Illustrant rem plures

⁵⁾ Vid. LAGERBRING l. c. C. XIV § I p. 415 sq., inprimis not. 4), A CELSE l. c. p. 65 n. 13, et p. 121 n. 18. Utrum loco *Denarii S. Petri*, vel quo alio nomine elicita illis sint, intercedente scil. eorum aliquando consensu; hactenus non liquet.

⁶⁾ Cfr. WILSKMAN l. c. P. I Art. *Krono- och Kyrktionde*, p. 341 sq.

¹⁾ Observat etiam Nobiliss. IHRE *Glossar.* P. II, 695, vocem *Socken stüpem* quoque notare; unde *Soknedjäknar* (Scholares medicantes) et *gå Sökn*, derivat.

Bullae Papales, quibus antiqua consuetudo, postea etiam conventionem inter Episcopum Lincopensem *Carolus* (*Magni*) et Populum Gothlandiae, initio seculi XIII stabilita, confirmatur. Nempe *Honorii III*, d. 30 Jan. a. 1217, apud VASTOVIUM *Vitis Aquilon.* Ed. Colon p. 168 (cfr. A CELSE *Apparatus ad Hist. Sveogoth.* Sect. 1 Bullarii Romano Sveo Gothici Recensionem sistent. p. 55 N. 3, et p. 61 N. 27, nec non *Accessionis* ad Recensionem hanc Bullarii Celsianam, ex *Codice Fredenheimiano*, a D: no Praeside editae p. 6 N: o 3); et *Gregorii IX*, d. 21 Jan. a. 1230, (*Accession.* ejusd. p. 21 sq. N: o 2 commemorata), ubi legitur: *Cum ex antiqua consuetudine obtentum sit in Guthlandia, ut in tres partes dividerentur decime integre persoluite, quarum una deputaretur fabricae, secunda usibus Clericorum, tertia pauperibus eroganda, etc. et super hoc - - Lincopensis Episcopus loci Diocesanus moverit quaestionem; tandem, mediante Lundensi Archiepiscopo - - super his talis compositio intervenerit, quod in eodem statu earundem decimarum distributio permaneret, - - Nos ergo -, - compositionem ipsam - - auctoritate Apostolica confirmamus etc.*

§ VI.

In *Aboënsi* etiam Diocesi, sive in *Finlandia*, peculiaris usitata fuit Decimarum partitio. Scilicet tertia quidem pars, hic, ut ubique, cessit *Curato*; reliquae autem partes inter *Episcopum*, *Ecclesiam* parochialem, *sanctum Henricum* (hoc est, *Ecclesiam Cathedralē Aboënsē*) et *Pauperes*, (in quorum jus succedebant *Canonici*) dividebatur; ita ut *Secale* inter *Episcopum*, *Curatum* et *Ecclesiam* in tres aequales partes distribueretur, tertiae autem hujus partis quadrans (totius decimae uncia) pauperibus, seu postea *Canonici*, adsignaretur, reliquus *bessis* (totius decimae quadrans) partibus aequalibus inter *Ecclesiam Cathedralē* ¹⁾ et quam-

¹⁾ Quo tempore, aut ex quo fundamento, *Ecclesiae Cathedrali* hoc jus contigerit, nos latet. Mature autem, ante *Seculi XIII* medium, ei tributum fuisse, constat. Cfr. editae a Dn.

que parochialem divideretur, ita ut cuique octava pars totius decimae cederet. Decima vero *Hordei, Avenae, Tritici, Pisorum* et *Fabarum*, partim *Episcopo*, partim *Curato* tota tribuebatur²⁾. Sed non per totam tamen Finlandiam haec ratio valuit. Namque in *Nylandia* (atque ora maritima usque ad *Viburgum*) *Alandia* et *Ostrobotnia*³⁾, *Episcopo*, loco suae partis Decimarum, vi pacti antiqui *butyrum* solvebatur, quod *Nebbeskatt* (s. *Nebbeskattsmör*) audiit; nempe *annuatim una marcha butyri de quolibet capite, virilis vel muliebris sexus, septimum suae aetatis annum complente*⁴⁾. Unde decima frumenti⁵⁾ (et *secalis* et *hordei*) inter *Curatum* tantum et *Ecclesiam* dividebatur, ac quae huic cessit pars, inter *Canonicos, Ecclesiam Cathedralē*, et quaecunque *Parochialem*, modo supra nominato, rursus dispescebatur⁶⁾. In *Carelia* autem (ex simili pacto) de *quolibet fumo* (h. e. familia?) *duae bonae pelles sive Palke, Episcopo* erant pendendae⁷⁾; ac in *Tavastia* (itidem ex antiquo pacto), *quatuor pelles*, vel e *quolibet fumo*, vel a *quolibet homine adulto* (masculini saltim sexus?) *Episcopo* debebantur⁸⁾.

Praeside *Annotationes ad Juusteni Chronicon Episcoporum. Finland.* p. 221, 510, 512, 634 sq.

²⁾ Cfr. *Annott. ad Juusteni Chronicon.* p. 635 sq.

³⁾ Cf. l. c.

⁴⁾ Cfr. l. c. p. 185, 463 sq. 635 sq.

⁵⁾ Adeo obscure hanc rem vetus monumentum, l. c. p. 635 exhibitum, exponit, ut indubitate pronuntiare nequamus, utrum incolae horum locorum duas tantum partes decimae solvere necesse habuerint, *Episcopi* parte, *butyro*, atque in *Tavastia* et *Carelia pellibus*, illi solvendis, quasi redempta? Quod suggerere aequitas videtur. An, ob frumenti in his terris penuriam, ut integra tamen decima *Curato* et *Ecclesiae* solveretur, necessarium iudicatum, adeoque gravius his onus colonis, quam reliquis, impositum fuerit?

⁶⁾ Vid. *Annott. ad Juusteni Chron.* p. 635.

⁷⁾ L. c. p. 185.

⁸⁾ *Quatuor pelles a Tavastis*, veteri pacto, fuisse *Episcopo* datas, constat; quarum *quartam* cum *Magnus I*, miseria incolarum commotus, (qui crudeliter a Russis spoliati fuerant) illis quoad tempus remisisset, hi sibi in perpetuum hanc factam fuisse

Curatis vero et *Ecclesiae* in his locis, frumenti eo tempore minus feracibus, alia lege satisfiebat ⁹⁾).

§ VII.

Sed non ad illos solum usus, quibus primum destinatae fuerant, etiam vigente apud nos papismo, decimas adhibitae fuisse, reperimus. Interdum enim, non tamen facile sine venia Papae, nisi quis sese censurae objicere Ecclesiasticae vellet et gravi et periculosae ¹⁾, non tantum *Eccle-*

concessionem contententes, quartam illam pellem solvere postea renuebant: unde vehemens et diuturna lis orta fuit, quae tamen secundum Episcopum tandem fuit diremta. Cfr. l. c. p. 79, 164 sq. 189. Nempe ferarum frequentia decrescente, hoc tributum sibi gravius sensim fiebat. Non vero jam liquet, 1:o utrum *a quolibet arcu* (h. e. homine XV aetatis annum supergresso, qui igitur arcum tractare poterat, unde *Bogaman* audit) hoc tributum esset pendendum, ut docet AGRICOLA l. c. p. 635 sq. an de *quolibet fumo*, ut habent literae R. *Magni Ericii* (l. c. p. 185 sq.) de *Careliis*, quos tamen etiam pro *arcuum* numero pelles *Ecclesiae* expendisse, AGRICOLA l. c. (p. 635) adfirmat? 2:o Utrum pelles hae esse deberent vel *Ermineae* vel *Sciurinae*? *Hujus* quidem generis fuisse, quae *Ecclesiae* dabantur, AGRICOLA l. c. diserte indicat, (nisi *Groskin* idem valere existimes ac *Krok-skin*, h. e. ex quovis aratro, sive jugero, *krok*, expendendam?) et vel inde colligi posse videtur, quod pro numero arcuum (quorum usum in *Ermineis* capiendis nullus esse poterat) exigebantur. Sed contra pugnat, quod l. c. p. 464 docetur, in *Satacundia* olim Curato expendendas fuisse pro quovis aratro *Ecclesiastico* (*Prästekrok*, quod erat dimidio minus quam aratrum regium, *Konungs Krok*) duas pelles albas (*tv hvit skin*), et *Ecclesiae* item; in *Tavastia* vero ex quovis aratro Ecclesiastico unam pellem albam, cujus pretium aestimabatur *Orae* aequale (1 öre pengar), nimis magnum, si de pelle *Sciurina* ageretur!

⁹⁾ Ut et in *Ostrobotnia*. Cfr. de his rebus *Annott. ad Juusteni Chron.* p. 79, 185 sq., 188, 221 sq., 462 sq., 503. *Fol. Hebdomad. Aboëns.* A. 1784 N:o 11 et 12.

¹⁾ Exempla tamen hujusmodi audaciae neque apud nos omnino desunt. Quare non tantum in statutis *Skenningensibus* severe Episcopis prohibebatur, ne Laico decimas concederent (Vid. A. NETTELBLADT *Schwed. Biblioth.* II Stück p. 124; Cfr. A CELSE *Apparat. ad Hist. Sveo-Goth.* Sect. 1, p. 72, n. 19),

siasticis ²⁾, sed et *civilibus* quibusdam usibus *temporarie et extraordinarie* impendebantur. Sic non solum in subsidium *Belli* sic dicti *Sacri* a Summis Pontificibus pars earum colligebatur ³⁾, atque hoc praetextu ad alios quoque usus, non

sed Papa etiam Reges *Johannem I* et *Ericum Erici* graviter reprehendit, illum et Magnates suos, *quod quoties Ecclesiam Cathedrali vacare contigit, bona vacantis Ecclesiae apprehenderent, hunc, quod vacantibus iisdem Ecclesiis bona earum violenter usurparet et pro sua diriperet voluntate.* Vid. A CELSE l. c. p. 57, N. 10, et ACCESSION. ex Codice *Fredenheimiano* p. 18, N. 41.

²⁾ Sic aut venia Pontificis obtenta, aut sub spe rati, Episcopos reperimus interdum partem non tantum decimarum suarum, sed etiam *Ecclesiarum Parochialium*, ad *Fabricam* (ut loquebantur) *Ecclesiarum Cathedralium* adjuvandam impendisse. Cfr. A CELSE l. c. p. 69, N:o 8 et 10; p. 79 N. 24.

³⁾ Quantam vim pecuniae, quam assidue, et quam impudenter Pontifices, hoc praetextu, vel ex *Svecia* corraserint, discere licet ex iis quae habet Nobil. LAGERBRING *Svea Rikes Hist.* Tom. II Cap. XIV § 1 p. 415 sqq. Cap. XIX § 2, 3; p. 731 sqq. Cf. T. III, C. II, § 7, p. 172 sq. Cap. III, § 12, p. 148; C. VII, § 16, p. 589 et § 18 p. 595; Cap. VIII, § 8, 9, 10, p. 603 sqq. Cap. XI, § 4, p. 819 sqq. Cfr. A CELSE l. c. p. 85, N. 5; p. 88 sq. N. 2, p. 92, N. 4; p. 100, N. 19; p. 101, N. 2 et p. 102, N. 10; p. 109, N. 16 et p. 110, N. 18; p. 112, N. 24, 25, 26; p. 114, N. 35, 37, 38, 39, 41; p. 120 N. 9, 14, 18, 19; p. 125 N. 6, 7, 8; p. 133 sq. N. 6, 7, 8; p. 165 N. 8; p. 194 N. 2; ac si placet, *Annott. ad Justiniani Chronic.* p. 200 sq. Ex decreto Concilii *Lateranensis* (a. 1215) vicesimam partem *Ecclesiasticorum* proventuum per *triennum*, ad succursum terrae sanctae a Papa *Honorio III* fuisse exactam, ipse docet Nob. LAGERBRING l. c. § 3 et 6 p. 428; oblitus autem fuit, ad Literas provocare ejusdem Papae, Anno jam 1216, XI Kal. Dec. huc. missas (adeoque illis, quas affert superiores), apud *VASTOVIVM* legendas, *Vitis Aquilon.* Ed. Colon. p. 167 (Cfr. A CELSE l. c. p. 55 N. 2, qui tamen male *biennium* habet); quibus geminae sunt literae ejusdem *ad Archiepiscopum Lundensem et ejus Suffraganeos*, eadem de re datae, *Laterani* II Kal. Martii a Pontif. I (die 28 Febr. 1217), recensita in *Access. ad Bull. Cels.* p. 7 N. 6. Consilium porro *Lugdunense* II, et Papa *Gregorius X*, in eundem usum decimam omnium reddituum et proventuum *Ecclesiasticorum* per sex annos dari jussit; cujus vestigiis *Clemens V*, *Johannes XXII*, *Clemens*

semper honestissimos, ab iis magna licentia insumebantur ⁴⁾; sed etiam aliquando *Regibus* bella gerentibus, quae ad Religionis vel propagationem vel defensionem aliquo modo pertinere videbantur, a Papa concedi (non sine magna tamen cautione adhibita) solebant ⁵⁾. Quae notiora sunt, quam ut iis demonstrandis immorari nobis sit necesse.

VI, *Urbanus V*, *Gregorius XI*, *Johannes XXIII*, *Calixtus III*, strenue insistebant etc.

⁴⁾ Ut turpem taceamus abusum, quo ad luxuriam et foedas libidines, pecunias hasce Papae cum suis amicis profundeabant; vel usus, in quos illas sese colligere publice aliquando profitebantur, impudentiam eorum produnt: e. g. *Ad sublevandum Papam et Ecclesiam defendendam contra grassantes in Italia rebelles* (Cfr. A CELSE I. c. p. 112, N. 2); *in subsidium Regni Siciliae et terrarum Ecclesiasticae ditionis, guerrarum angustiis laceratarum*, „ob diuturnum Schisma“ et *Ladislai Dyrrachii violentiam, regnum illud praetendentis*, quare decima jubetur erogari omnium Ecclesiasticorum Proventuum per triennium, quae „exhaustae camerae Apostolicae“ (cui illam deberi, addere Papa non erubuit) provideatur. A CELSE I. c. p. 165 N. 8.

⁵⁾ Sic Regi Daniae *Erico V*, contra Estonos, paganos et barbaros expeditionem suscepturo, a. 1247 Papa *Innocentius VI* permisit, „ut tertiam decimarum partem fabricis Ecclesiarum „Lundensis Provinciae deputatam pro subsidio expensarum suarum in hujusmodi servitio Jesu Christi usque ad sex annorum „spatium obtineret; ita tamen, ut de ipsa decimarum tertia parte „pro dietis fabricis, sartatectis et luminibus, congrua Ecclesiis „portio relinqueretur, nec non pro solvendis debitis, quibus eadem Ecclesiae pro earum necessitatibus essent medio tempore „obligatae. Residuam partem per *Ecclesiasticas Personas*, collegi Archiepiscopus Lundensis facere debebat, Regique tradi, dummodo hic expeditionem dictam susciperet“. *Access. ad Bull. Celsian.* p. 39, N. 12. Similiter Rex Sveciae *Magnus Erics* bellum Russis (qui ut Schismatici, paganis non multo meliores habebantur) illaturus, non modo grandem pecuniam, quam exactores Papales in his terris corraserant, mutuo sumsit, de qua recuperanda severe deinde Pontifices egerunt (cfr. LAGERBRING I. c. T. III, Cap. VI, § 15 et 43, p. 373; C. VII, § 8, p. 557 sq. C. VIII § 2, p. 605 sq. A CELSE I. c. p. 125, N. 9; p. 127 N. 16 et 20; p. 128 N. 3 et 4; p. 130 N. 9; p. 135, N. 14; p. 136 N. 20) sed etiam a. 1326, dimidium decimae sexennalis, quam Papa praetextu Belli Sacri, a Clero Svecano

§ VIII.

Sed *perpetuis* quoque *usibus*, a primo earum exigendarum consilio alienis, *Ecclesiasticis* tamen, et Hierarchiae stabiliendae idoneis, sunt adhibitae. Ex decimis nempe redditus multis locis assignati sunt *Praelaturis* haud paucis, (Archipraepositurae, Archidiaconatui, etc.) atque aliis *Praebendis*. Cujusmodi institutis saepe confirmatio Papalis fuit comparata. Sic habemus Bullam *Innocentii* IV, qua donationem decimarum Episcopalium de *Slaka*, ab Episcopo Lincopensi *Laurentio*, Canonicatui suae Dioeceseos sexto assignatarum confirmat (A CELSE I. c. p. 70, N. 14). Sic *Alexander* IV confirmavit institutam ab *Erico* Rege et *Birgero* Jarl *Scholam Upsaliensem*, concessasque *Scholasticis et Studiosis* Decimas de Upsaliensi Provincia (ib. p. 74 N. 32), et *Adrianus* VI decimas, quas Episcopus Lincopensis *Praebendae S. Barbarae* addiderat (ib. p. 218 N. 18). Ac in Bulla *Pauli* II legitur: *Praepositi et Capituli Upsaliensis petitio continebat, quod olim in regno Sveciae, infra quod Ecclesia ipsa consistit, omnes fere Praelaturae et Canoniae ex decimis sunt fundatae* (I. c. p. 201 N. 5). Quare etiam *Innocentius* VII et *Gregorius* XII *Brynolpho* Episcopo Scaerensi permiserunt, Decimas suae Dioeceseos multifariam, sicut petierat, in usus Ecclesiae et ejus Ministrorum partiri (ib. p. 160, N. 3; p. 161 N. 1). Hinc *Hemmingus* Episc. Aboënsis, cum *Archipraeposituram* instituisset, inter alia commoda *Decimas novalium* illi adjudicavit¹⁾; et Episc. *Magnus* II *Archidiaconatum*, ab Antecessore suo *Berone* in Ecclesia Aboensi institutum, restaurans, *Decimas Episcopales* de antiqua *Nousis* eidem adsignavit²⁾. Sed maxime memorabilis fuit applicatio *Decimae Pauperum* per omnes Patriae Dioeceses ad *Canonicos* sustentandos. Ut enim extorserat, in expeditionis suae subsidium gratis accepit. Vid. LAGERBRING I. c. T. III, C. III § 29 p. 302; cf. A CELSE I. c. p. 109, N. 10, et p. 122 N. 19, 20, 25.

1) Vid. *Annot. ad Juust. Chron.* p. 209, Not. 3).

2) Vid. I. c. p. 408 sq. Not. 2³⁾.

nulla in re sagaciores fuerunt Papae, quam in modis atque rationibus Hierarchiae stabiliendae, operique huic quasi fastigium imponendi; ita hujus finis attingendi caussa, Cardinalis *Wilhelmus* Sabinensis, a Papa missus, in Concilio *Skenningsensi*, Anno 1248 celebrato, inter alia perfecit (quod antea quidem jam sensim inchoatum, tarde tamen processerat ³⁾, ut ad singulas Cathedrales Ecclesias *Collegia Canoniorum* instituerentur ⁴⁾. Quo decreto ab *Innocentio* IV, biennio post laete confirmato, Canonicis quaerenda erant subsidia vitae necessaria, nec parcae modo, sed etiam lautioris. In quem usum *Decimae pauperum*, consilio a primo fine eorum alienissimo, arreptae sunt ⁵⁾; adeo ut quae ad egestatem atque miseriam multorum sublevandam adhiberi debuissent, ad ignaviam et luxuriam paucorum alendam, potentiamque injustissimam et a voluntate Divina ac Civitatum salute maxime abhorrentem corroborandam, effunderentur. In *Upsaliensi* Dioecesi *Jarlerum* Archiepiscopum, (mortuum anno 1255, non diu post concilium supra commemoratum) ejusmodi Collegium instituisse constat ⁶⁾. In caeteris Dioecesibus, ut *Lincopensi*, *Scarensi*, *Aboënsi* etc. idem mos sensim invaluit ⁷⁾. Adeo ut, cum sic omnes *Decimae Pauperum* (ut in Aboënsi certe Dioecesi factum videtur) *Canonicis* essent impertitae, parum inde ipsis sit

³⁾ Episcopo *Lincopensi* anno jam 1232 Papa *Gregorius* IX veniam dederat *creandi Canonicos, quos Capitulum ejus nullos antea habuit, item aliarum etiam dignitatum personas pro Ecclesia Lincopensi*. A CELSE l. c. p. 65 N. 15; p. 69 N. 9.

⁴⁾ Vid. LAGERBRING l. c. T. II, C. XIV, § 7, p. 431, ubi tamen hanc tantam rem non nisi leviter et quasi in transcurso attigit. Cf. C. XIX, § 14 p. 771. — It. WILDE *Hist. Sveciae Pragm.* p. 389 et A CELSE l. c. p. 74 N. 34, 35, p. 78, N. 17.

⁵⁾ Vid. SCHEFFERI Not. ad Chron. Archiep. Ups. p. 37. A CELSE p. 201 N. 5.

⁶⁾ Edit. a SCHEFFERO *Chron. cit.* p. 19 et 37 et 117. A CELSE p. 65 N. 15, p. 74 N. 34 sq. Bulla Alexandri IV a. 1256, XI kal. Febr. in Collect. Fredenheimiana.

⁷⁾ Cfr. A CELSE l. c. p. 136 N. 19; p. 160 N. 3. *Annot. ad Juust. Chron.* p. 508—513.

Pauperibus relictum. Unde igitur his succurrebatur? Unde *Domibus Hospitalibus* subsidia praebebantur? Ex Eleemosynis sine dubio, et piorum Donis atque Testamentis? Quamquam partem etiam *Decimarum Pauperibus* primitus destinatarum, hujusmodi institutis, in Dioecesis saltem cultioribus atque ditioribus, fuisse fortassis tributam, credere queas? Sic, cum Scholae quoque Upsaliensi ex iisdem opis aliquid adfluxisse reperiamus, (Cfr. A CELSE l. c. p. 74, N. 32 et PERINGSKÖLD Monum. Upland. T. II, p. 235), non omnes certe Canonicis ejus Dioecesis (aliunde liberalius dotatis) cessisse, patet. Cfr. SCHEFFERUS l. c. p. 21, 31, et 116 sqq.

§ IX.

Suscepta tandem, tertio seculi XVI decennio, auspiciis R. *Gustavi*, etiam in Svecia Reformatione Religionis, Decimarum quoque adhibendarum ratio mutationem subiit insignem. Triens quidem qui antea Pastoribus Ecclesiarum cesserat, postea quoque iis relictus fuit ¹⁾. Reliquum vero bessem Aerario sensim vindicatum fuisse, Annales rerum eo aevo gestarum abunde testantur. Hujus mutationis initium factum esse in *Comitiis Stockholmiensibus* A. 1525, reperimus; ubi a Regni Consiliariis ceterisque proceribus convocatis decretum fuit, ut Decimae Ecclesiae (h. e. illa Decimarum pars, quae Ecclesiae *Parochiali* tribui solebat; num etiam portionum *Episcopi, Ecclesiae Cathedralis* et *Canonicorum*, sive Pauperum?) hoc anno ad Exercitum sustentandum totae quantae impenderentur ²⁾. Deinde anno sequente (1526) in *Comitiis Wadstenensibus* fuit constitutum, ut duae partes earundem decimarum (tertia pristino usui relicta) ad aes Civitatis alienum solvendum, impenderentur ³⁾: quibus tamen Decimis Rex, facta cum Episcopis

¹⁾ Vid. WILSKMANS *Ecclesiastique Värk* Art. *Tionde* p. 663.

²⁾ Vid. TEGEL K. *Gustaf I. Hist. I Del.* p. 103. Cfr. STIERNMAN *Riksd. och Mötens Beslut* T. 1 p. 35.

³⁾ TEGEL l. c. p. 115; STIERNMAN l. c. p. 39, unde ex *Epistola* (Episc. Lincop. *Johannis Brask?*) ad *Electum Aboen-*

Ecclesiarumque caeteris Praelatis ut et Canonicis Pactione, summam XV millium Marcarum pecuniae, per omnes Dioeceses colligendam, recepit. Tandem per Recessum Arosiensem, A. 1527 ab omnibus Regni ordinibus confirmatum, statutum fuit, ut posthac omnes Decimae *Episcoporum, Canonicorum, Ecclesiarumque tam Cathedralium quam Parochialium*, partim ad aes alienum, quo Respublica gravissimo obstricta erat, dissolvendum, partim ad alia onera publica sublevanda, postea in perpetuum aerario publico vindicarentur, certa modo summa, Regis iudicio definienda, Epi-

sem (Ericum Svenonis) haec verba, rei illustrandae causa (nec TEGELIO, nec CELSIO, nec DALINO, in *Historia Gustavi I* commemoratae) adferre placet: „Et cum nonnulli assererent D. Regem ad hoc - - ut a Clero totius Ecclesiae Svecanae peterentur duae partes fructuum et omnium reddituum eorundem per hunc annum, quemadmodum ante annum *duae partes Decimarum omnium Ecclesiarum Parochialium* in solutionem dictorum debitorum expetitae fuerunt; Dominis Electis Upsalensi, Scarensi et Strengpensi, ac nonnullis aliis Ecclesiarum Praelatis ac Canonicis, qui aderant, digesto negotio, integre magis visum fuit ex ipsa tota Ecclesia Svecana offerre unam contributionem pro hujusmodi debitorum solutione, *semel pro semper*, videlicet XV: m. marcharum, (non obstante, quod ipsa R. Majestas expeteret XXV:m.): ad quam tandem finaliter inventum fuit, ita quod ex ipsa V. Aboënsi Dioecesi per Capitulum et totum Clerum juxta V. Fr. moderationem solvantur tria millia in dicta summa XV:m. nulli assignanda ante ipsius summae totalem comportationem, absque quavis interpositione R. Maj. officialium. Reliquae XII:m. inter alias Dioeceses fuere proportionaliter distributae. Et quamvis dictae duae partes reddituum Clericorum ad tantam summam vix sufficerent; cautius tamen multis respectibus visum fuit hujusmodi summae insistere, quam reddituum descriptionem“ etc. (Cfr. *Annot. ad Juusteni Chronicon* p. 633—643, et p. 676 not. 6^a) „Ex his colligas: 1:o, neque trientem Curatorum fuisse ab ista mulcta liberam; 2:o Suspectam videri TEGELII narrationem (l. c. p. 115), quam reliqui deinde Historici R. Gustavi I repetierunt, de dolosis Episcoporum et Cleri consiliis, ad Decretum Comitiorum Wadstenensium eludendum initis: quae sc. narratio cum pactione de certa summa pecuniae Regi a Clero exhibenda, aegre consiliari queat.

scopis, *Canonicis* (quorum tamen officium, viris, qui illo nunc fungebantur, decedentibus, sensim erat abrogandum) et Ecclesiis permessa ⁴⁾. Quod decretum postea in Comitiiis Strengnesensibus a. 1529 repetitum atque stabilitum porro fuit ⁵⁾. Variis deinde usibus hae *Decimae*, inde jam *Publicae* (*Krono Tionde*) dictae, sunt insumtae; quos enumerare, et longum et a nostro proposito alienum foret. Quare haec sufficiant.

⁴⁾ TEGEL l. c. p. 168 sqq. et STIERNMAN l. c. p. 81 (cfr. p. 69, 77, 89, 90).

⁵⁾ TEGEL l. c. p. 252. STIERNMAN l. c. p. 96.

DE ANNO SUSCEPTI A REGE ERICO
SANCTO IMPERII ET EXPEDITIO-
NIS IN FENNIAM MOTAE.

DISSERTATIO

QUAM

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICO EXAMINI SUBJECIT

GUST. FRID. BOHM.

Aboae 1797.

DE ANNO SUSCEPTI A REGE ERICO
SANCTO IMPERII ET EXPEDITIO-
NIS IN FINNIAM NOTAE

DISSERTATIO

AVIA

PRÆSIDE

HERN. GARR. PORTMAN,

FORO LITÆRARI GURDIT

GEST. FRIB. BOHE

1797

§ I.

Quum non tantum primordia Religionis Christianae in Finlandiam introductae, et epocha hujus terrae regno Sveciae constanter subjectae, sed etiam initium omnis Historiae Fennicae certioris, distinctiorisque ab expeditione R. *Erici Sancti* in hanc regionem suscepta, sint arcessenda ¹⁾: magni esse momenti, nemo non videt, ut tempus memorabilis hujus eventus, quoad fieri possit, accurate investigetur ac definiatur. Verum tantis simul haec res circumsepta est difficultatibus, dubiis atque sententiarum discrepantia, ut aegerrime ad liquidum unquam perduci queat ²⁾. Tentandum tamen est, quousque in illa extricanda progredi liceat; et causae saltem dissensus eruditorum virorum, et tenebrarum quibus res premitur, indagandae atque expendendae. Quod quidem his pagellis, tirocinium aliquod impensaeque literis operae specimen edituri, conantes, probe intelligimus quam sit nobis B. L. indulgentia opus; unde eam juvenilibus his ausis, quo par est verborum honore expetimus.

§ II.

Tradit quidem JOHANNES MAGNUS ¹⁾, insignem adstipulatorum cohortem nactus ²⁾, Regem, comite S. *Henrico*,

¹⁾ Cfr. *Kongl. Witterhets Hist. och Antiquitets Academiens Handlingar*, IV Del. p. 2 seqq.

²⁾ Cfr. editum a D:no Praeside PAULI JUUSTEN *Chronicon Episcoporum. Finland. Annot. illustratum*, p. 10 seqq.

¹⁾ Vid. Ejusd. *Gothorum Sveonumque Hist.* L. XIX, C. III fine. Nempe cum initio a. 1151 S. *Henricum* caesum fuisse dicat; anno proxime superiori (1150) huc cum Rege advenerit, necesse est: post cujus abitum, non multis mensibus incolumem in Finlandia vixisse tradunt.

²⁾ Cfr. VASTOVIVS *Vitis Aquilon.* p. 67 Ed. Colon. et p. 65 *Benzel.* MESSENIUS *Chron. Episcoporum.* C. VII, in vita S.

anno jam 1150 in Fenniam trajecisse. Sed parum scite calculos ponit; quippe qui, eodem demum anno Sanctum Regem sceptris capessivisse simul asserens³⁾, non satis ei temporis ad reliqua peragenda opera egregia relinquit, quae ante susceptum bellum Fennicum praestitisse, vetus legenda testatur⁴⁾. Neque probabile putes, ante constitutas domi

Henrici, (cf. *Scand. Illustr.* T. XII p. 97; qui tamen sententiam mutavit); SCHEFFERUS *not. ad Vetus Chronicon de Archiepiscopis — Ecclesiae Upsaliensis*, a se editum, p. 3; alique. Nisi *Vastovium* eique fidentem *Schefferum*, qui S. Henricum a. 1150 occisum dicunt, expeditionem ad annum superiorem, 1149, retraxisse, putandum sit?

³⁾ L. c. C. I initio.

⁴⁾ Cfr. *Legenda S. Eriki in Breviariis nostris* occurrens; inter quam et ISRAELEM ERLANDI *de vita et miraculis S. Eriki, Sveciae Regis*, (a *Joh. Scheffero* editam notisque illustratam, Holmiae 1635, 8:o); tam manifesta arctaque intercedit cognatio, ut aut hunc illam verbotenus descripsisse, (atque passim amplificasse et auxisse), aut ex hujus opere illam fuisse excerptam, statuere necesse sit. Quorum prius illud verisimilius putes: quin enim diu ante *Israëlem*, qui seculi XIV initio scripsit, vita S. *Eriki* per omnes Ecclesias Svecicas, sacro memoriae ejus die, Populo praelecta (adeoque literis consignata) fuerit, dubitari haud potest. Sive igitur *vita illa S. Eriki* quam in *Historia sua Regni Sveciae LAGERBRING Codicis nomine Bildsteniani* (a superiore membranarum, quibus inscripta habetur, possessore, non dicam quam commode, ducta appellatione) laudat, a LANGEBEKIO Tomo IV operis egregii, quod *Scriptores* vocat *rerum Danicarum Medii aevi*, jam inserta (p. 597 seqq.), ex libello *Israëlis* sit translata atque contracta, sive hic inde Latine redditus et interpolatus; longe tamen vetustioris alicujus scriptoris fide praecipua ipsius Historiae momenta nituntur. Neque ego demonstrandum susceperim, Latinam illam quae *Israëli* vulgo tribuitur Sancti Regis Biographiam, illum vere Auctorem agnoscere; qui adjectam quidem de *Miraculis* ejus narrationem se conscripsisse prodit (p. 183 sq.), sed vitam ipsam praemissam, a se fuisse profectam, nullibi asserit; Quam igitur hujus aetate vetustiore habere licebit? Neque affirmaverim sese *Israëlem* prodere atque suum *Miraculis S. Eriki* libellum indigitare, cum p. 14 dicitur: „Reliqua vitae ejus, et translatio corporis“, (haec tria verba ex „Svetico exemplo absunt) ac miracula - - - quae hic ommissa „sunt brevitatis causa, alibi scripta sunt“. Quae quidem in

res, Regem (licet providentia aut cavendi diligentia singulari eminuisse, haud contendamus) expeditionem tam longinquam et difficilem suscepisse? ⁵⁾. Unde jam OLAVUS MAGNUS (*Johannis frater*) Bellum Fennicum in annum transfert 1155 ⁶⁾; MESSENIUM eatenus assentientem nactus, quatenus hic (a priori sententia decedens) annum eidem assignat 1154 ⁷⁾. Verum ipsam quoque illam traditionem, qua a. 1150 R. *Ericum* regno fuisse admotum perhibetur, multi gravesque Historiae Patriae auctores vehementer impugnant. Quorum qui agmen ducit Nob. ÖRNHJELMIUS, magno eruditionis acuminisque apparatu, veterem oppugnat famam ⁸⁾; neque minori rem eandem egit diligentia Cel. WILDE ⁹⁾. Quorum rationes adoptarunt Nobb. DALIN ¹⁰⁾ LAGERBRING ¹¹⁾ et BOTIN ¹²⁾. Ita ut penitus fere explosa jam vetus illa traditio judicari queat.

isto *Israelis* libello minime habentur, sed alium manifesto spectant librum, qui jam periit.

⁵⁾ In *Legenda* enim, et apud *Israëlem Erlandi*, (nam ab hoc vitam *S. Erici*, quam edidit *Schefferus*, morem communem secuti, interim appellabimus), p. 7 legitur: „*Postremo vero, aedificata ecclesia, ordinato regno, ad inimicos fidei et hostes populi sui manum convertens, — versus Finnonos expeditionem dirigit*“. — OLAUS tamen PETRI, in *Chronico* MS. disertis ait verbis: „*Samma år han nu Konung var vorden, tenkte han til „at förvidga Christi tro in i Finland; for förthenskul thit med itt „stort tal folk“ etc.*

⁶⁾ *Histor. de Gentibus Septentr.* L. IV. C. 18.

⁷⁾ *Scand. Illustr.* T. II p. 3; T. X p. 4; T. XV p. 26.

⁸⁾ *Histor. Svecorum Gothorumque Ecclesiast.* L. IV, C. IV, p. 452—460.

⁹⁾ Vid. ejus *Anmärkningar till Puffendorffs Inledning til Svenska Statens Hist.* II Del. C. 29, p. 545—564.

¹⁰⁾ *Svea Rikes Hist.* II Del. C. 3, § 5 seqq. et C. 4, § 3; ubi quod (p. 96) Svercherum a. 1151 obiisse legitur, erratum esse typographicum (pro 1155), putandum: cf. ib. p. 102, et LAGERBRING l. citand. p. 127 not. 1).

¹¹⁾ *Svea Rikes Hist.* II Del. C. V, § 7 et 12; C. VII § 1.

¹²⁾ *Svenska Folkets Hist.* 2 Band. p. 42 seqq. et p. 52 sq. Stockh. 1792 8:o).

§ III.

Caussam autem cur a veterum auctoritate recedendum sibi esse diligentissimi Historici censerent, hanc fuisse reperimus, quod *Ericum Sverchero* demum *Majori* successisse ponerent, quem totius Sveciae Gothiaeque fuisse Regem, nec ante a. 1155 decessisse, ex collatis inter se nostris Danorumque monumentis ¹⁾ collegerunt. Ac quod ad mortem quidem *Svercheri* attinet, eodem quo Nob. ÖRNHJELMIUS statuit anno illatam ei fuisse, salva veterum de *Erico* a. jam 1150 electo traditione, concedi potest; similiterque quae sibi cum Danis intercesserunt vel negotia vel bella, ut Gothorum Regem gessisse, asserere licet, si vel Svecos, senectutis suae imbecillitatisque pertaesos, interim alium sibi Regem elegerit, urgeamus. Quam rationem ineuntibus MESSENIUS viam munisse existimari potest; qui licet non nisi annum inter electionem *Erici* (1150) et mortem *Svercheri* (1151) intercessisse dicat, tamen hoc adhuc vivo Sveones, ejus imperio renuntiantes, *Ericum* sibi Regem delegisse, contendit ²⁾. Favet huic rationi, quod nulla supersunt vestigia rerum ab *Erico* in Gothicis provinciis gestarum; quem etiam comites belli contra Fennos gesti inprimis ex *Uplandia* (*Roslagia*) et *Helsingia* sibi adjunxisse, putant ³⁾. Neque omnes adhuc regni provincias firmo adeo fuisse vinculo conjunctas, ut uni eidemque Regi singulae semper paruerint, turbae illorum temporum, atque Regum *Magni* Danici (Nicolai F.), *Ragvaldi*, *Svercheri* ipsius filiique sui *Caroli* Hi-

¹⁾ *Danicas* quidem res hujus aevi egregie illustratas habemus in Scholiis JOHANNIS GRAMMII ad JOHANNIS MEURSI *Hist. Danicam* (Florent. 1746 Fol.) L. V.

²⁾ L. c. T. II p. 1; T. XII p. 97; T. XV p. 25. Cfr. ERICUS OLAI p. 45.

³⁾ Cfr. DALIN l. c. C. IV § 4, Annot. ad *Juusteni Chron. Episc. Finl.* p. 20 etc. Credi etiam potest, si Gothicis quoque Provinciis *Ericus* imperasset, hostis sui *Magni* molimina, atque cum exercitu adventum, si is terra advenit, non potuisse eum tam diu latere?

storia docere videtur. Praeterea *Svercherum* vigilantia curaque diligenti Regni sui tuendi atque vindicandi haud praestitisse, plura produnt indicia ⁴⁾.

§ IV.

Unum vero superest maximi momenti argumentum, ÖRNHJELMIO illud etiam debitum, quod conficere rem videtur: nempe Bulla ANASTASII IV Rom. Pontificis, *Carissimis in Christo filiis S. Regi et universis Proceribus Sveithiae* missa, dataque Laterani IV Kalend. Decemb. (d. 28 Novemb. 1153): in qua, cum et litera initialis S. non possit alium quam *Svercherum* Regem significare, et *universorum Sveithiae Procerum compellatio* nullum eo tempore nisi illum eundem Regem fasces in his terris imperii tenuisse prodere videatur, non potuisse *Ericum* illo adhuc anno, (multo minus ante biennium), solio fuisse Regio admotum, colligunt; praesertim cum probabile haud sit, Regem hunc Clero adeo addictum, in tanta re potuisse aut a *Cardinali Albanensi*, qui Romam ex his oris nuper redierat, aut a Papa praeteriri! Quamobrem maxime huic Bullae Papalis testimonio Nob. BOTIN (l. c. p. 31), merito nititur.

§ V.

In contrariae autem atque veteris sententiae praesidium, non modo omnium veterum *Legendarum* (et *Breviariorum*) consentiens testimonium, Regem *Ericum a. 1160, postquam decem annos regnasset, mortuum fuisse* docentium ¹⁾,

⁴⁾ Cfr. LAGERBRING l. c. C. V, § 1, 2, 3; C. VII § 1; C. VIII § 1.

¹⁾ Praeter vitam ejus quae *Israeli, Erlandi filio*, adscribitur; idem testatur *Codex LAGERBRINGII Bildstenianus*: in quo quod legi etiam posse *attonde are* (anno octavo) pro *a tionde are* (anno decimo) Vir Nobilissimus testatur, id neque linguae genio optime convenit, neque probabilitate lectionis externa commendatur, (aliis quippe omnibus Legendae hujus exemplaribus repugnantibus), nec tandem rem conficit; neque enim, si *Sver-*

sed *Annalium* quoque veterum quotquot de hac re commemorant, idem confirmantium auctoritas appellatur ²⁾: quos omnes in rebus narrandis Herois tanta veneratione per totum septentrionem culti ³⁾, neque admodum aetate eorum superioribus, nec cognitu difficilibus, adeo turpiter errasse, haud facile credas?

§ VI.

Hanc quidem plene conciliandam monumentorum pugnam in nos suscipere non audemus; sed tamen non sine omni verisimilitudine disputari posse credimus, *Erici* imperium (cui Sveones illud 1150 detulerant) adhuc recens (anno 1152) cum *Nicolaus* Cardinalis Albanensis ex Norvegia adveniens, *Svercheri* aulam visitaret, ab hoc et Gothico po-

cherus a. 1155 interfectus fuit, eique demum *Ericus* successit, hic, quem a. 1160 caesum esse constat, *octavo imperii sui anno* occubuit. Cfr. supra § II not. ⁴⁾. *Breviarium Arosiense* (Basil. 1513, 8:o), quod nobis ad manus est, in *vita S. Erici*, fol. 62, *Israëli* exacte consentit. Cfr. *Passionale Lubecense* apud LANGEBEK I. c. T. IV p. 599 seqq. et *Breviarium Lundense* ibid. p. 611.

²⁾ Vid. LAGERBRING I. c. C. VII § 4, not. ³⁾: a quo laudatorum *Annalium* quidam legi jam possunt apud LANGEBEK I. c. T. I p. 388, T. IV, p. 588, sq. Adde etiam apud eundem reperiundos *Annales Minorum Wisbyenses* T. I p. 252 et *Annales Bartholinianos*, ib. p. 341. Quibus praeterea adungere licet *Annales Dominicanorum Sigtunenses* (qui nondum typis editi, in S. Bibliotheca Stockholmensi asservantur) similiter habentes: *a. 1160 passus est S. Ericus Rex Sveciae in Upsalia, XV Kal. Junii, qui regnavit annis X, Hadriani pape III (III) anno quinto*. Consentiant *Chronicon Rhythmicum minus* (apud *Hadorphium* p. 11): Cfr. SCHEFFERUS not. in *Israëlis vitam S. Erici* p. 97 sq. Idem quoque urget ERICUS OLAI *Hist. Svecorum Gothorumque* L. II p. 45 (Ed. *Loccenii*); licet p. 47 pro a. MCL per vitium typographicum (quod cum in editionem *Messenii* irrepsisset, p. 98, *Loccenius*, valde negligenter editionem suam curans, corrigere neglexit) MCLX exstet, errore, et collatione loci praecedentis (p. 45), et mysticarum ineptiarum quibus p. 47 et 48 *Ericus* indulget, facileprehendendo.

³⁾ Cfr. LANGEBEK I. c. T. IV p. 591 sqq.

pulo ut justum et legitimum haud fuisse agnitum; adeoque Cardinalem, cui *Ericus* et adhaerentes sibi Sveones ut rebelles depicti erant, neque ad hunc iter continuasse ¹⁾, neque alium quam *Svercherum* (in quo singulare praeterea obsequium repererat) pro vero Sveciae rege habuisse? Quam eandem sententiam cum Papae quoque instillasset, mirum videri haud debet, si hic etiam ad *Svercherum* ut verum et solum totius Sveciae Regem, literas suas misit! Neque existimari potest, tanta adhuc fama pietatem *Erici* atque merita celebrata fuisse, quanta post mortem claruit; ex sanctitatis opinione sibi addita, in majus etiam sine dubio evecta. Atque ex eodem fonte caussa etiam idonea deduci potest, cur in Concilio illo quod Lincopiae habuisse Cardinalem Albanensem volunt, Sveonum Episcopi aut non adfuerint, aut cum Gothicis de sede Archiepiscopali communi deligenda non consenserint; si hujus quidem negotii tum agitati testis afferri queat fide dignior, quam *Saxo Grammaticus*, cujus auctoritatem magni faciendam haud esse, dudum observatum fuit? ²⁾ Nec difficile intellectu, nostra admissa hypothese, erit, cur *Sverchero* interfecto filius suus *Carolus* ab Ostrogothis, Sveonum consensu non exspectato, substitutus sit; nisi Sveones ob hunc, vivo adhuc patre, se non consultis successorem destinatum, offensos, hanc ipsam causam a Gothis discedendi Ericumque Regem eligendi habuisse, malis? Tenebris enim et dubiis has res haud levibus esse obvolutas, negari nequit ³⁾.

¹⁾ Sveciam enim proprie dictam adisse, non apparet; sed in Ostrogothia substituisse videtur, vel faventiora consiliis suis tempora exspectans, vel receptas a Gothis condiciones, facile ad Svecos quoque sensim transituras, satis praevidens.

²⁾ Hunc enim unum e veteribus, Historicos nostros testem citare hujus negotii Lincopiae tum agitati video; ut et relictus apud *Eskillum* Lundensem Pallii, Archiepiscopo Sveciae destinati. Quid si nullum aliud ille habuit hujus narrationis fundamentum, nisi quod convenire putaret, ut in Svecia Cardinalis idem faceret, quod in Norvegia fecerat? In Bulla certe Papae *Anastasi* nulla hujus negotii tentati mentio occurrit.

³⁾ Cfr. ERICUS OLAI l. c. p. 45 et 51; MESSENIUS l. c.

§ VII.

Licet autem anno jam 1150 R. *Ericum* Sceptra capessivisse vel maxime defenderis; expeditionem tamen suam Fennicam in eundem hunc annum incidisse, commode aut verisimiliter inde vix colligas. (Cfr. supra § II). Neque veterum auctoritate illa confirmari ratio potest; nam annum vel belli illius suscepti vel *S. Henrici* interfecti, (quem non diu post Regis ex Finlandia reditum, occisum esse, tradunt ¹⁾), legenda et Regis et Episcopi tacent ²⁾). Conjecturam itaque OLAVI MAGNI, Bellum Fennicum ad a. 1155 referentis, haud improbabilem ducas? Nisi adhuc serius contigisse existimes? Sane si ante adventum in Ostrogothiam

T. 1 p. 98; T. XV p. 25 (ad a. 1148). LAGERBRING l. c. C. VII, § 1.

¹⁾ *S. Henricum* a. 1151 (die 19 Januarii, qui ut dies *natalis*, h. e. per mortem in coelum translatus, postea quotannis celebrabatur), occisum esse, asserit JOHANNES MAGNUS l. c. C. 3; qui cum *S. Ericum* anno praecedenti, 1150, solium adscendisse, simul dicat, C. 61, (cujus igitur anni aestate in Fenniam trajecerit necesse est); non multos illum menses *Henrico* ad opus convertendorum Fennorum urgendum concedere, apparet. Quod igitur anno jam 1150 *Henricum* subiisse martyrium, apud VASTROVIUM (in vita *S. Henrici*, ad calcem, Ed. p. 67 Ed. Benz. p. 65) legitur, sphalma esse, putandum forsitan erit: nam ante *Ericum* regno admotum (quod 1150 maturius factum esse nemo unquam contendit) fieri haud potuit. Cfr. supra p. 278 not. ²⁾). Quid autem Nob. LAGERBRING secutus sit, cum l. c. C. VII § 4 conjiceret, *Henricum* anno forte post necem *Erici* interfectum fuisse, non intelligimus. Dicit VASTROVIUM annotasse, *Henricum* a. 1150 necatum; cujus rei hanc esse causam conjicit, quod R. *Ericus* a. 1151 adeoque anno serius, mortem fuisse passus putetur? Sed quis hoc unquam putavit? Non diu autem *Henricum* in Finlandia commoratum fuisse, (Episcopatus scil. sui aliis negotiis intermissis) facile credas: cum per ministros etiam inferiores conversioni Fennorum, non tam docendo quam cogendo peractae, (rebus modo hic in ordinem redactis) insistere, ipse ad sedem suam reversus, commode posset.

²⁾ Ut mos fuit illorum temporum, Chronologiam parum adhibendi.

Cardinalis Albanensis res haec tanta fuisset gesta, ac popularis suus *Henricus* ³⁾, *Episcopus Upsalensis*, in tam pio scilicet opere martyrium passus fuisset; et famam inde *Erico* natam celebriorem, et illos eventus attentionem *Cardinalis* excitaturos diligentiores fuisse, credas? Nullum praeterea alium, praeter primum illum, a Rege factum fuisse conatum legimus, vel novellae ecclesiae Fennicae contra vicinorum insultus barbarorum defendendae, atque armis ampliandae, vel caedis in *Episcopum* commissae ulciscendae: unde colligere queas, ad ultimos regni sui annos hunc eventum esse referendum? Quamquam existimare etiam possis, Fennos, clade nupera territos, infestare denno Svecos et neophytos haud fuisse ausos, nec dum conjungere vires, aut vicinorum sibi auxilia comparare valuisse; adeoque novae coloniae Svecicae res suas tranquille constituere permisisse; ad necem autem *Episcopi* vindicandam, a privato, qui Christianismo nomen dederat, commissam, satis virium atque auctoritatis in antistitibus coloniae hic locorum collocatae fuisse, (a quibus etiam in homicidam vindicatum esse, verisimile est, nisi huic per fugam justae sese poenae subducere contigit? ⁴⁾). Verbo, incerta haec manent

³⁾ Cfr. LAGERBRING l. c. C. XI § 9; cui licet lubentes largiamur, conjecturam ab *Olavo Petri* profectam, qua *Henricum* cum *Cardinali* demum *Albanensi* in *Sveciam* advenisse statuit, nullo vel argumento vel testimonio veterum firmari (*Ericus Olai* circa a. 1150, adeoque biennio ante, advenisse dicit, p. 48); tamen hoc ideo haud facimus, quod famosarum illarum *Annotationum ex scriptis Karoli Episcopi Arosiensis excerptarum* auctoritate quidquam moveamur: quas spurias commentitiasque esse, cum SCHEFFERUS (*de excerptis his annotationibus Judicium*, Ups. 1678; 8:o) et ÖRNHJELMIUS (*Hist. Eccles. L. IV C. 4 p. 474 sqq.*) ad oculum demonstrassent, miror et BENZELIUM (*Prolegom. ad Monum. Hist. Eccles. p. X seqq.* cujus ratiunculas haud difficile fuerit diluere) et LAGERBRINGIUM (l. c. C. I, § 17, not. ¹⁾, C. VI, § 1, not. ¹⁾, etc.) fidem iis tribuere potuisse!

⁴⁾ Quod enim de poena sua miraculosa, vel in *Legenda S. Henrici* vel in variis vulgi traditionibus perhibebatur, non magnam mereri fidem, facile videas. Cfr. LAGERBRING l. c. C. XI § 9.

omnia atque dubia ⁵⁾; quibus lucem affundere clariorem, per monumentorum defectum jam non licet.

⁵⁾ Multis igitur nominibus peccavit, qui (recentioribus his temporibus) parieti Templi *S. Mariae Rändämäkiensis* annum 1150 appinxit, quasi illo jam anno aedificati!

DE EXPEDITIONE JOHANNIS IMI SVERCHERIDAE, IN LIVONIAM.

DISSERTATIO

QUAM

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICO EXAMINI SUBMISIT

CAROLUS PET. LINDAHL.

Aboae 1798.

§ I.

Rem gravem ac arduam esse, munus Historici rite ornare, non solum ubi eloquentiae vim atqve egregie narrandi facultatem spectamus, quae (una cum ingenii sagacitate, locupleti rerum scientia et iudicii maturitate) in opere hujus generis praeclaro eminere debet, sed etiam ubi de condendo tantum corpore Historiae simplici, attamen vero, completo ac frugifero agitur; difficile non est ad iudicandum. Non enim diligentiae tantum, patientiae atqve laboris, sed etiam iudicii prudentiaeque plurimum postulat, multas et exquisitas litteras, multum candoris atqve constantiae. Atque rerum nostrae quidem Patriae scriptoribus tanto hoc officium est praestitu difficilius, quanto molestiore monumentorum laboramus penuria. Ut de rebus vetustissimis, dominante adhuc apud majores nostros ethnicismo gestis, nihil dicamus; scriptores fere rudes, qui medio, quod dicitur aevo, et tempore proxime illud subsequente, Gentium Europaeorum historiam condere conati sunt, annales rerum gestarum non modo jejunos (*Chronicorum* nomine vulgo notos), incomtos et mancos, sed neque ad veritatem semper compositos, posteritati tradiderunt: quorum tamen etiam ipsorum penuria Patriae nostrae Historia gravi admodum laborat. Spissis igitur eam circumfusam esse tenebris, mirum videri nequit: quibus qualitercunque discutiendis operam navaturo, non nisi ex fragmentis sparsis, saepe etiam repertu difficilibus et perlectu taediosis, colligenda materia est; in qua deinde examinanda, contendenda, concilianda, conjugenda, operosa prudensque ponenda est industria. Ac conquirendis quidem his subsidiis egregiam hodie praebet fa-

cem laudatissimum opus Warmholtzianum ¹⁾); sed neque illud adhuc integrum prodiisse, dolendum est. Vere autem dici potest, hactenus inde difficultatem Historicis nostris valde fuisse auctam, quod nec ipsos nosse fontes sine diuturna et pertinaci diligentia iis licuerit, multo minus eisdem adire crisi debita exploratos et perpurgatos, ut falsa a veris, certa ab incertis, facile fuerit discernere. Multum igitur abest, ut sine pertinaci, liberali et docta diligentia, in hoc studio versari feliciter liceat. Neque omnia adhuc monumenta ita excussa sunt, opesque imprimis in literis manuscriptis hodieque latentes in auxilium ita vocatae, ut praestandum nihil supersit. Magnam tamen imprimis gratiam debemus Illustris LAGERBRINGII industriae, qui in Historia mediæ aevi rimanda singularem posuit operam, et subsidia undique diligenter colligendo, et asserta scriptorum superiorum curatius examinando, utilissimam harum rerum studiosis opem attulit. Qui quamvis, quod exspectari ab homine non potest, nec exhaustire omnia, nec ab errore sibi ubique cavere posset; tamen benignam non uno nomine censuram, etiam ubi hallucinatur, Lectoris aequi meretur, diuque opus ejus praeclari instar recte habebitur penus: unde et opes nostras in hoc genere aestimare, et subsidia utiliter commodeque petere, deinceps liceat. Ad quod igitur sensim supplendum, defaecandum atque ornandum, non sine insigni fructu diu adhibebitur Historiae Studiosorum opera ²⁾), antequam de novo condendo ejus generis opere consilium sapienter capiatur, quod ad colligendi et examinandi diligentiam, stili etiam praeclaram laudem adjungat. Ad materiam igitur suscipiendi olim, a viro ei pari, tanti operis, aptandam, nos etiam, specimen litterarium edituri, pro exigua facultate, symbolam conferre conabimur, in fa-

¹⁾ *Bibliotheca Historica Sveo-Gothica* af CARL GUSTAF WARMHOLTZ. I—VII Del. Stockholm 1782—1793, 8:vo.

²⁾ Utili hujus generis exemplo praeivit Dissertationibus Academicis, se Praeside editis, Celeb. prof. FANT; inter quas ex professo hoc agitur in illis, quae *Animadversiones in Historiam Nob. Lagerbring* sistunt. Upsal. 1796, 1797. 4:o.

etum inqvirendo, qvod a superioribus Historiae Patriae scriptoribus adoptatum, Vir Illustris, ut spurium prorsus explodendum et ex Historia nostra eliminandum esse judicat ³⁾: Expeditionem loqvimur Regis Sveciae *Johannis I:mi, Svercheridae*, in Livoniam, initio seculi XIII, susceptam; de cujus quidem expeditionis veritate nondum esse conclamatum censemus, ceterum sententiam nostram aeqvo L. B. judicio submittentes.

§ II.

MESSENIUS, qvi in conqvirendis Veterum monumentis laudabilem collocaverat operam, adeoque dignus est, qvi de Historia nostra maxime meruisse recte censeatur, (qvamvis fontes suos non ubiqve indicaverit, nec satis religiose iis semper usus sit), hoc modo rem gestam narrat: „A. 1218 „*Johannes* Sveonum Rex, crebra laccessitus Esthonum incursionem, sicut etiam Christianae religionis et Sveticae dominationis propagandae stimulatus amore, modo Livoniam „impugnavit. Et Vichensibus subactis, Lealensem absentis „Hermanni praesulis arcem, violenter occupatam, suo milite „firmavit, huicqve subjugatae regionis defensionem, ast Carolo Lincopensium Episcopo, illic cum plurimis Sacerdotibus praesenti, conversionem Gentilium commendavit, et victor domum velificavit“. Deinde ad a. 1219 addit: „Interea temporis Vichiae et Oeseliae populus, de nupero *Johannis* in Sveciam reditu factus certior, illius in castro „praesidium Lealensi, adoritur, et hujus ductore, cum universis commilitonibus, Episcopoqve cum Presbyteris, ad interneccionem deletis, velut etiam arce funditus diruta, ad „idola convertitur“. (*Scand. Illustr.* T. II p. 24 cf. T. X p. 6). Qvae deinde T. XII p. 112 locupletius ornat, Regi etiam *Carolus* Ducis Birgeri I Germanum, Episcopi Lincopensis Patrum, et exercitus Archistrategum, inter alios regni proceres frequentissimos, comitem adjungens; qvem

³⁾ *Svea Rikes historia.* 2 Del. C. 12 § 21 et 22, p. 325 sqq.

praesidio (500 militum) castris Lealensis praefuisse dicit, hoc autem a. 1220 ab hostibus fuisse occupatum, et Svecos omnes ibi caesos. Observat porro, *RUSSOVIUM*¹⁾ male expeditionem ad a. 1208 retulisse, cum nostri annales doceant anno demum 1218 susceptam fuisse, et Lealensem eadem a. 1220 contigisse²⁾: locum porro, ad quem classis Svecica appulerit, rectius a *RUSSOVIO Rokel*, quam a nostris scriptoribus vel *Rotalum* vel *Rechalum* appellari notat; atque tandem observat, *nullum Chronographorum nostrorum hanc R. Johannis militiam usque perspicuo hactenus manifestasse eloquio*. Quae ultima ejus arripiens verba,

1) *Chronica der Provintz Lyfflandt, dörch Balthasar Rüssouwen*, (dialecto Germaniae inferioris) Rostochii a. 1578 4:o ed. ubi (fol. 8 v. et sq.) legitur: „Anno 1208 Alse Bischof „Herman van Leal na Riga an den Bischof Albrecht vorreiset „gewesen, is Köninck Johannes, de erste des namens, mit He- „reskrafft uth Schweden in Lyfflandt gekamen, unde hefft Bis- „schoppe unde Presters mit sick gebracht, welckere de heiden- „schen Eesten tho dem Christendome underrichten scholden. „Unde alse de Köninck tho Rokol angekamen was, hefft he si- „nen toch stracks up de Wyckeschen vorgenommen, unde hefft „thogelick dat Schlot Leal mit ingenamen, unde sinen Bischof „sambt etliken Prestern, dessgeliken einen Höuetman Carolum „mit 500 man darup gesettet, unde na der besettinge ys de „Köninck wedderrümme in Schweden geseget, unde hefft sinem „Voleke dat huss Leal ernstlick tho vorwarende beualen. Alse „nu de Köninck uth Lyfflandt weck getagen was, do hebben de „Oeselers unde Wyckschen datsülüige huss wedderrümme mit al- „ler macht belegert, unde mit vür beengstiget, unde alse de „Schweden tho den Vienden heruth gefallen werren, unde nicht „gemeinet, dat se starck syn scholden, sint se alle ummeringet „unde erschlagen worden. Darna hebben de Oeselers unde de „Wyckeschen dat huss gestormet, eräuert, unde den Bischof so „wol alse den Stadtholder Carolum, unde alle de darup gewe- „sen sint, erschlagen, unde darna dat huss vorbrandt, unde tho „nichte gemaket. Also sint de Düdeschen, so wol alse de Schwe- „den, des huses Leal, unde der gantzen Wyke wedderrümme „qwyt geworden.“

2) Ipse tamen in hoc anno definiendo fluctuat; quem enim hic 1218, et 1219 fuisse, T. II p. 24, T. X. p. 8 et T. XIII p. 68 contendit, eum 1220 T. XII p. 113 docet.

et dubia praeterea alia contra rem nectens, Nobil. LAGERBRING, fidem RUSSOVII spernendam prosus judicat, nullamque a R. *Johanne* talem susceptam fuisse expeditionem contendit: eas narrationis Messenianae partes, quas testibus non carere idoneis reperit, suo modo explicans atque adornans. Quod autem ad nostrorum scriptorum coaevorum de hac re silentium attinet, illud quidem ad eam explodendam parum valet. Rerum enim illius temporis tam parum locupletes aut diligentes habemus testes domesticos, ut nisi ex gentium finitimarum scriptoribus subinde contingeret defectus illorum supplere, plus quam manca et sterilis esset omnis nostra de fatiis Patriae, maximeque de rebus quae regnantibus alternatim familiis Ericidarum et Svercheridarum evenerunt, cognitio. Immo apud *Ericum Olai* et Auctores *Chronici Rhythnici minoris*, atque *Catalogi Regum Sveogothicorum* Legibus Westrogothicis adjecti, (qui tamen omnes tempore sunt recentiores), quam pauca de hac Historiae nostrae periodo afferuntur! Valde igitur lubrica est argumentatio, contra externorum scriptorum idoneorum fidem, ex nostrorum silentio ducta! Atque inter merita LAGERBRINGII de Historia nostra hoc etiam jure optimo refertur, quod aliunde saepe ea investigavit, et ex aliarum gentium monumentis illustravit, quibus parum lucis ex nostris comparari potuit. Ut vero de auctoritate *Russovianae* narrationis existimare tuto liceat, nulla rectior iniri via potest, quam si in fontem inquiramus, unde *Russovius* (scriptor seculi XVI) sua hauserit, quoque igitur fundamento fides suanatur? Quo facto, eam ab auctoritate pendere reperimus *testis coaevi*, magnae fidei, Auctoris nempe Anonymi, (quem *Henricum* Sacerdotem, natione *Lettum*, esse conjicit, qui *Chronicon* ejus *Livonicum* edidit JO. DAN. GRUBER³⁾), a quo haec res ita narratur: „Rex Sveciae Johannes, cum Duce „suo Carolo et Episcopis suis⁴⁾, collecto exercitu magno,

³⁾ *Origines Livoniae Sacrae et Civilis*. Francof. et Lips. 1740 fol. Vid. Praef. p. II sqq.

⁴⁾ Legendum esse *Episcopo suo*, sequentia satis evincunt. An tali mendo (si exemplum hujus Chronici oculis usurpasse

„venit in Rotaliam, cupiens aliquas partes in Estonia ac
 „dominatum adipisci. Et resedit in castro Lealensi, ad
 „quod erat Episcopus Hermannus, frater Episcopi Livonien-
 „sis, a Domino Papa confirmatus, eo quod eadem provincia
 „fuerat quondam a Rigensibus expugnata, et fidei rudimen-
 „tis initiata. Et intraverunt Sveci per provinciam, docentes
 „et baptizantes ex iis, et ecclesias aedificantes. Et perve-
 „nerunt ad Danos in Revele, colloquentes cum eis. Mise-
 „runt quoque Rigenses nuntios ad eos, dicentes, ipsas pro-
 „vincias a suis ad fidem Christianam subjugatas, munien-
 „tes etiam ipsos, ne dolosis verbis Estonum perfidorum ni-
 „mium confidentes, minorem circa se custodiam adhiberent.
 „Rex autem idem locatis in castro viris suis scil. Lealensi,
 „cum Duce Carolo et Episcopo, reversus est in Sveciam.
 „Et cum esset eis ex altera parte Livonia, et ex altera
 „parte Dani, ipsi quoque in medio constituti, minorem de
 „paganis timorem habere coeperunt. Et factum est in uno
 „dierum, apparente primo diei diluculo, venerunt Osilien-
 „ses de mari cum exercitu magno, et obsidentes eosdem
 „Svecos, pugnaverunt cum iis, et ignem apposuerunt ad
 „castrum eorum. Et exiverunt Sveci ad eos, dimicantes
 „cum eis, et non valuerunt tantae resistere multitudini. Et
 „ceciderunt Sveci interfecti ab eis, et captum est castrum,
 „et Dux cecidit. Et Episcopus per ignem et gladium inter-
 „fectus est, et in martyrum consortium commigravit⁵⁾.
 Hinc facili negotio discitur, RUSSOVIVM Auctorem idoneum
 secutum; nec illius, sed hujus auctoritate, narrationem suam
 esse aestimandam. Qvem scriptorem, diligentem sane et
 sincerum, quomodo rem, sub oculis fere suis gestam, falso
 enarrasse existimabimus, aut ignorare potuisse, an Rex Sve-
 ciae (de cujus et *adventu* et *abitu* commemorat) ipse Li-
 voniam adierit? Praesertim cum plures ab eo traditae even-

credendus sit? deceptum fuisse existimabimus auctorem *Chronici
 Episcoporum Lincopensium Rhythmici* (quo de infra), qui cum
 Duce Carolo *plures Episcopos* occubuisse dicit? Cfr. LAGER-
 BRING l. c. Not. ³⁾ p. 328.

⁵⁾ L. c. p. 144 sqq.

tus hujus, a se accurate explicati, partes, nostrorum etiam Chronographorum testimonio confirmentur⁶⁾. Cum haud ignotum Nobilissimo LAGERBRING hunc scriptorem fuisse (aliqvoties ab eo laudatum) sciamus⁷⁾; potius oblitum fuisse eundem hoc etiam loco attente consulere, qvam fidem ejus in dubium vocasse, par est, ut credamus. Unde tali teste confirmata res, levibus dubiis aut difficultatibus objectis, non est mox rejicienda: qvam itaqve Nobil. BOTIN in recentissima etiam Historiae suae editione adoptare et exornare non dubitavit⁸⁾.

§ III.

Nec interna probabilitate haec narratio destituitur. Cum enim Estonas, adjunctis forte, ut saepe alias, Ingris

⁶⁾ Docet ipse Nobil. LAGERBRING, non solum ERICUM OLAI (Ed. Locc. p. 56) *sed et vetera Chronica* apud BENZELIUM (*Monum. Histor. Eccles.* p. 15) et CELSIUM (ed. Ups. 1705, p. 4 cf. p. 46 sq. ac recus. in LANGEBEKII *Script. rer. Danicar.* vid. T. IV p. 593) summo consensu testari, *Carohum* Episcopum Lincopensem et *Carohum* Ducem a. 1220 occisos esse (*VI Idus Aug.* apud *Rotahum* vel *Rotala* a paganis); qvam vero idem Chronicon Benzelianum, eodem loco prodit anno praecedente 1219 susceptam fuisse, *Expeditionem ad Esthoniã*, Danicam illam *R. Waldemari* esse, num omni omnino caret dubio? Eandem porro rem confirmat quoque *Chronicon Episcoporum Lincopensium Rhythmicum* a BENZELIO (l. c.) exhibitum (vid. p. 119). Dici igitur accurate neqvit, scriptores nostros veteres hanc Expeditionem prorsus silere.

⁷⁾ Non tamen ipsum opus Latinum, sed interpretationem *Arndtii* Germanicam consuluisse, vel illud allegandi modus minus commodus, a viro Nobil. adhibitus: *Gruber Origines Livoniae sacrae et Civilis utgifna af Joh. Gotf. Arndt*, prodere videtur.

⁸⁾ *Svenska Folkets Historia* T. II Period. V C. II p. 96 sq. Rationes tamen nonnullas ab eo probatas, adoptare haud possumus: qvi nec Bullam Papae Honorii III huc trahere audemus (cf. a CELSE *Apparat. ad Hist. Sveo-Goth.* Sect. I p. 55 N:o 1), potius Alexandri III illam, cum LAGERBRINGIO (l. c. p. 326) huc qvadrare putantes (cf. CELSE l. c. p. 35 N:o 1), nec ex loco SPEGELII citato quidqvam bonae frugis elici posse puta-

ac Russis, crebris incursionibus Sveciae lacessissent oras ¹⁾, et paganismo adhuc essent addicti; non modo licitum habebatur, sed opus etiam meritorium censebatur, bello eos persequi, et ad Christianam amplectendam religionem cogere: quo perficiendo opere, non modo Teutones, qui Livoniam et Lettiam invaserant, atque Riga condita, perpetuo bello infestabant, sed etiam Dani, Estoniam hoc tempore magnis opibus aggredientes, et Revalia aedificata ditionem suam magis magisque proferentes, desudabant. Unde verisimile est, Svecos, et patrii moris memoria, et recentibus his exemplis excitatos, et atrocibus praeterea injuriis provocatos, otiosos omnino spectatores horum moliminum haud fuisse. Quod etiam exemplum confirmat a Nob. LAGERBRING ipso p. 327 allatum, Ducis Svecorum (quem *Birgerum Brosa* fuisse putat), qui suppetias *Meinhardo* primo Livonum Episcopo contra paganos allaturus, excensionem in Wironiam fecerat ²⁾. Nec sine caussa putes, caedem *Johannis Jarli* in Askanäs, et Regem et Optimates Regni praecipuos co-

mus. Scribit nempe hic *Benedictum (Johannem) Hyrne*, Episcopum Scarensem (quem 1201 consecratum ac a. 1205 mortuum fuisse, docet RHYZELIUS *Episcoposc.* P. 1 p. 168 sq!) nomen suum a. 1319 apposuisse scripto, omnium civium querelam de tributis intolerabilibus sibi impositis exhibenti (eidem, sine dubio, quod legitur apud HADORPHIUM, *Append. ad Chron. Rhythm.* p. II sq). Unde patet, eum cum hoc Episcopo confudisse alium (*Benedictum III*) seculo juniorem. Ex cujusmodi argumentis ac testibus, exiguus sane fructus est exspectandus.

¹⁾ Vid. LAGERBRING l. c. et C. 9 § 5 et BOTIN l. c. p. 76 sq. et p. 96. Singularem autem LAGERBRINGII rationem habeas, qui post a. 1188, quo Sigtuna ab Estonibus destructa fuit, nullum eorum exercitum instructum (ordentelig frigshär), sed manus tantum praedatorias, oram Svecicam infestasse! Quasi illae quae a. 1188 Sveciam invadebant copiae, praedatoriae non fuissent: quae nunc pauciores, nunc numerosiores erant!

²⁾ Cfr. GRUBERI *Chronicon* cit. p. 9 sq. ad a. 1196. Ac licet neque hujus expeditionis mentio ulla a scriptoribus fiat nostratibus, tamen eam pro vera habere Vir Nobilissimus non dubitat.

gnatione contingentis, ad expeditionem hujusmodi suscipiendam eos vehementius impulisse.

§ IV.

Qvamvis igitur allatis testimoniis atqve rationibus, rei veritatem satis confirmari, credere possis; tamen invenit Nobil. LAGERBRING objectiones, quae non sine magna specie contra afferri queant. Primum in anno indicando RUSSOVIVM (qvi a. 1208 habet), hallucinatum fuisse, post MESSENIUM (*Scand. T. XIII p. 68 Not. 579*) recte observat; quo anno nec dum solium R. *Johannes* ascenderat. Erratum autem in RUSSOVII libro esse suspicamur typographicum, nempe 1208 pro 1218; quamvis neque hunc annum esse verum docuerit MESSENIUS l. c. et GRUBERI *Chronicon* a. 1219 recte habeat. Ita ut hinc quidem nihil difficultatis oriatur. Quod praeterea ad literas attinet, quibus a. 1219 Ducem *Carolus*, et a. 1220 Episcopum *Carolus* domi subscripsisse Nob. LAGERBRING docet ¹⁾, diem quidem et mensem earum datarum non indicat, ac forte diligentius adhuc inspicere et examinari fides illarum meretur; sed assumi interim potest, priores illas ante susceptam expeditionem Estonicam esse exaratas, ac Ducem vere anni 1220 Sveciam invisisse, sed Estoniam rursus repetiisse? Nam neque ipse Vir Nobilissimus contra fidem veterum Chronicorum negare audet, et Episcopum et Ducem hoc anno fuisse a paganis occisos. Quae autem de loco ipso, ubi mortem invenerunt, disputat, ea nullo modo probari posse, putamus. Verum quidem est, illud a RUSSOVIO scribi *Rokel* (vel *Rokol*) et ab auctore *Chronici Rhythmici Episcoporum Lincopensium* (supra commemorati) *Rekalum* (vel ut BENZELIUS, Not. ad *Vastovii Vitem Aquilon.* a se editam habet, p. 59, *Rokalum*); sed quis non

¹⁾ Dux nempe *Carolus* an. 1219 testis subscripsit epistolae de piscatu quodam *Sketunae*, monasterio *Nydalensi* addicto, et Episcopus *Carolus* a. 1220 nomine suo praesens munivit epistolam, qua R. *Johannes* monasterio *Risabergensi Sveabot* donabat.

videt, corrupta haec esse a nomine *Rotala*, *Rotalia* et *Rotalum* (cas. sc. plural.), quam scripturam non modo ERICUS OLAI et *Chronicon* CELSII, sed etiam GRUBERI Anonymus exhibent: quorum consensus (cum hic simul, cladem in *Vichia Estoniae* contigisse, locumque talem ibi haberi expresse et indubitanter asserat), rem extra controversiam ponit²⁾. Unde enim scriptori Letto et nomen loci in Svecia, et fatum utriusque *Caroli*, alias innotuisset? aut quae ex causa ille, rei gestae scenam, cum omnibus suis circumstantiis relatae, potuisset in Estoniam, ubi tum ipse vixit, temere transferre? Quomodo, nisi falsa studio commentum esse dicas, potuit de colloquiis et negotiis Danos inter, Revaliam possidentes, Rigenses, et Svecanum exercitum intercedentibus, commemorare? Valde igitur a veri similitudine abhorret, cladem Ducis atque Episcopi in ora vel Roslagiae, vel lacus Maeleri, contigisse: quae non modo conjectura est gratis allata, sed etiam veteri famae et monumentis idoneis contraria. Neque fidem narrationis veteris minuit, quod Auctor *Chronici Episcoporum Lincopensium* dicit Episcopum *Carolum* interfectum fuisse a *Russis*, ERICUS autem OLAI a *paganis*. Notum enim est, *Estones* cum *Russis*, (quibus saepe societate conjuncti, aliquando subjecti erant), in monumentis nostris vetustis haud raro confundi, et hos (*Russos*), licet religioni Christianae, confessionis Graecae, nomine saltim tenus, addictos, a nostris tamen, utpote barbaros, habitos fuisse paganis parum meliores: unde etiam adversarii Regis *Caroli Canutii* magnae

²⁾ HUPÉL *Topograph. Nachrichten von Lief- und Ehstland*, 1 B. C. II. *Abschn.* IV p. 387 scribit: „Rötél oder Marien Magdalenen (Paroecia scil.), Ehstnisch Riddali Kirrck. Die „vormalige sehr alte Stadt *Rotula* oder *Rotalien*, von welcher „man noch kleine spuren hier findet, hat einen grossen district, „ja beynahe der ganzen Wiek den Namen *Rotalien* gegeben“, et alio loco (C. 1 *Abschn.* 1 p. 78) adhuc accuratius observat, *Rotaliam*, regionem fuisse *Vikiae*, ubi Urbs *Rotula* olim sita fuerit, cujus vestigia in paroecia *Rötél* supersint. Cfr. GRUBER l. c. p. 96 Not. b). Frustra igitur haec *Rotalia* alibi, ac maxime in Svecia, quaeritur.

ei infamiae vertebant, quod Praefecti sui minati fuissent, se arces Finlandiae potius *Russis et Paganis (Rytzen och Hedninge)*, quam civibus suis rebellibus tradituros. (Apud HVITFELDIUM *Danmarckis Rigis Chrönicke* p. 868). Neque aetatem Regis obstitisse putamus, quominus expeditioni et gloriosae, ut putabatur, et religiosae simul, comitem semet ipse adjungeret, nomine suo atque praesentia majorem ei solennitatem et successum comparaturus: licet forte progressuum splendidiorum spe, inter rivales Danos et Teutones inclusus (qui meliorem jam sibi vindicaverant terrae partem) cito amissa, domum mox repeteret, Duci et Episcopo cura regionis et arcis occupatae defendendae commissa, qui (anno seqvente?) hostibus numero longe superioribus misere succubuerunt³).

³) Si locus *Chronici Gruberiani* corruptus non est, (quod suspicandi ansam praebet ordo verborum turbatus: *locatis in castro viris suis, scil. Lealensi* etc.); tamen ambiguitate laborat, adeo ut Regem vel *locasse in castro viros suos cum Duce Carolo et Episcopo*, vel *cum Duce et Episcopo reversum esse in Sveciam*, interpretari queas. Sed cum mox addatur, et Ducem et Episcopum fuisse ibidem, castro capto, ab Osiliensibus interceptos, prior explicatio praeferenda foret, nisi et Episcopum a. 1219 in Svecia praesentem fuisse, laudatae a Nob. LAGERBRING litterae docerent, et anno demum seqvente (1220) eum cum Duce *Carolo* interiisse, alia monumenta testarentur: unde probabile habeas, eosdem cum Rege mox reversos, postea rursus Estoniam repetiisse, ibique mortem invenisse?

**OBSERVATIONES NONNULLAE
DE DIGNITATE JARLORUM IN SVECIA.**

DISSERTATIO

QUAM

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICO EXAMINI SUBMISIT

ERICUS JOH. FROSTERUS.

Aboae 1798.

§ I.

Ut *Jarlorum* ¹⁾ dignitatem in Regnis Septentrionalibus olim fuisse constat praecipuam; ita non eadem semper potestate nomen hoc fuisse adhibitum, nec vel auctoritatem vel officia, huic dignitati adjuncta, iisdem semper fuisse limitibus definita, doceri facile potest. Aliquando enim non tam Magistratum aliquem in Civitate praecipuum, quam honorem generis insignem (qualis Regum aliorumque virorum Principum proximis tribuebatur cognatis), hanc appellationem indigitasse, reperimus ²⁾. Praefectis porro Provinciarum supremis, qui easdem Regis loco gubernarent, hoc nomen datum fuisse novimus; ac summo tandem, post Regem, totius Reipublicae administratori, soli adhaesisse, constat. De quo quidem genere utroque (quatenus in patria olim floruit) non

¹⁾ De etymo hujus vocis, ut et ejus potestate, cfr. Nob. IHRE *Glossar. Sviog.* voc. *Jarl*: a quo vere disputari putamus, hoc nomen ex Anglia ad Norvegos atque nostros majores transiisse, ac apud veteres, cum regionis alicujus Praesidem significaret, Latine *Comitem* fuisse vulgo conversum; uti cum totius regni proximum a Rege administratorem denotaret, *Ducis* appellationem ei plerumque respondisse constat. Cfr. Nob. BOTIN *Svenska Folkets Hist.* II Band. (IV Tidehv.) C. V p. 173.

²⁾ Cfr. Nob. IHRE l. c. It. STURLESON *Hist. Reg. Norveg.* (in *Hist. Haraldī Pulcrīcomi* C. 35, ac per totum opus passim). Plura sane docent exempla, hanc dignitatem, in nonnullis saltem familiis, mature factam fuisse (tam in Svecia, quam Norvegia) haereditariam (unde formula *vara Jarlboren*); atque viros illustres, nullis licet provinciis regendis praefectos, hinc *Jarlorum* tamen nomen gessisse reperimus: quod ex. gr. de filiis celeberrimi illius *Ragvaldi Jarli* observat (ex. STURLONIDE, *Hist. Olavi Sancti* C. 95) Nob. LAGERBRING *Svea Rikes Hist.* P. I C. X § 7, p. 378.

satis diligenter a rerum nostrarum antiquarum scriptoribus semper distincto, pauca disputare, bona (ut speramus) L. C. venia, his pagellis instituimus.

§ II.

Qvam vetus, imprimis qvatenus Praesides provinciarum indigiteret, nomen *Jarlorum* in Svecia fuerit, facile non est investigatu. Tempora tamen *Ingialdi Illråda* attingere, doceri vix qveat? qvamvis hunc per constitutos, loco Regulorum perfide occisorum, Gubernatores Provinciarum, has regere instituisse, valde sit probabile ¹⁾. Neqve in Norvegia diu ante aetatem R. *Haraldi Pulcriconi* (circa medium seculi IX) illam invaluisse dignitatem, putes ²⁾: qvae eodem

¹⁾ Locum *Eddae* (*Konga heite*) huc tractum, ubi officia *Jarlorum* tanguntur, recentiorem redolere aetatem, qvam ut ad antiqua adeo tempora pertinere qveat, facile patet: „Fyrer thuy „ad Thiodkongur hvor sa er rådur londum mörgum, tha setur „hann til Landstjörnar med sier *Skattkonga og Jarla* ad dāma „Lands-Lög og veria lond fyrer öfryde, i tham londum er Kongi „liggia fiærri, oc skulu theirra dömar og reffsijngar vera thar „jafnriettar som sialffs Kongs“. Neqve igitur tam confidenter debuerat Generosiss. V. DALIN institutionem *Jarlorum Herserorumque* per Sveciam vel *Ivaro Vidfadme* vindicare, vel eo adhuc antiquiorem facere. Cfr. EJUSD. *Svea Rikes Hist.* T. I C. VII § 21 p. 220 sqq. et C. XV § 2 p. 438 sq.

²⁾ Narrat quidem STURLONIDES l. c. *Yngl. Saga* C. 49, Regem *Halfdanum Hvitben*, filium *Olavi Trätälja*, cum Wermlandiam sibi tributariam fecisset, *Jarlos* ei regendae praefecisse; memoratur porro *Ömund Jarl or Sparabui*, (ditionis *Thronðhemiensis*), Pater illius *Ketilli Jamte*, qvi tempore *Eisteyni Illråda*, superatis alpibus Norvegicis, primus in Jämtlandiam fugisse dicitur (l. c. C. 49, et *Hist. Olavi Sancti* C. 147); sed suspicari quis possit, ad ipsam potius horum praefectorum potestatem atque honoris similitudinem, qvam nomen, Auctorem animum intendisse? Fieri enim saepe solet, ut scriptores sui temporis moribus obsecuti, munera nominibus designent serius demum iisdem additis. Qvae res hoc quoque in nomine dubitationem interdum parere possit? Cfr. ex. gr. qvae habet STURLESON *Yngl. Saga* C. 31 de *Vottero et Fasto*, *Jarlis Frodonis* R. *Daniae*). Qvo etiam pertinere credas, qvae idem (ibidem C. 40) narrat

fere aevo ad Svecos etiam transiisse videtur³⁾. Instituto autem R. *Haraldi* imprimis fuisse per Norvegiam celebratam dubio caret⁴⁾: licet ordinem ab eo stabilitum nec in suo regno mansisse illaesum reperiamus⁵⁾, multo minus per Sveciam fuisse usquequaque adoptatum⁶⁾ videamus. Praesides limitaneis regni Provinciis praefectos, easdem contra irruptiones hostium defensuros, illustriori hac fuisse dignitate

de convocatis, ex toto regno ab *Ingialdo Illrâda*, ad coonestandas exsequias Patris sui, *Regulis* et *Jarlis* (Optimates non male hoc loco vertit PERINGSKÖLDIUS) virisque aliis honoratioribus? SNORRONIS verba sunt: „*Ingialdr* Konungr sendi menn „um alla Svithiod, oc haud til sin Konungom ac *Jörtom* ac „ödrom Merkis mönnum.“ Adde quae paullo post habet: „That „var sidveniä i thann timae, thar er erfi skyldi giöra eptir „Konga Edr *Jarla*.“ (PERINGSKÖLDIUS interpretatur: „cum mortualia Regum *Principumque* celebranda forent“). — Quin peregrinorum quoque populorum Praefectis *Jarli* nomen veteres scriptores tribuere haud dubitasse, reperimus. Sic ex. gr. de *Jarlo Galliciae* loquitur STURLONIDES l. c. *Hist. Sigurdi Jörsalafara et fratrum suor.* C. 4.

³⁾ Sic regnante in Svecia *Erico Emundi* (circa initia occupatae ab *Haraldo Pulricom* totius Norvegiae) illius nomine Ditioni Bahusensi hodiernae etc. *Jarli* appellatione atque auctoritate praefuisse docet STURLESON *Ranum Gothicum (Hrane Gautski)*, l. c. *Hist. Harald* *Pulric.* C. 14 et 18.

⁴⁾ Vid. STURLESON l. c. *Hist. Harald* *Pulric.* C. 6. Deinceps frequens occurrit *Jarlorum* mentio, variis regni illius provinciis imperantium. Cfr. IDEM *Hist. Olavi Tryggonis* C. 49.

⁵⁾ Exempla et testimonia affatim praebet STURLESON, turbas enarrans post violenta *Haraldi* consilia Norvegiam diu infestantes, quibus jactatae provinciae ab aliis aliisque *Regulis* et *Jarlis* subinde occupabantur. Cfr. *Hist. R. Olavi* S. C. 34 et 44 etc.

⁶⁾ Nulla sunt vestigia, quae ostendant morem ab *Haraldo* Norvegico introductum, singulas regni provincias per *Regulos*, *Jarlos* atque *Herseros* gubernandi, nostris quoque placuisse. *Herserorum* in Svecia vix ulla (certa quidem) occurrit mentio; nec *Jarlorum* plurium simul constitutorum ac diversis regni provinciis praefectorum, exempla facile invenias.

ornatos observamus ⁷⁾: interiores regiones amplissimo aliquo tali (praeter Regem) duce minus opus habere, videbantur ⁸⁾.

§ III.

Qvali potestate hi *Jarli* apud Svecos olim sint gavisivi, quae illis officia incubuerint, et qualia stipendia habuerint, partim ex paucis quae supersunt exemplis, partim ex comparatione cum *Haraldi* Norvegici instituto facta, Historici nostri illustrare solent ¹⁾; interdum tamen paullo quam decet confidentius ad leges Norvegicas, quasi plane nostras, provocantes ²⁾: licet haud dubitemus, magnam utique fuisse inter gentis utriusque mores, ex eodem quasi fonte derivatos, etiam hac in re similitudinem.

§ IV.

Multo vero celebriorem adhuc locum in Historia Patriae sibi vindicant *Jarli* tertii illius atque praecipui gene-

⁷⁾ Cfr. verba *Eddae* nuper allata (in not. ¹⁾). Hinc *Vestrogotthiae*, ut non solum a Regni sede remotiori, sed etiam finibus cum Danicis tum Norvegicis adjacenti, *Jarlos* fuisse praefectos reperimus saepius: qualis fuit celebris ille *Ragvaldus Ulfonis*.

⁸⁾ Sic nullum commemorari *Jarlum* invenias *Tiundiae*, *Sudermanniae*, *Vestmanniae* etc. sed tantum *Gothiae* et *Vestrogotthiae*, (simul etiam *Vikiae* et *Vermelandiae*). Qui reliquis praeerant provinciis, eos *Landshöfdingar*, *Landsherrar*, etc. appellatos fuisse, constat. Vid. LAGERBRING l. c. T. II, C. XIII § 13 p. 394 sq.

¹⁾ Locum igitur cum *Eddae* supra laudatum, tum STURLESONII indicatum (*Hist. Haraldii Pulcri*. C. 6) commode allegant. Dicitur ab hoc: „Han setti Jarl i hverio fylki, tham er „*däma skyldi lög oc landsrett, oc heimta sakeiri oc landskyldir, „oc skyldi Jarl hafa tridjung skatta oc skyllda, til bords ser „oc kostnadar*: Jarl hverr skyldi hafa under ser IV Hersa edr „fleiri, oc skyldi hverr theirra hafa XX marka veitzlo. Jarl „hverr skyldi fa Konungi i her LX hermanna af sinum einom „kostnadi: enn Hersir hver XX mann“.

²⁾ V. DALIN l. c. C. XV § 2. Cfr. LAGERBRING, l. c. C. X § 5, 6, 7, et T. II, C. XIII § 14 p. 394.

ris, apud quas summam aliquando fuisse Regni potestatem reperimus, Regibus ipsis non raro formidolosam. Horum dignitatem atque auctoritatem luculenter inprimis exposuit atque eos ab altero illo genere distinxit Nobil. BOTIN¹⁾; qui itaque ejus rei rite illustratae praecipuam laudem sibi non immerito vindicat²⁾. Sed ut in novis inventis saepe fit, aliquanto longius eorum seriem, quam vetera monumenta sinunt, repetiisse, atque superius illud genus totum fere apud nos delere conatum fuisse, existimes? Ille igitur a R. *Erico Victorioso*, abolito more pristino regnum ope Conregum (s. *Regum simultaneorum, Med-Regenter*) administrandi, consilium contra fuisse captum, *Jarlum* hujusmodi, sive primarium Reip. gerendae administrum constituendi, sibiqve adjungendi, contendit³⁾; primumque huic magistratui (post *Styrbjörnum* devictum) praefecisse *Ottarum*⁴⁾, cui deinde seriem XXIII aliorum hujusmodi *Jarlorum*, ordine sese excipientium, adnectit⁵⁾. In qua hypothese ita adornanda,

¹⁾ L. c. C. V p. 168—174.

²⁾ „Derföre hafva alle våre häfdatecknare och publicister „hittills haft et felaktigt begrepp om detta höga ämbete. De „hafva ment, at Jarlar ej voro annat än store höfdingar, hvaraf „flere funnos på en gång, och emellan hvilka Riket var delt i „flera höfdingedömen“, etc. Hanc culpam nominatim tribuit WILDIO, STIERNMANN, LAGERBRINGIO etc. Nescio autem, an huic quidem obverti recte queat, apud quem legimus (l. c. T. II, C. XIII § 13): „Näst Konungen var denna tiden oförnekeligen högsta myndigheten hos *Jarlen*, som på Latin kallades „*Dux*, men sällan eller aldrig *Comes*, som man i nyare skrifter „det öfversatt. I anledning af Edda och andra gamla skrifter, „har oförnekeligen detta ämbete varit meddelt åt flere Herrar i „landet på en och samma tid; *men nu en lång tid bårtåt synes „en allena hafva beklädt denna stora värdighet, och har det „namnet svarat emot det som man i våra sednare tider kallat „Premier Ministre“* etc.

³⁾ L. c. T. I, C. V p. 283 et C. X p. 327.

⁴⁾ L. c. T. I, C. X p. 327.

⁵⁾ Quam etiam seriem, inde repetitam, sistit Ill. L. B. ROSENHANE. Vid. Nob. UGGLA *Svea Rikes Råds Längd*, II Afdeln. p. 22 sqq.

Vir Nobilissimus haud pauca gratis assumpsisse, nobis videtur. Ut enim de alia illa hypothese, huic superiore, de *Simultaneis*, sub *Tertia* Historiae Svecanae *Periodo*, *Regibus*, nihil hoc loco dicam; unde, nisi ex mera conjectura efficitur, R. *Ericum Victoriosum* tale, quod ei tribuitur, consilium vere iniisse? Unde doceri potest, *Ottarum* Jarlum alia aut majore fuisse potestate auctum, quam quia *Ranum* Jarlum, tempore *Erici Emundii* floruisse, discimus? ⁶⁾ Nihil sane de hoc *Ottaro* aliud STURLESONIUS commemorat, nisi eum *Gothiae* fuisse Praefectum ⁷⁾, atque provinciae sibi commissae defendendae causa, *Haconi* Norvego, ferro illam vastanti, obviam ivisse, et cum hoc acriter dimicasse, sed superatum, gloriose occubuisse. Nihil de parte aliquam Regiae potestatis in reliquam Sveciam, maxime superiorem illam, ab eo exercitae, vel STURLONIDES loquitur, vel alia monumenta produunt.

De *Ulfone*, filio *Skoglari Toste*, et Patre *Ragvaldi Jarli* (de quo mox), quem summa illa *Jarli* dignitate proxime post *Ottarum* ab eodem Rege *Erico* auctum fuisse Nob. Auctor asserit, nos omnino nihil scire fatemur. Loca certe STURLESONII laudata, ne mentionem quidem ejus faciunt, multo minus praecipua illa, quae ei tribuitur, potestate fuisse gavisum, ostendunt ⁸⁾. Ac ne nomen quidem

⁶⁾ Cfr. supra § II, not. ³⁾.

⁷⁾ „*Ottarr Jarl, hann red fyrir Gautlandi*. STURLESON Hist. Olavi Tryggonis C. 27, Ed. *Peringsk.* et C. 28, Ed. *Schöning.* Utrique *Gothiae* (cum *Ostrogothiae* tum *Vestrogothiae*) praefuisse, narratio STURLONIDIS docere videtur. A latere enim orientali *Haconum* Norvegum provinciam *Ottari* aggressum, eoque superato, *Gothia* utraque peragrata, ac nullo praeterea alio praefecto ei obviam facto, in Norvegiam transiisse, expresse docet; „atto their saman orrosto miela, fär tha Hakon „Jarl sigr, enn Ottar Jarl fell, oc micill luti lids med hönum. „Hacon Jarl fär um *Gautland hvarrtvegia* oc allt med her- „schilldi, til thess er hann cembr i Noreg.“

⁸⁾ Ex *Historia R. Haraldii Grafeldi*, C. XI, discimus, *Sigridem Storråda*, conjugem R. *Erici Victoriosi*, filiam fuisse *Skoglari Toste*, sed ejus nullus ibi filius commemoratur; in *Historia R. Magni Boni*, C. XXIII, de *Ulfone* quidem *Jarlo* agi-

suum teneremus, nisi de filio suo agens STURLONIDES, docuisset hunc (*Rögnvaldr Jarl, Ulfsson*) patrem habuisse *Ulfonem* (*Ulfr*, Jarli titulo non addito), fratrem Reginae *Sigridae Imperiosae* ⁹⁾.

Ragvaldum (vel *Rognvaldum*) *Ulfonis*, *Jarli* dignitate *Vestrogothiae* praefuisse, STURLESONIUS extra dubium ponit ¹⁰⁾. Ad totius autem Regni administrationem (sceptrum tenente consobrino suo *R. Olavo Skötkonung*) ejus vel curam vel auctoritatem pertinuisse, neque vel is ullibi docet, (contrarium potius aperte significans), vel ex ullis aliis demonstrari idoneis monumentis potest.

Huic in Russiam profecto in *Jarli* officio successisse porro dicit *Valgöthum Hundheden* ¹¹⁾, quem successorem ha-

tur, sed alio plane, Dano scilicet illo, *Thorkilli* (s. *Thorgilsi*) filio, *R. Svenonis* Patre, a *R. Canuto Divite* crudeliter trucidato! Cfr. BOTIN l. c. T. I, C. X, p. 328.

⁹⁾ Vid. STURLESON *Hist. R. Olavi Tryggonis*, C. 112, Ed. *Peringsk.* C. 113, Ed. *Schön.* Ac dubium haberi queat, utrum *Ulf* ille et *Sigridis*, vel matre tantum, vel patre, vel utroque parente eodem, nati fuerint?

¹⁰⁾ L. c. de eo dicit: „*Rögnvaldr Jarl Ulfsson er tha „var kominn til rikis i Vestra Gautlandi.*“ Imperium igitur ejus nonnisi *Westrogothiam* spectasse, haec verba aperte docent; quae per totam consiliorum fatorumque suorum historiam confirmantur. Admodum ampla in hanc provinciam potestate usum fuisse constat (Cfr. LAGERBRING l. c. T. I, C. X § 5, p. 377); sed nihil omnino juris vel in reliquas Sveciae regiones, vel in consilia publica extra suam ditionem habuisse, simul patet. In *Vestrogothia* etiam perpetuo habitasse, nec nisi raro (ad Comitum profectum?) Aulam Regiam adiisse, reperimus. — Hunc *Ragvaldum Jarlum* vulgo patrem faciunt *R. Stenkilli*: in quam rem inquirere, hoc loco non vacat.

¹¹⁾ Hunc *Valgöthum* (*Valgaut*) nobilitate generis in *Vestrogothia* floruisse (unde filius suus *Tovi*, vocatur *ättstorr madr*) docet STURLESONIUS *Hist. R. Olavi* S. C. 165; *Jarlum* vero vel *Vestrogothiae* vel totius adeo *Sveciae* fuisse, nullibi prodit. (Multo minus argumento ullo firmatam narrationem Nob. BOTIN reperimus, qui hanc ei, licet pagano oblatam fuisse dignitatem asserit, l. c. T. II, C. V. p. 171 vi legis nuper latae de paganis meritorum laude insignibus, a Regis amicitia, praecipuisque regni

buisse (tempore R. *Anundi Jacobi*) filium suum *Tovium*¹²⁾; quae juxta nobis incerta videntur.

De *Stenkillio*, postea Rege, quem *Jarlum* fuisse vitrici sui R. *Emundi*, tradunt¹³⁾, quae fide hoc asseratur, parum

muneribus, haud excludendis). Neque cur probrosum nomen *Hundheden* ei adhaeserit, ratio apparet. STURLESONIUS quidem l. c. simpliciter, paganum adhuc fuisse indicat („var madr hund heidinn“, sine addito scil. contemptus signo, rem adeo turpem commemorari non debere putans!), cum filius suus *Tovius* gratiam R. *Olavi* Norvegici recuperaturus, eum ad Christianam religionem, antequam moreretur, amplectendam perduceret. Cui simplici narrationi multae postea laciniae adsutae sunt. Vid. DALIN l. c. T. I, C. XX § 27, not. m) p. 657 sq. BOTIN l. c. T. I, C. X. p. 340 (qui fabulam etiam ab *Emundo* Legifero Vestrogothiae Regi *Olavo Skötkonung* de *Gautio Tofii* filio callide narratam, STURLESON l. c. C. 96, ad hunc nostrum satis temere traxisse videtur?)

¹²⁾ Neque huic *Jarli* nomen STURLONIDES tribuit. Quod autem apud ADAMUM BREMENSEM (*Hist. Eccles.* L. III, C. XII) legatur, Regem *Svenonem* (*Ulfonis*) auxilio *Jacobi* R. Sveciae, et *Ducis Tiph*, regnum Daniae recuperasse; inde colligunt, nescio quam tuto, non modo de nostro *Tovio* agi, sed hunc etiam *Jarlum* fuisse R. *Anundi Jacobi*, patrique suo in eo munere successisse. Vid. DALIN l. c. § 27 et BOTIN l. c. (qui quod de nuptiis ejus narrat, unde habeat, exquirere nunc non vacat).

¹³⁾ Ordinem eventuum ac rerum in patria usque a morte R. *Anundi Jacobi* ad R. *Ericum* S. gestarum, valde imperfecte jam cognosci, notum est. Vel *Stenkilli* natales et ad regnum aditus, exemplo esse possunt. Locus, unde praecipuam de ea re lucem petunt, est C. XIX *Hist. Hervorae*, ubi verba occurrunt (p. 226 Edit. Hafn. 1765 4:0): „*Steinkell* het rikr madr i Svi-
„thiod ok kinstor; modir hanns het *Astridur* dotter *Malfins* ens
„Skialga af Halogalandi, enn *fadir hans var Rögnvaldr hinn*
„*gamli*. *Steinkell var fyrst Jall i Svithiod*; enn eptir dauda
„*Eymundas Kongs*, toku *Sviar* hann til *Kongs*. *Tha geck Kong-*
„*domurin* ur langfedga ätt i *Svithiod* enna fornu *Konga*. *Stein-*
„*kell* var mikill höfdingi, hann atti dottr *Anundar Kongs* etc.“
Ragvaldum Priscum, qui pater ejus fuisse hic traditur, eundem (nescio an recte?) faciunt, quem *Jarlum Vestrogothiae* fuisse supra audivimus. Nec firmiori argumento nostrum, privignum fuisse dicunt R. *Emundi*. Cum vero locum Catalogi vetusti Regum

novimus. Nec minus quae de *Hacono Ivari*¹⁴⁾, *Jarlo* primum R. *Stenkilli*, ac deinde ejus in solio Regio successore, qui sibi in Jarlum adsciverit *Ketillum*¹⁵⁾ *paganum* (*Kettil Ochristen*), aequae obscura sunt.

Ejusdem fere commatis porro sunt, quae de sequentibus *Jarlis* (ordine (IX—XVII), *Ugino*¹⁶⁾, *Folcone Crasso*¹⁷⁾, *Sunone Ivari*¹⁸⁾, *Canato Folconis*¹⁹⁾, *Carolo Sunonis*²⁰⁾, *Guttormo*²¹⁾, *Ulfone Sunonis*²²⁾, *Ragvaldo Henrici*²³⁾, et *Be-*

Sveciae Christianorum, Legibus Vestrogothicis adjecti, (*ubi Vestrogothos prae omnibus aliis suis amasse civibus dicitur*), cum hoc nuper allato comparamus; non fit improbabile, etiam *Stenkillum* eidem illi provinciae, antequam Regio admoveretur solio, *Jarli* potestate nomineque praefuisse? Alioquin mentionem *Jarli Sveciae* hoc primum loco occurrere, credendum sit?

¹⁴⁾ *Haconi* (s. *Haqvini*) hujus res, quantae sint obvolutae tenebris, veteres conferenti Catalogos Regum Sveciae apud BENZELIUM *Monum. Vet. Eccles. Sveog.* p. 17 et 18, cum illo quem *Legum Vestrog.* Codici annexum edidit Nob. IHRE p. 19 sq. mox patebit. Cfr. etiam DALIN l. c. T. II, C. I § 14 sqq. p. 22 sqq., LAGERBRING l. c. T. II, C. I § 14, 15, 16 p. 18 sq. et BOTIN l. c. T. II, C. II p. 16 sqq. *Jarlum* fuisse R. *Stenkilli* inde (satis precario) colligunt, quod STURLESONIUS (*Hist. Haraldis Severi s. Hårdråde* C. 72) dicit Regem huic *Jarlo* in Wermelandia, ubi ex Norvegia profugus hospitium invenit, feudum concessisse (*veitti Steinkell Konungr Jarli thar yfirsokn*).

^{15), 16)} Nonnisi talibus argumentis *Jarli* Regii dignitas *Ketillo* (sub R. *Hacono Rufo*) et *Ugino* (sub R. *Ingone Seniore*) vindicatur, quae magnam parere fidem nequeant. *Ilum* fuisse *Jarlum* ditionis *Kind* in Ostrogothia, *hunc* auctoritate ejusdem generis in Sudermannia floruisse, si concedatur; quid inde, ad rei summam proficietur?

¹⁷⁾ Hunc, a quo non parum splendoris gens *Folkungica* duxit, auctoritate atque opibus floruisse insignibus, et connubium suum et veterum fides monumentorum testantur. Vid. BOTIN l. c. T. II, C. X, p. 265, et auctores ibi laudati. Quod autem in *Chronico Rhythmico Majore* (p. 24) de eo legitur: „*Folke Jarl var en erlig man, Rikhsens Förman tha var han*“, nescio an nimis sit premendum; praecipue in Scriptore multo juniore atque ex more sui temporis lovente? Veteres nonnisi *virum inter omnes Svecos nobilissimum* appellant (vid. BENZELII l. c. p. 84).

^{18), 20), 22)} *Sunonem Ivari, Jarlum fuisse Anti-Regis Erici*

nedicto Snýffel ²⁴⁾ asseruntur. Praecipuos suo tempore viros fuisse, dubium non est; neque a verisimilitudine abhorret, Regia auctoritate, turbido illo aevo haud parum fracta, op-

Årsäll, asseritur. Nescio quibus argumentis? Virum opulentum atque potentem fuisse constat (Cfr. STURLESON l. c. *Ed. Perinsk.* p. 480). Filios suos, primo *Carolum*, deinde *Ulfonem* patri in munere successisse, apud *Ericum Årsäll*, atque hujus filium *Svercherum Veterem*, similiter pronuntiatur. STURLESONIUS (*Hist. Sigurdi, Ingii et Eystenii* C. 2) de illo nihil habet aliud, nisi virum principem (*Jarl*) in Gothia fuisse, divitem atque opum et dominationis avidum („Magnus flydi thadan austr „a Gautland til Karls Jarls Sona sonar, han var rikr madr oc agiarn“). Cfr. l. c. C. 22. De altero fratre *Ulfone*, mox dicemus.

¹⁹⁾ Hunc (*Folconis Crassi filium*) *Jarlum* fuisse R. *Ingonis Junioris* dicitur; argumenta nos latent.

²¹⁾ Successisse in *Jarli* dignitate, apud R. *Ericum Sanctum*, *Canuto Folconis* dicitur, atque eodem deinde munere etiam apud R. *Carolum* et R. *Canutum Eri* fuisse functum: quod ut conciliari possit cum eadem *Jarli* apud R. *Carolum* dignitate, qua eodem tempore *Ulfonem Sunonis* eminuisse s. *Ducis* apud eundem constat, hunc *Gothiae*, illum *Sveciae Jarlum* faciunt. Cfr. DALIN l. c. T. II, C. V, § 2, 3. Caeterum *Gutormo* huic multa praeclara facta, parum idoneis nixa testimoniis, tribuuntur: Ducem fuisse R. *Eri* Fenniam expugnantis praecipuum (qua de re monumenta prorsus silent); expeditionem in Estoniam suscepisse (quam inter fabulas non immerito refert Nob. LAGERBRING . c. T. II, C. VIII § 8 p. 185 sqq.) etc. Cfr. DALIN l. c. T. II, C. IV, § 4 p. 105, et Cap. V § 4 p. 131 sqq.; BOTIN l. c. p. 279 sqq. Sorae in Dania sepultum esse, docent; ubi etiam insignia sua visuntur. (LANGEBEK *Scriptores Rer. Danicar.* T. IV p. 554. Cfr. BOTIN, l. c. et III. ROSENHANE l. c. p. 23); nisi alium a nostro intelligi debere *Ducem Gutormum*, ostendi queat?

²³⁾ Hunc *Jarlum* in *Svecia* fuisse („Ormr flydi austr Svithiod til Magnus brodor sins, er tha var thar Konungr, en *Rognvaldr brodir theirra var tha Jarl*“) cum frater suus *Magnus* ibi Rex esset, prodit STURLESON *Hist. R. Haconi Hardabreid* C. 18. An plus significare velit, quam virum fuisse principem, opibus et potentia florentem, nescio?

²⁴⁾ Neque de hujus auctoritate quicquam scimus, nisi quod illum (genere et cognatione illustrem) a. 1130—1140 *Jarlum in Ostrogothia* fuisse, dicunt.

timatium opulentioribus opportunam hinc natam fuisse occasionem, suam sensim potentiam (ut in aliis quoque Europae regnis factum esse novimus) augendi: sed solenni tali polluisse aut ornatos fuisse viros supra nominatos principes, munere, quali *Jarli* temporibus eminebant posterioribus, idoneis doceri, de plerisque saltim eorum, nequit rationibus²⁵). De ultimis contra VI, quos Nob. BOTIN enumerat *Jarlis*, Gentis omnibus Folkungicae, planior est res certiorque²⁶). Neque incommode Nobil. idem auctor observat (l. c. C. V p. 171), docente etiam STURLESONIO, a tempore R. *Olavi Sancti* in ipsa Norvegia non nisi unum fuisse *Jarlum* constitutum, hoc nomine caeteris omnibus Praefectis Regiis dignitate superiorem²⁷): cujus potentia, inter lites de successione Regia perpetuas, ac maxime Regibus vel minorennibus vel imbecillioribus solio admotis, vehementer crevit. Quem morem in Svecia quoque post

²⁵) Inprimis *Gutormum* et *Ulfonem* auctoritate quadam praecipua jam eminuisse, vel ex *Ducis* appellatione iis tributa, colligi potest: illi quidem in litteris Papae *Alexandri III* ad eum et *Stephanum* Archiep. Upsal. datis, si veram earum inscriptionem nobis servavit VASTOVIVS *Vit. Aquilon.* Ed. Colon. p. 161 (quin etiam in Sigillo suo vocari dicitur *Gothormus Dei gratia Dux Svecorum*, BOTIN l. c. 280), *Ulfoni* autem in litteris ejusdem Papae ad eundem Archiepiscopum, (ab ÖRNHJELMIO *Hist. Eccles.* L. IV, C. V § II sqq. exhibitis), ubi mentio fit *Ulfii Ducis regni illius (Svecorum et Gothorum)*, p. 483. Ac quamvis eundem vocari *Ulf Comitem* in literis Archiep. *Stephani* ab eodem ÖRNHJELMIO l. c. L. IV, C. VII § 12 sqq. p. 559 adductis, appareat; patet tamen ejus consilia in negotiis gravissimis fuisse a Regibus adhibita.

²⁶) Quorum igitur gesta attingere, atque ex iis rem confirmare, eo esse minus necessarium putamus (pagellarum quoque angustia hanc operam prohibente), quo illa diligentius ab illustribus nostris Historicis LAGERBRINGIO et BOTINO legere licet exposita.

²⁷) STURLESON l. c. *Hist. R. Harald Severi* C. 49, hunc dicentem affert: „*Olafur* Konungr brodir min oc Magnus Konungr „son hans, tha er their redu riki, leto their einn Jarl vera senn „i landi; hefr ec oc sva gört, sidan er ec vard Konungr kalladr.“

prosapiam Regiam morte *Emundi* Senis extinctam, ex iisdem caussis invaluisse, verisimile putes.

§ V.

Potentissimorum horum *Jarlorum* auctoritas atqve munus, quo Regibus ipsis videri debuit formidolosius, eo nobis minus videtur verisimile, Principi prudenti et majestatis suae tuendae avido, qvalem R. *Ericum Victoriosum* fuisse accepimus, originem suam debere. In regnis orientalibus, ubi ad se omnia negotia publica, pro suo arbitrio promte gerenda, trahit Princeps, legum nulla fere coërcitus veneratione, talem instituere despoticae suae potestatis ministrum (Vizirum etc.), illi consultum fortassis visum fuerit; sed in imperio moderato, qvalem Regum Europaeorum illis temporibus fuisse constat, vix nisi per Regum imbecillitatem et socordiam, opportunitatem praebitam fuisse uni alicui optimatum existimes, omnium Regii muneris partium administrationem sibi soli vindicandi, atqve socium qvoddammodo cum ipso Rege imperium sic exercendi. Cujus viri privatis qvoqve opibus cum auctoritatis regiae conservatio magnopere niteretur; mirum non est, si neqve facile ab ejus consiliis recedere Rex unqvam auderet, neqve aliis qvam potentissimarum familiarum capitibus hanc potestatem committere; qvae sic haereditaria sensim facta, Regi vix nisi umbram qvandam majestatis reliqvam tandem fecit. Qvam rem non tantum Norvegica Historia, sed Francica etiam egregie illustrat; qvae immodicum *Majorum Domus* (*Maires de Palais*) sub dynastia Merovingica potentiam (cum qva commode ultimorum *Jarlorum* nostrorum illam l. c. comparat Nob. *Botin*) ex similibus enatam fuisse caussis, aperte ostendit. Unde sapienter Rex *Magnus Birgeri* (*Ladulås* vulgo dictus), potestatem *Jarli* inter *Drotzetum* et *Marscalcum* dividens, formidolosum illud munus abrogando, gravi aemulo atqve qvasi tutore Regiam auctoritatem liberavit¹⁾; qvam tamen imbecilles successores sui, contra in-

¹⁾ Cfr. LAGERBRING l. c. T. II, C. XVIII, § 8 p. 696 sq.

valescentes optimatum opes, audaciam et callida consilia, tueri et integram servare non valebant.

et BOTIN l. c. T. II, C. V, p. 174. Quum vero neque R. *Valdemarum* mortuo Patri suo successorem in *Jarli* munere atque dignitate dedisse reperiamus; non sine verisimilitudine, a *Birgeri* ipsius consilio atque prudentia, formidolosi hujus muneris abrogationem arcessere licet.

die, welche in der Folgezeit zu einer neuen Organisation der Verwaltung der Provinz führen werden, sind im vorliegenden Bericht nicht zu berücksichtigen.

Die Provinzverwaltung hat im Laufe des Jahres 1902 eine Reihe von Beschlüssen gefasst, die sich auf die Organisation der Verwaltung beziehen. In dem ersten dieser Beschlüsse ist die Aufgabe der Verwaltung im Jahre 1903 festgelegt, die im wesentlichen darin besteht, die Verwaltung der Provinz zu reorganisieren, die Verwaltung der Provinz zu vereinfachen und die Verwaltung der Provinz zu verbessern. In dem zweiten dieser Beschlüsse ist die Aufgabe der Verwaltung im Jahre 1903 festgelegt, die im wesentlichen darin besteht, die Verwaltung der Provinz zu reorganisieren, die Verwaltung der Provinz zu vereinfachen und die Verwaltung der Provinz zu verbessern. In dem dritten dieser Beschlüsse ist die Aufgabe der Verwaltung im Jahre 1903 festgelegt, die im wesentlichen darin besteht, die Verwaltung der Provinz zu reorganisieren, die Verwaltung der Provinz zu vereinfachen und die Verwaltung der Provinz zu verbessern. In dem vierten dieser Beschlüsse ist die Aufgabe der Verwaltung im Jahre 1903 festgelegt, die im wesentlichen darin besteht, die Verwaltung der Provinz zu reorganisieren, die Verwaltung der Provinz zu vereinfachen und die Verwaltung der Provinz zu verbessern. In dem fünften dieser Beschlüsse ist die Aufgabe der Verwaltung im Jahre 1903 festgelegt, die im wesentlichen darin besteht, die Verwaltung der Provinz zu reorganisieren, die Verwaltung der Provinz zu vereinfachen und die Verwaltung der Provinz zu verbessern.

DE PRAECIPUIS DIALECTIS LINGVAE FENNICAE.

DISSERTATIO

QUAM

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMISIT

JOHANNES SARELIUS.

Aboae 1801.

§ I.

Dialecti vox latius quidem interdum sumitur, ita ut ad varias significandas lingvas adhibeatur, quas a communi quadam stirpe, cujus arctiorem praeferunt cognationem, esse propagatas appareat ¹⁾; accuratius vero, docente GESNERO

¹⁾ Ita lingvas non modo *Svecicam* et *Danicam*, sed etiam *Islandicam*, *Anglo-Saxonicam*, *Teutonicam*, *Batavicam* etc. Dialectos appellari ejusdem linguae matris, sive *Gothicae* sive *Germanicae*, audias; ita linguae variarum nationum stirpis Fennicae Russico parentium imperio (*Mordvinica*, *Votica*, *Permica*, *Estonica*, etc.) nec non *Lapponica*, Dialecti interdum vocantur Linguae *Fennicae*: cujus ea forma, quae in Magno Principatu Finlandiae viget, reliquis est et cultior et notior, unde toti generi nomen accrevit. Nemo autem existimet, has lingvas (licet affinitatem earum inter se facile agnoscas) arcta adeo cognatione sese attingere, ut homines illas adhibentes colloqui inter se absque ope interpretis, aliusque alium intelligere, possint. Cfr. de his gentibus atque linguis quae paucis habentur in Dn. Praesidis Annotationibus ad JUSTENI *Chronicon Episcoporum Finlandensium* p. 32—44. Dolendum est, plerasque harum lingvarum nobis parum esse notas, ac etiam qui Grammaticas nonnullarum ediderunt, pares illi rei feliciter exsequendae haud fuisse. Quod mirum tamen non videbitur, si meminerimus, antequam VHAELII acumen et industria facem nobis praetulisset, ne nostrae quidem lingvae Fennicae indolem rite cognitam atque explicatam fuisse, unde lux Grammaticae quoque Lapponicae (opera *Fiellströmi*, *Ganandri* et Editorum novi *Lexici Lapponici*) deinde praeclara affulsit; qua frui hucusque nescierunt Grammatici lingvae *Estonicae*, apud quos itaque (etiam recentissimos) videas ex. gr. nomina solitos habere *Sex Casus*, e quibus Dativus et Ablativus *duplicem* admittant *terminationem*: promiscue adhibitam! Cfr. HUPEL *Ehstnische Sprachlehre* (Riga 1780, 8:o) 1 Th. 1 Cap. qui simul in Casuum formatione magnam dominari irregularitatem atque pervicacem inconstantiam queritur! Nec in verborum

(*Thesaur. lingvæ Rom. in voc. Dialogus*), *Lingva* ita a *Dialecto* distinguitur, ut illa significet modum loquendi *diversarum gentium*; hæc modum loquendi *in diversis provinciis gentis una lingva utentis*. Quo sensu probato, plures quidem *Dialectos Lingvæ Fennicæ* intra patriam vigere²⁾, in diversis saepe paroeciis varias,prehendimus; sed illas tamen omnes, ut ipsas Finlandiæ nostræ incolas³⁾, ad duo referri posse genera præcipua, haud aegre animadvertere simul licet, quorum alterum vocari possit *Dialectus communior*, maximæ Finlandiæ parti, inprimis maritimæ (magis

formis proponendis minores defectus observare licet! etc. Neque dubito, quin si abjectis præjudiciis ex Latina Grammatica ad lingvas Fennici generis temere traductis, VHAELII nostri exemplo reliquæ communis stirpis propagines, eadem adhibita diligentia et perspicacia, qua ille nostram perscrutatus est vernaculam, examinarentur, ad veram earundem indolem perspicendam plurimum inde opis esset accessurum.

²⁾ Similiter inter *Estones* non levem dialectorum varietatem, inprimis *Revaliensis* illius atque *Dorpatensis*, occurrere, ejus lingvæ docent Grammatici.

³⁾ Cfr. *Annot. cit. ad Juusteni Chronicon* p. 46 sqq. ubi docetur, in hos quasi ramos potissimos stirpem incolarum terræ nostræ posse distribui; e quibus illa tribus quæ oram maritimam atque regiones proxime ei adjacentes occupavit, maturius advenisse videtur, alteram autem, ex vicina Carelia Russica et provincia Olonecensi insequentem, Savolaxiæ et Careliæ nostræ incolas dedisse, verisimile est. Ut Dialectorum, ita morum et oeconomiæ dissimili quadam ratione utraq; hæc gentis nostræ tribus distinguitur; cujus rei obvium mox specimen offerunt *Nomina Savonum* (et congenerum suorum) *gentilitia*, familiis hominibusque singulis ad eas pertinentibus, constanter adhaerentia, etiam cum ad prædium, pagum aut paroeciam aliam ex natali sede migrant. In quo more illud quoque singulare inest, quod licet nomina Fennica generis differentia de caetero careant, hæc tamen nomina gentilitia peculiarem terminationem foemininam habent; ita ut, cum ex. gr. virorum nomina exeant in *nen* (*Karhunen, Leinonen, Leppänen* etc. quasi *Ursinus, Fervidus, Alneus* etc.) foeminarum illa terminentur in *tar*, (*Karhutar, Leinotar, Leppätär*, quasi *Ursina, Fervida, Alnea*). Quæ tamen terminatio foeminina apud incolas ditionis Rautalambensis in desuetudinem fere jam abiit.

tamen minusve mutata et variata) familiaris, libris frequentata (qua ex re varie aucta, diversarum provinciarum copiis adjuncta, et diligentius culta fuit), religionisque praeceptis instillandis plerumque adhibita, unde sensim in totius gentis notitiam quodammodo pervenit; altera Dialectus est *Savonica*, cui non modo subjici debet idioma incolarum ditionis *Rautalambensis* et *Cajaneburgensis* ⁴⁾, sed etiam *Carelicum* est adjungendum ⁵⁾. Haec per Savolaxiam inprimis regnat;

⁴⁾ Quarum incolae originem suam Savonicam et Dialecto et moribus aperte produnt, traditione etiam majorum et rerum monumentis confirmatam. Nec nullam haec Dialectus in sermonem Ostrobotniensium Borealium, Cajaneburgensibus etc. vicinorum, vim ostendit.

⁵⁾ Careliae nostrae habitatores partim ex Savolaxia advennerunt, in locum emigrantium (cum illa provincia Svecorum adiceretur imperio), ex coeco religionis zelo veterum incolarum, unde Savonica illi Dialecto utuntur, aliquantum licet sensim mutata; partim reliquiae sunt veterum Careliorum, quos sermone, ut religione, olim proxime accessisse probabile est ad vicinos incolas ditionis *Olonecensis* in Russia (nostris *Aunus* vel *Anus*, *Aunus Maa* vel *Anus Maa* dictae, unde *Aunus* vel *Anus-kieli*, lingua ibidem usitata): a quibus hodieque Carelii nostri, quotquot nempe Graecae addicti manserunt religioni, vel lingua vel moribus et habitu, praecipue in paroecia Ilomanz illis viciniore, non maxime abludunt. Etiam haec lingua (eique affinis Ingrica) cognosci diligentius meretur, licet ex Russorum consuetudine multas voces, loquendi formas et pronuntiandi morem adscivisse, in aprico sit; ut ex Svecorum contra familiaritate maritimi profecerunt, hortante usu atque ipsa adeo necessitate, in magna illa priscae nostrae linguae, quoad res quae cultioris vitae copiam et splendorem, artes atque literas spectant, paupertate atque ruditate. Per illud idiomatis Carelici quasi vehiculum, haud pauca in reliquam quoque linguam Fennicam (maxime in Dialectum Savonicam) transierunt vocabula, aut saltem magna eadem attingunt cognatione, quorum nonnulla speciminis loco subjiciemus:

| <i>Russ.</i> | <i>Fenn.</i> | <i>Lat.</i> |
|---|-----------------|--|
| <i>Obrók</i> (vectigal l. pecunia Census, ränta, mantals-penningar) | <i>Aprakka</i> | Reditus Sacerdotales, pensio sacerdoti solvenda. |
| <i>Veréja</i> (postis) | <i>Veräjä</i> , | Portae genus (grind, leb). |

atque in *Runis*, sive peculiari et domestica Fennorum nostrorum poësi, maxime usurpatur⁶⁾, sed in scriptis prae-

| | | |
|---|---|--|
| <i>Vorobėj</i> | <i>Varpuinen</i> | Passer. |
| <i>Téteref</i> | <i>Tetri</i> (Careliis, reli- quis Fennis <i>Teuri</i> , <i>Teeri</i> l. <i>Teiri</i>) | Tetrao Tetrix: La- tino et Graeco τετ- ράων, forte origi- nem debet, qualia multa sunt et apud Russos et nostros vocabula, e. gr. (ut ecclesiastica sileam) Russ. <i>more</i> , Fennor. <i>meri</i> , mare; Russ. <i>vor</i> , Fenn. <i>Varas</i> , fur, Graece φάος; Russ. <i>porosä</i> , Fenn. <i>porosas</i> , porcus, por- cellus etc). |
| <i>Salakuschka</i> (clupea Harengus minor, Strömming) | <i>Salahka</i> l. <i>Salkki</i> <i>Silakka</i> | Cyprinus alburnus (<i>Ëöja</i>). Strömming. |
| <i>Serp</i> , | <i>Sirppi</i> | Falx minor (<i>Ëfära</i>). |
| <i>Sapóg</i> | <i>Saapas</i> | Caliga (<i>Ëtöfwel</i>). |
| <i>Sani</i> | <i>Saani</i> | Trahae elegantioris genus (Careliis et Savonibus). |
| <i>Loschka</i> | <i>Lusikka</i> | Cochlear. |
| <i>Lohovina</i> | <i>Lohi</i> | Salmo (<i>Ëar</i>). |
| <i>Sinyj</i> | <i>Sininen</i> | Caerulaeus. |
| <i>Borodà</i> (Slavonice Bradà) | <i>Parta</i> | Barba. |
| <i>Korà</i> | <i>Kuori</i> | Cortex. |
| <i>Polotnó</i> | <i>Paltina</i> | Linteum. |
| <i>Igo</i> | <i>Ike</i> | Jugum. |
| <i>Vihr</i> (turbo) | <i>Vihuri</i> | Flatus quidam cele- riter exoriens. |
| <i>Muravėj</i> | <i>Muurainen</i> | Formica. |
| <i>Poróh</i> | <i>Poro</i> | Cinis (inprimis cali- dus). |
| <i>Rósga</i> (virga) | <i>Ruoska</i> | Flagellum. |
| <i>Tavar</i> | <i>Tavara</i> | Thesaurus. |
| <i>Oknó</i> | <i>Akkuna</i> l. <i>Ikkuna</i> | Fenestra. |
| Plura non addimus. | <i>Olonecensis</i> autem illa | Dialectus (quam ex |
| parte nostros etiam | Carelios, maxime qui | Graecae profitentur |

terea aliis non adhibetur. Quumque ad lingvæ patriæ cum cognitionem pleniorē atque accuratiorē, tum culturam feliciorē adjuvandam, haud parum conferre videatur, ut in harum Dialectorum indolem diligentius inquiratur, et peculiare earundem leges atque formæ indicentur; non ingratis doctis popularibus nos rem præstituros putavimus, si hujus operæ primas quasi lineas ducentes, materiam at-

Ecclesiæ doctrinam, imitari observavimus), non modo peculiaria quaedam habet verba (Russis sæpe debita, aut his impertita?) et significationes communium nobiscum vocum peculiare sed etiam vocum pronuntiationem amat a nostrorum more admodum diversam. Sic literas B, D et G, cæteris Fennis (maxime Savonibus) aut parcius usitatas aut omnino ignotas, cupide adhibent (nominibus abundantes, qualia sunt *Imbi, Obota, Kolbiza*) atque diphthongorum loco, nostris familiarium, easdem (præcipue G loco τῶν U ante liquidas L vel R) frequentant; dicentes ex. gr. *Kagla, Nagla, Tagla, Nagris, Niegla, Siegla, Kegri* (l. *Kakla, Nakla, Takla, Niekla, Siekla, Nakris, Kekri*) pro *Kaula, Naula, Taula, Nauris, Neula, Seula, Käyri*; *lüga voida* pro *likaa voita*. In quo more, a nostræ vernaculæ indole prorsus abludente, *Estones* quoque Olonecensibus suffragantur: quibus pro *aika* (tempus) dicitur *Aig* vel *Aeg*, pro *Hevonen*, Hepo l. Heponen (Equus), *Hobbo, Hobbone* vel *Obbone*; pro *Poika* (filius) *poeg* vel *poig*; *Vihma Saddab* (pluit) etc. Sed ut ad Dialectum Olonecensem revertamur, cum ad ejus morem quaeritur: *Maltatkos* (n. *pagista*) *Aunus Kieli*? (Scisne loqui Olonice?) prioris verbi significatio a nostro usu recedit, alterum et forma et significatione peregrinitatem redolet; quibusdam tamen Savonibus etc. ignotum non est, qui pro *Pagizen* l. *Pagisen*, illud efferunt *Pakisen* (*Pakisin parin sanoa*, pauca verba locutus sum); unde formatum est nomen *Pakina*, sonus, sermo, inprimis garrulus, quod manifestam cognationem habet cum Lapponum *Pako*, Sermo. Sed non licet diutius his immorari.

6) Cujus rei causa hæc quidem prima est, quod illud carminum genus a Savonibus (eorumque congeneribus) inprimis excultum atque frequentatum est, ac hodieque adhibetur: quare præstantissima exempla, poëtis nostris præcipue imitanda, hæc Dialecto concinnata reperiuntur. Unde etiam aliarum provinciarum homines, qui in hoc genere colendo industriam collocant, illorum lingvæ imitantur. Deinde illa Dialectus est ad hoc poëseos genus multis nominibus maxime adaptata, cantuique

que incitamentum aliis, studium huic rei consecrandi neque otio neque opportunitate destitutis, illam copiosius atque accuratius persequendi atque perficiendi praeberemus; in quam non nisi obiter et sparsim praestantissimum nostrum Grammaticum VHAELIUM (reliqui ne attigerunt quidem) in opere suo, quod nempe mancum et imperfectum (morte auctoris interveniente) ad nos pervenit⁷⁾, aciem intendisse, dolendum est.

§ II.

Primum igitur pauca de *Dialecto Savonica*, ut literis hactenus minus celebrata, afferemus; postquam antea monuimus, exspectari haud posse, ut per omnes illarum provinciarum partes, quarum sermonem ad hanc maxime Dialectum accedere significavimus, usquequaque sibi sit similis, aut omni respectu semper constans. Abit igitur illa a con-

et metro egregie favet: quod facile et animadverti et doceri potest.

⁷⁾ Post mortem Auctoris, Vidua ejus ex schedis mariti librum suis edendum sumtibus curavit, operam sibi, ut remur, ministrante successore postea *Vhaelii* in munere (Pastoris Ecclesiae Ilmola) *Gabriele Peldan*, cujus manu variis allatis Annotationibus (in textu etiam impresso deinde comparentibus) exaratum est exemplar manuscriptum, quod Bibliotheca nostra possidet Academica. Instituerat autem Professor tum Aboënsis, postea Episcopus primum Borgoënsis et deinde Scarensis, Rev. DANIEL JUSLENIUS, Lingvae Fennicae et cultor diligens et aestimator idoneus, suis *Vhaelii* hanc Grammaticam illustrare observationibus (Cfr. praef. *Lex. Fenn.* § 4), doctissimis sane et egregiis: quod vero consilium cum viduae et amicis quibusdam Vhaelii (cum assertis viri egregii, quocum et amicitiam coluerat et commercium epistolicum diu continuaverat, licet vel meritis vel laudibus ejus nihil profecto detractum vellet, non semper assentiri se posse, candide significasset) displicere comperisset, ab instituto (non sine gravi sane jactura litteraturae nostrae) abstitit, unicam etiam plagulam quae typis commissa fuerat, adeo perire passus, ut rarissima facta sit, cujus nempe vix nisi unicum illud exemplum jam superest, quod Bibliothecae Academiae intulit Dn. Praeses.

svetudine reliquorum Fennorum, primum copia nominum atque verborum his ignotorum aut inusitatorum haud parva, quae ut et caeterarum Dialectorum copiae ¹⁾, in Lexico linguae nostrae accurato et locupleti (cui concinnandae materiam praeclaram laudatissima diligentia congessit ²⁾) vernacularum literarum, dum in vivis esset, cultor, et amicus studiosissimus, Plur. Reverendus M. CHRISTFRIDUS GANANDER, Sacellanus in *Frantzila* Paroeciae *Sikajoki*, meritissimus, morte immatura rebus humanis ereptus) studiose notari debent, sedibus suis simul diligenter indicatis ³⁾. Alienum a praesenti esset instituto, si eorum longum afferre indicem nunc aggredieremur, ratione eo minus probanda, quod

¹⁾ Nempe ut quae jam in libris nostris adhibetur lingua, ex variis diversarum Dialectorum copiis sensim coaluit; ita eadem adhuc via eandem porro ditandi patet. Neque hactenus ulla ita vilis habita fuit Dialectus, ut inde prudenter opes augere communes non licere putetur. Quare colligendae hoc consilio divitiae nostrae diligenter sunt lustrandae atque custodiendae.

²⁾ Multorum annorum labore congestum atque dispositum opus, voluminibus constans (non aequalis omnibus molis) IX, in forma quam dicunt 4:ta, ante mortem transmisit Dn. Praesidi, (qui opes hujus generis communicando, amicorum inprimis benignitate sibi undique transmissas, laudabile illius consilium pro virili promovere studuerat) typis illud publicandi operam expens. Quod nequaquam consilium seponere huic animus est; licet et alia in antecessum comparanda subsidia sint, et operi ipsi perficiendo atque studiose concinnando manus adhuc sint admovendae assiduae, quarundam Dialectorum opibus porro conquirendis, phrasibus partim addendis, partim recidendis, significationibus sollicite constituendis, earum fontibus et varietate persequenda, atque quasi genealogia exponenda, etc. Hunc interim Linguae nostrae Thesaurum in Bibliotheca Academica asservandum ut curaret, donec edendi contingeret opportunitas, res ipsa svasit.

³⁾ Hujus consilii oblitum esse collectorem Thesauri L. Fenn. nuper laudati diligentissimum, cui ejus exsequendi neque opportunitas defuit neque vires deerant, merito dolemus. Multum enim haec res et molestum nunc poscit laborem, sine quo tamen utilitati Lexici, in tanta Dialectorum nostrarum, etiam quoad vocabulorum usum, varietate, multum decedit.

non omnia ubique locorum, ne per Savolaxiam quidem et Careliam, in usu sunt, alia contra per totam fere jam Finlandiam, literarum auxilio, sensim innotuerunt. Itaque pauca adduxisse exempla, sufficiat. Talia sunt *Uxi* janua, *Usma* l. *Usva* nebula, *Osma* gulo, (*Särf*, *Silfräs*) *Keralla* (praepos.) cum, etc. Sed praestat, (ut hujus dialecti ubertas, quamque insignem vernaculae ditandae opem afferat, eo clarius pateat), Lexico in auxilium adhibito, vel unius literae seriem sequi; quo consilio deligere placuit initium literae R, fortuito illam sese nobis offerentem:

Raan (*Raadan*) vehementer (usque ad lassitudinem) laboro (*Uhmaan*), colo (terram). Cognatum verbo *Raatelen*, discerpo. *Raata maata* terram colere. *Raateet* silva caesa atque exusta, sementi faciendo praeparanda, *Swedjeland*, *jordbruf*. *Raanan* nimio labore fatigo. *Raanaata ruumistansa* fatigare corpus suum. *Raanaun* nimis fatigor. *Raanaunut* labore modum excedente exhaustus.

Raakku testa conchae.

Raako (*Raakila*) fructus immaturus.

Raahin (*Rahdin*) sustineo *nännaš* (id. ac *Raskin* l. *Raskitzen*). *Ei rahi nänš* idē.

Raamastan (*Raavastan*) aperio ventrem avis etc. viscera et sordes inde auferens illumque purgans.

Raappana (*Suo-kurpu*, *Suo-vares*), *Scolopax*, avis genus.

Raavas pecus, et *Rahvas* populus, hominum coetus, quae verba male interdum confunduntur. Dicitur nempe: *Raavas Mies* (pro *Rahvas*, *Rahvaan Mies*) adultus vir. *Käske raavasta sisälle* etc. it. *Rahva* Adj. magnus, immensus: *Rahva maailman rakennus*, immensa mundi fabrica.

Raavilo tignum in tecto.

Rahon (*repiän*) ex. gr. *lehtiä puista*, rapio, decerpo, decutio.

Rahtu (*Ratzu*, *Radzu*) equus instratus. Unde *Ratzas mies*, *Ratzastaja*, *Ratzain* et *Ratzus* Eques; *Ratzastan* (*Rattastan*) equo vehor (it. freno), *Ratzastaminen*, equitatio, *Ratzastin* frenum, et *Ratustimet* frena etc. *Ratzain* (*Ratza-*

hin, *Rattahin*) equitando, til *Šäft*. Conf. *Ratas*, rota et inde *Rattaat*, Cisium.

Raavon (*Rapaan*, *Rapoan*, *Rapajan*) subito ferio ex gr. frumentum, flår i vägg. *Kuin ma rauvalla* (*Raudalla*) *rapajan*, ubi ferro celeriter ferio. It. *Aita rautanen rapaak* (*rapajak*) sepem ferream subito extrue. *Tauti rapaisi minua* (*rapais tunnongin pois*), subito me incessit (etiam sensum mihi subito ademit). *Rapaus* Morbus subitus.

Rapain undarum in mari subito exoriens aestus.

Rapahdan (*Ravahdan*) fundor (instar pinguedinis igni admotae). *Rapahdun* (l. *Ravahdun*) fundor ita ut prorsus effluam. *Rapaun*, fundor, solvor. *Rapuan* ungo etc. etc.

Inter verba autem, quibus haec Dialectus abundat, ei peculiaria, multa sunt usus egregii et ad lingvam communem nostram locupletandam aptissima; quorum pars quidem jam (per Carmina maxime, et scriptorum studium) latius cognosci et adhiberi coepit, sed insignis tamen copia intra patrios adhuc quasi fines inclusa mansit, quae sensim, magno lingvae nostrae lucro, in communem usum, debito iudicio et diligentia, ut lectoribus nimis molestum non creent negotium, adhibitis, scriptorum et poëtarum imprimis opera adducere licet ⁴).

§ III.

Deinde, praeter *Synonymorum* copiam, quam scripturis haec Dialectus plenius cognita offert ¹), poëtis maxime gra-

⁴) HORATHI nempe hic observandum est praeceptum: *Dixeris egregie, notum si callida verbum Reddiderit junctura novum* (*Art. Poët. v. 47 seqq.*) et quae alia ibidem praeclare monet.

¹) Inepta illa lis, an in ulla lingva verba habeantur plene Synonymica? facile dirimitur, si ex pluribus dialectis plerasque lingvas, (quales quidem in scriptis, et a cultioribus hominibus adhibentur), coaluisse, memineris. Quis v. g. dubitare possit, quin herbarum, animalium, variorum instrumentorum ruralium etc. nomina varia, in variis provinciis primum usitata, ac deinde

tam ²⁾, verborum caeterum neque aliis Dialectis ignotorum peculiare frequentat significationes ³⁾, illis qui loquentes recte intelligere Savones volunt, diligenter notandas, quamvis his (si pueros fortassis ac foeminas, quod idem de multis quoque valet Dialectis Svecicis, ex. gr. Darlecarlica, excipias) sensum tuum, lingua utens Fennica communi (qualis in *Bibliis* et reliquis adhibetur scriptis Ecclesiasticis, *Libro Hymnorum*, *Catechesi* etc.) satis plerumque reddere possis apertum. Maximam autem peculiaris vocabula *Pronuntiandi* ratio ⁴⁾, inprimis ob sonos quarundam vocalium crassiores et nonnullarum consonantium devitationem per-

in communiorem usum sensim transeuntia, vere Synonymica sint? Ex. gr. nostrorum *Luhdikka*, *Mesi-marja*, *Mesi mansikka*, *Maan-Maarama*, *Rubus arcticus*; *Maarama* l. *Maaran*, *Vaarama*, *Vaapukka*, *Vattu*, *Vatika* s. *Vatukka*, *Rubus idaeus* (quod idem nomen Savones Rubo etiam arctico tribuunt): *Kamppi* vel *Osmo Gulo*; *Kirvinen*, *Kirviäinen*, *Kiuru*, *Leivonen* l. *Leivo* Alauda: *Jyräs* (Satac.), *Junga* vel *Junkka* (Savon.) *Unka* (Ostrob. Austr.), *Rahnus* vel *Rahno* (Nyl.), *Pölkky* (Ostrob. Bor.), instrumentum quo terra aequatur cylindricum, quodque agricolis in usu est, mält. Sic *Räppänä* Tavastorum idem fere est ac *Lakeinen* Savonum, foramen in tecto per quod fumus emittitur: *Navetta* l. *Navetto* (Ostrob. et Sav.), *Ometta* l. *Ometto* (Tav.), *Pihatto* (Ab.) et *Läävä* l. *Leävä* (Car.), Bovile; sic *Sairas*, *Potovainen* (*potilas*), *Kipiä* aegrotum significat; *Pieni* (Diminut. *Pienukainen* l. *Pienykäinen*), *Pikku*, *Pisku*, *Pikkainen* l. *Pikkuinen* (Dimin. *Pikkarainen*, *Pikkuruinen*, *Piskainen*, *Piskuruinen*), *Vähä* (Dimin. *Vähäinen*) parvum; etc. Quin autem talis Synonymorum copia et ad variandam orationem, et saepe ad numeri ac metri facilitatem, vehementer prosit, nemo dubitat.

²⁾ Inprimis in Lingva Fennica, ubi praeter metri observandi commoditatem, parallelismo illi sententiarum adhibendo prosunt, quem Carmina Runica postulant, quique ad praecipua eorum refertur ornamenta.

³⁾ Sic *Haastan*, quod aliis Fennis *provocare*, *minari*, Savonibus simpliciter *loqui* denotat; *Rihma* Savonibus *filum lineum* trüb, (caeteris *Langa*, quae vox illis est *filum laneum*) aliis *tæniam* band, (Savonibus *Nauha*, quod vocabulum reliquis *lorum* valet) significat; ut sexcenta alia taceamus.

⁴⁾ Sic *Fenestra* Savonibus est *Ikkuna*, reliquis Fennis *Akkuna*.

petuam, huic Dialecto peregrinitatis speciem mox affert. Quae paullo accuratius exponenda sunt. Huc igitur pertinet primo, quod E breve in casu Nominativo plurali Pronominum Demonstrativorum convertunt in Diphthongum *Yö*, dicentes *Myö, Työ, Hyö*, pro *Me, Te, He*, quam Diphthongum etiam Y longo aliquando substituunt, dicentes ex. gr. *Myön, Myöskennellä*, pro *Myyn, Myyskennellä*. Deinde A longum crasso valde sono diphthongico efferunt, fere ut *oaa*, maxime in primis vocum syllabis, quibus nempe accentus quoque accedit: Ex. gr. *Moaa, Hoaapa, Hoaastan, Patoaa* (accus.), *Taivoaasta, Omoani, Manoan, Takoa*, pro *Maa, Haapa, Haastan, Pataa, Taivaasta, Omaani, Manaan, Takaa*; qui mos pronuntiationem valde reddit agrestem et quodammodo immanem. Saepe etiam, in fine vocum, A et E breve mutantur quasi in O ⁵⁾, ex. gr. *Sulo* pro *Sula, Tulemmo (Tulemma)* pro *Tulemme*; sed imprimis E longum, quo terminantur tertiae personae Indicativi Activi, in o aut ö longum ⁶⁾ (prout vocalis praecedens vel *durior* fuerit, ut a, o, u, vel *mollior* ut e, ä), commutatur. Ex. gr. *Potoo* pro *Potee, Tuloo* pro *Tulee, Menöö, Teköö* etc. Nec differentiam inter E et Ä, quam reliqui Fenni diligenter adeo observant, satis subtiliter vulgo exprimunt, dicentes fere *täköö* pro *tekee, Sy'ämmän, Syömmä* (vel *Syömmö*) *Olämma* vel *Olämmo, Tulän, Tulämmä* l. *Tulämmo*, pro *Sydämnen, Syömmе, Olemme, Tulen, Tulemme*.

§ IV.

Nec parum dissimilis sororibus suis facies huic Dialecto inde nascitur, quod Consonantes B, D et G, illis, licet rarius, aliquando tamen, commodioris et svavioris pronun-

⁵⁾ Amantes igitur ex. gr. *Emo, Neito, Kantelo, Oro*, pro *Emä (Emi), Neitzu (Neihty, Nehti, Neity, Neiti), Orhi (Orih, Ori, Oris), Kantele (Kandele)*, etc. inde etiam Diminutiva facilius formant: *Emoinen (Emonen), Neitonen* (pro *Neitynen, Neitzynen, Neitzykäinen*), *Oroinen (Oronen), Kanteloinen* (etiam *Kantelvoinen*) etc.

⁶⁾ Cfr. VHAELII *Grammat. Fenn.* § 9 p. 17 sq.

tiationis caussa adscitas ¹⁾ (nempe B post M, ac D et G post N ²⁾, ac etiam D ante vocales ³⁾ cfr. VHAELII l. c. § 3 N. 3 p. 2), prorsus rejiciat. Cum igitur T pro D substituere sine gravi aurium offensa ubique non liceat; litera illa abjecta vocales conjungit (quod idem fit, ad G inter duas nonnunquam vocales adhibitum evitandum, ut *Su'un*, *Lu'un*, *Pu'un*, pro *Sugun*, *Lugun*, *Pugun*), vel ut *Koan* (*Ko'an*), *Maon*, *Ootan*, *Piin*, *Käen*, *Suen*, *Veen*, *Veessä*, *Eessä*, (quae tamen plerumque pronuntiantur ut *Veissä*, *Eissä*) etc. pro *Kodan*, *Madon* (a *Kota* et *Mato*), *Pidin*, *Käden*, *Suden*, *Veden*, (a *Käsi*, *Susi* et *Vesi*); aut U loco τὸν D adsciscit, ut *Rauvan*, *Pöyvän*, *Käyvässäni* (pro *Raudan*, *Pöydän*, *Käydäsäni*), aut producit vel geminat antecedentem vocalem, *Totuuen*, (l. *Totuuvun*), *Kuuen* (vel *Kuuvun*) pro

¹⁾ Cui tamen mori, ad pronuntiationem svaviorem et accuratorem reddendam (pro nostro sensu) utique non inconsulto, plerique Fenni linguam suam attemperare aegre valent. Unde nonnulli Savonum imitantur rationem, alii pro illo D, pronuntiatu illis (nisi ante N) valde difficili, substituunt L vel R, quod in Tavastis inprimis observare passim licet, dicentibus v. g. *Tielän*, vel *Tierän*, *Vielään* l. *Vierään*, *Syölään*, l. *Syörään*; pro *Tiedän*, *Viedään*, *Syödään*: qui idem, ut illud D post H evitent, similiter pro *Tahdon*, *Kahden*, *Kahdexan*, *Mahdan*, *Ahden*, *Pohdin* etc. (in quibus Savones H illud durum plane abjiciunt, dicentes *Tahon*, *Kahen*, *Kahexan*, etc.) incommodo utique et inconcinno more dicunt *Tahlon* vel *Tahron*, *Kahlen* l. *Kahren*, *Kahlexan* l. *Kahrexan*, *Mahlan* vel *Mahran*, *Ahlen* vel *Ahren*, *Pohlin* vel *Pohrin*.

²⁾ Ut *Ombi*, *Suurembi*, *Ambua*, *Ambunut*, *Ambua*, *Lamburi*, *Kando*, *Kandava*, *Kandanut*, *Ongi*, *Ongen*, *Sanga*, *Sangan*, *Langa*, *Langan*, *Sangari*, *Sangarin*; etc. In quibus, etiam cum durius pronuntiantur, paullo tamen mollior observari sonus videtur, quam si *Ompi*, *Suurempi*, *Ampunut*, *Kantanut*, *Onken*, *Sankan*, *Lankan*, *Sankarin*, etc. dicatur: nec inconsultum putes, si paullo molliori pronuntiationi aures hominum nostrorum, quantum fieri possit, sensim adsvesiant: quod aliis quoque lingvis, culturae beneficio emollitis, accidisse reperimus; quae res diphthongorum etiam copiam, ut in Latina lingua, sensim minuit.

³⁾ Etjam saepe ante vocales: Ut *Odotan*, *Pöydän*, *Raudan*, *Tuodaan*, *Pidetään*, *Tiedän*, *Sydämnen*, *Pidin*, *Kadun*, *Tydyn*, *Lugun* etc.

Totuuden, Kuuden; aut dissolvens diphtongum, vocalium, ex quibus constat, priorem producit, posteriore abjecta ⁴⁾, ut *Syyään*, (*Syyvään?*) *Juuaan* (*Juuvvaan?*) *Tuuaan*, (*Tuuvvaan?*) *Viiään*, (*Vijään*), *Tijän*, (pro *Syödään*, *Tuodaan*, *Juodaan*, *Viedään*, *Tiedän*), aut posteriorem in Consonantem mutat affinem: *Neijet*, *Noijat*, *Voijeltiin*, pro *Neidet*, *Noidat*, *Voideltiin*, (a *Neiti*, *Noita* et *Voitelen*).

⁴⁾ Ad quem fere morem etiam diphthongos *Au*, *Eu*, *Ou*, litera Consonante (T vel P) inserta saepe dissolvunt, dicentes ex. gr. *Atra* pro *Aura*, *Petra* pro *Peura*, *Kopra* pro *Koura*.

OBSERVATIONES

CIRCA HISTORIAM DENARII PETRINI IN SVECIA.

DISSERTATIONES

QUAS

PRAESIDE

HENR. GABR. PORTHAN,

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBJECERUNT

HENR. JOH. MECHELIN et JOH. GUIL. TUDERUS.

Aboae 1802.

§ I.

Inter infinitas fere alias artes ¹⁾, pecunia credulos nostros majores emungendi, quas olim impudentia Curiae Papalis adhibuit, sic dictus *Census* sive *Denarius beati Petri* eminet, genus tributi annui, ipsius quidem summae magnitudine, quae olim ex Patria nostra Pontifici Romano quotannis redibat, non maximum, sed antiquitate tamen commemorabile, necessaria perpetuaque illud pendendi lege grave, ac dominationis ab una parte superbae, humilisque ab altera obsequii specie turpe atque acerbum. Mature hoc onus fidelibus imponere conatos fuisse Episcopos Romanos constat ²⁾, simplicitate allectos Christianorum, ex paganismi tenebris in crepusculum novae superstitionis nuper translatorum, quibus callide persvaderi curabant, Cathedrae a Petro, Apostolorum Principe, constitutae singularem et venerationem et benignitatem ab omnibus fidelibus deberi. Prima autem vestigia succedentis eis ex sententia hujus consilii, annum tributum a Regnis populisque alioquin liberis eliciendi, in Historia Anglica reperiri, homines eruditi docent ³⁾; quod exemplum alii deinde populi sensim imitati sunt. Neque tamen primo nisi spontaneum fuit subsidium (quare

¹⁾ Quas acri imprimis perstringit calamo Nob. BOTIN *Beskrifn. om Svenska Hemman och Jorda Gods*, II Del. III Cap. 3, 4, 5 §§. Neque eandem graphice depingere impudentem callidamque avaritiam negligit Nob. LAGERBRING in *Hist. Regni Svec.* T. II et III passim.

²⁾ Cfr. SCHROECKH *Christl. Kirkengesch.* XIX Th. p. 135, et XXVIII Th. p. 76 sqq. Diss. *de Denario b. Petri*, hic Aboae, Praeside ALG. SCARIN, a. 1737 editae § VII sqq.

³⁾ Auctores proxime laudati. Cfr. DU CANGE *Glossar. ad Scriptores mediae et infimae Latinitatis*, voc. *Denarius S. Petri*.

etiam *Eleemosynae* nomine solebat designari⁴⁾, partim ad inopiam sublevandam juventutis literarum sacrarum discendarum caussa Romam profectae, partim ad res Ecclesiae Romanae (tanquam reliquarum parentis et principis) adjuvandas collatum atque illuc missum⁵⁾; quod succedente tempore ac superstitione Romanae Sedis veneratione sensim aucta, debiti instar exigere atque etiam extorquere, Pontifices non dubitabant: imperium non sacrum tantum sed etiam civile quoddam, in totum orbem Christianum sibi arrogantes, cujus hunc quoque censum tanquam signum quoddam atque fructum spectari volebant⁶⁾. Ex originis autem suae ratione evenit, ut aliis in populis atque terris alia hujus tributi pendendi obtineret consuetudo, partim pro diversa gentium fortuna, partim pro conditionibus diversis quibus illud pendendum in se receperant⁷⁾, discrepans. In Svecia quo tempore, qua ex caussa, quaque lege primum conferri sacer hic census coeperit, accurate definire hodie aegre licet⁸⁾. Non pauci tempore jam *Regis Olavi Skötkonung*, ideoque mox inter ipsa initia Religionis Christianae in patria nostra dominantis, hunc morem (primitus admodum licet precarium) irrepsisse, haud absurde disputant⁹⁾: quorum rationi non modo plerorumque primorum

⁴⁾ Vid. DU CANGE l. c. Cfr. ÖRNHJELM *Hist. Sveonum Gothorumque Ecclesiast.* L. III, C. VIII § 47 sqq.

⁵⁾ DU CANGE et SCHROECKH l. l. c. c.

⁶⁾ Cfr. SCARIN l. c. § X, XI, p. 18 sqq.

⁷⁾ In Anglia erat severissimum et onerosissimum, unde Pontifices ad eundem morem aliis quoque populis illud injungere tentabant, non aequae felici ubique successu, ut ex sequentibus apparebit.

⁸⁾ Cfr. SCARIN l. c. Diss. II § VI p. 39 sq.

⁹⁾ ÖRNHJELM l. c. (Cfr. MESSENIUS *Scond. Illustr.* T. XV p. 15, ad a. 1020.) Argumentum autem, cui, ex cognomine Regis *Olavi*, (*Skautkonung*, in sinu gestati, ob infantilem suam aetatem, cum Rex eligeretur, ducto), idem MESSENIUS duce (*Scond. Illustr.* T. XII p. 41) innititur, putans paganos eum, ob tributum hoc Papae Romano concessum, per contemptum vocasse *Skottkonung*, quasi *Tributarium*, totum inane atque fictum est. Neque SCARINI disputatio (l. c. Diss. II § VII p. 41 sqq.) quidquam

illorum Doctorum ex Anglia (ubi idem mos jam invaluerat), ortus atque ad nos adventus admodum favet, sed etiam auctoritas Capituli concinere videtur Upsaliensis, cui negotium exigendi hujus tributi Pontifex demandaverat, quodque literis ad hunc datis testatur: *Mox ut rex et incolae regni ejusdem (Sveciae) colla sua jugo fidei submiserunt, seipsos constituerunt Sedis Apostolicae censuales, census qui dicitur Denarius b. Petri de foco quolibet annis singulis exsolvendo* ¹⁰⁾. Sententia igitur virorum doctorum ¹¹⁾, qui opera demum Cardinalis Albanensis, atque in concilio sive Comitibus Lincopiae circa medium seculi XII congregatis, hoc tributi genus fuisse in Svecia primo constitutum asserunt, ita fortassis est temperanda, ut in eo denique concilio, solenni quodam populi Sveo-Gothici consensu vetus mos fuerit confirmatus? Valde igitur a vero aberrant, manifestissimisque rerum testimoniis repugnant BAAZIUS ¹²⁾, et BANKIUS ¹³⁾, qui patriam nostram turpe hoc Paparum ju-

huic hypothese addit ponderis. Cfr. A CELSE *Apparat. ad Hist. Sveo-Goth.* Sect. I p. 34, qui merito ad consensum monumentorum antiquiorum, contrarium docentium, provocat.

¹⁰⁾ Vid. edita a Dn. Praeside *Accessio ad Recensionem Celsianam Bullarii Romano Sveo-Gothici*, p. 126. Nescio an haec commode referri possint ad gesta Cardinalis Albanensis, et Concilium Lincopense, sesqui seculo antequam haec scriberentur celebratum, postquam inde per sesqui seculum jam Rex et magna pars Populi Christianam fidem professi fuerant? nisi tum demum, cum Hierarchiae ratio per decreta illius concilii stabilior nancisceretur formam, eosdem *colla sua jugo fidei submisisse*, satis profecto ingenue, auctores Epistolae significasse, existimes? Quum jam a. 1140 Papa Paschalis II Archiepiscopum Lundensem admonerit de more census b. Petri pendendi, per *aliquod tempus in Dania intermisso*; aegre credas, nihil fuisse in Svecia de eo exprimendo, ante a. 1152 tentatum? Ac ipsa illa differentia insignis, quae inter rationem tributi hujus in diversis Regni provinciis pendendi obtinuit, indicare videtur, non eodem tempore, aut communi decreto, fuisse introductum.

¹¹⁾ Vid. LAGERBRING l. c. T. II, C. V, § 115. A CELSE l. c. p. 34, § XXVIII.

¹²⁾ *Inventar. Ecclesiae Sveo-Goth.* L. I, C. XII, p. 144.

¹³⁾ LAUR. BANCK *de Tyrannide Papae*, p. 418 sqq.

gum passam omnino non fuisse, contendunt ¹⁴⁾; neque minus (ut in sequentibus docebitur) hallucinatus fuit vir doctissimus, qui illud gravius majorum nostrorum quam vicinorum Danorum incubuisse humeris, existimavit ¹⁵⁾.

§ II.

Quod ad magnitudinem pecuniae attinet, a civibus hujus census nomine olim pendendae, eam hodie non est facile definire. Multis quidem constat certisque testimoniis, non ut in Anglia ¹⁾, ab homine quovis, (quem morem apud nos quoque Pontifices, sed frustra, introducere tentarunt ²⁾, sed a quovis patrefamilias ³⁾, neque illo nisi fundi simul

¹⁴⁾ Cfr. SCARIN l. c. Diss. I, § IV, p. 30 sqq. et NETTELBLADT Diss. de *Episcopis Regni Svonici Romano-Catholicis*, in EJUSD. *Schved. Bibl. P. III*, § X.

¹⁵⁾ SPITTLER in Diss. de *Regnis septentrionalibus Sedi Romanae olim censualibus*, (a R. Societate Scientiar. Daniae praemio ornata); cfr. SCHROECKH. l. c. T. XXVIII, p. 78.

¹⁾ DU CANGE l. c. idoneis docet testimoniis, ibi *neque Regem, neque Archiepiscopum, vel Episcopum, vel Priorem, aut quemlibet de regno, ab ejus solutione fuisse immunem*; dare autem debuisse *unumquemque qui haberet feminam, unum Denarium, et qui non haberet, unum Obulum, praeter Francalanos* (h. e. ut in hac voce idem explicat, *qui liberum tenementum possiderent*).

²⁾ Sic commiserat Papa Archiepiscopo et Capitulo Upsaliensi, ut Denarium a *quolibet humano capite* exigent; cui illi morem leniorem, in hoc regno receptum, opposuerunt. Cfr. A CELSE l. c. p. 121, et LAGERBRING l. c. T. II, C. XIII, § 18 p. 402. Itaque temere MESSENTIUS l. c. affirmat, Anglorum exemplo apud nos quoque obtinuisse, ut „*per universas regni ditiones quilibet homo, trium marcarum, praeter vestes et arma, possessor, unum quovis anno contribuerelet nummum*.“ A quo in eundem errorem se induci passus fuit SCARIN l. c. Diss. III, § 3 p. 7.

³⁾ De *foco quolibet* (hvarje Hög?) ut habent Literae Capituli Upsaliensis, (ad Papam Johannem XXII, circa initium seculi XIV, datae) supra citatae ex *Access. ad Recens. Bullar. Celsianam*, p. 126.

possessore atque agrum colente⁴⁾, Denarium hunc quotannis fuisse solvendum. Sed qualis nummus quantique pretii is fuerit, dubium videtur. *Örtugam* (*Örtug*) sive tertiam *Orae* (*Öre*) partem, vulgo *Denarium* Latine olim fuisse vocatam, satis constat⁵⁾; quae hoc semper nomine apud BRENNERUM inde significatur⁶⁾. Tales *Ortugae* XXIV *Marcam* Argenti (*Thalerum* fere *Imperialem* hodiernum) circa medium seculi XV valore aequabant, antiquioribus temporibus multo majoris, recentioribus autem minoris erant pretii⁷⁾. Cujusmodi Denarii pars dimidia, *Semidenarius* vel *Obolus* (*Half-Örtug*, *Fyrf*) audiit, octava autem pars (cujusmodi XXIV *Orae*, CLXXXII *Marcam* implebant), *Peningus* (*Penning*) dicebatur⁸⁾. Hujus igitur valoris Denarius (*Ortuga*) si quo-

4) In responso igitur Archiep. *Hemmingi* et Capituli Upsaliensis ad Actionem *Johannis Guilaberti* (vid. LAGERBRING et A CELSE l. l. c. c.) dicitur, „quod *Rustici*, qui in dioecesi Upsaliensi colunt et seminant in anno denarium integrum monetae in regno currentis solvant, (LAGERBRING l. c. p. 403, not. 2 habet clarius: „dant et conferunt in illo anno pro se et tota familia suae Domus unum denarium integrum monetae in regno Sveciae communiter currentis“), *quamvis in aliis suae dioecesis provinciis* (LAGERBRING planius et commodius, an ad fidem exempli originalis accuratius? „quamvis in aliis dioecesibus Provinciae Upsaliensis“), *non conferant nisi Obulum, sive medium denarii dictae monetae; aliis vero qui non colunt nec seminant, non consueverunt* (LAGERBRING commodius: „alii vero - - - non consueverunt“) *dare istum censum*. Inquilini itaque, operarii atque opifices omnis generis, ab hoc tributo solvendo erant immunes. Urbium incolae, agris carentes, nondum multi in Svecia reperiebantur.

5) BRENNERI *Thesaurus Nummorum Sveo-Gothicorum*, Praef. pag. penult. „*Ortugae*, quos nummos olim nostrates Latine vocarunt *Denarios*.“

6) In opere laudato.

7) Cfr. BOTIN *Jämförelse imellan mynts och varors värden i Sverige* (Stockh. 1771) et HALLENBERG *Hist. afh. om Mynt och Varors värde i Sverige under K. Gustaf I:s Regering*, (Stockh. 1790).

8) Vid. BRENNER, BOTIN et HALLENBERG l. l. c. c.

tannis pendebatur (2 circiter hodierni nostri Skillingi, medio seculi XV, antea plus), grave sane pro illorum ratione temporum atque in illa pecuniae raritate, erat tributum ⁹⁾.

§ III.

Sed alium longeque minorem Denario ¹⁾ huic valorem tribuit ÖRNHJELM, qui ea voce *Penningum* (24 partem Orae) significari autumat ²⁾, *Ortugam* vero *Solidi* nomine (nescio an veterum consuetudini satis convenienter?) appellat ³⁾. Favet huic rationi, quod Ortugas non ante medium seculi XIV cudi coepisse, antiquitatum nostrarum consulti docent; ad quam usque aetatem nullam fere aliam pecuniam quam Penningos (et Semi-Penningos) in patria fuisse signatam,

⁹⁾ Hoc inprimis ex mercium aliarum cum pecunia existimari potest collatione. Sic observat BOTIN, in Lege Dalica, *Anserem Semi Penningo*, *Vitulum* qui octiduum aetatis impleverat *Penningo* aestimari (l. c. p. 9); initio seculi XIV (circa a. 1335), *Vacca* 12 *Oris*, *Ovis* 1 Ora cum triente (8 penningis), libra *Butyri* et *Carnis Suillae* 3 penningis emebatur, et s. p. (ib. p. 20 sq.) *Denarium* tamen *S. Petri*, quem apud Anglos singuli homines pendere cogebantur, ipse asserit LAGERBRING (l. c.) valore nummos (nuperos) VI Orarum aequasse; cui si Denarius nostrorum Petrinus aequipollebat, totus ejus huic rationi superstructus de multitudine incolarum in Svecia olim viventium calculus atque disputatio, ibidem legenda (nec alioquin firmissimis, pro nostro quidem iudicio, nixa fundamentis), corrui. Neque mirum videbitur, si tantae hic census fuit gravitatis, eum reluctantius, neque aut constanter aut accurate satis, fuisse solutum.

¹⁾ Cujus vocabuli, ut plerorumque aliorum ad veterem rationem pecuniariam significandam adhibitorum, admodum varium fuisse usum negari nequit: adeo ut saepe nonnisi quemcumque, in genere, nummum significasse videatur?

²⁾ Cfr. EJUSDEM *Hist. Ecclesiast.* L. IV, C. VII, § 17 p. 559. Cum eo facit LAGERBRING l. c. T. II, C. XIII, § 18, p. 402.

³⁾ Aegre saltem quidquam ad sententiam suam confirmandam roboris ex literis Archiepiscopi *Stephani* ibidem (p. 558) legendis accedit, qui per *Marcas* et *Solidos* numerat, sed apud quem *Solidus* sine dubio *Oram* significat?

observant⁴⁾. Neque omnino inepte ad eandem rationem confirmandam adhiberi queat locus ex Epistola *Osteni* Episcopi Asloensis, apud PONTOPPIDANUM legenda (*Annal. Ecclesiae Dan.* T. II, L. V, C. 2 p. 248) qui a. 1395 ad suos scribit Norvegos: „Curate omnes, ut tributum Romanum „pendatis, unusquisque qui Eucharistiam accedit⁵⁾, numeratum *nummum minimum qui ex incude Regia decedit*; hanc „pecuniam Sanctus Petrus qui Romae est, possidet, ideo- „que tributum Romanum (Denarius S. Petri) vocatur.“ Mira autem videatur, (nec fortassis nisi ex diversitate temporum et conditionum, quibus census hunc sibi imponi passi sunt, explicari potest) magna illa diversitas, quae in illo pendendo inter incolas provinciarum diversarum Patriae obvenit: quorum alii, ut trium *Folklandiarum*, (Thiundaland, Attundaland et Fjärdundaland) h. e. *Uplandiae*, habitatores, duplo plus quam reliqui solverunt⁶⁾, alii autem, ut in-

⁴⁾ Cfr. BRENNER l. c. p. 15, et Tab. V; nec non BERCH *Beskrifning öfver Svenska Mynt*, p. 25.

⁵⁾ Docent haec verba, acerbius in Norvegia (ubi *viritim* illud pendere debebant) quam in Svecia exactum hoc fuisse tributum, contra quam nonnulli putarunt viri eruditi.

⁶⁾ Quam rem satis illustrat locus ex responso Archiep. et Capituli Upsaliensis contra *Gulabertum*, nuper adductus (§ II Not. 4). Praeter *Gothiam* (Dioceses *Scarensem*, *Lincopensem* et *Wexionensem*) neque in Svecia *Strengnesensem* et *Arosiensem*, (quamvis Episcopi, etiam in his, ab incolis integrum Denarium exigerent), nisi dimidium voluisse Romam mittere, ex querela *Nicolai Sigvasti*, Canonici Upsaliensis simulque Exactoris Apostolici, patet, qui in Epistola ad Papam saepe commemorata, scribit: „Duo sunt ibidem (in Svecia) *Episcopatus*, videlicet „*Strengnesensis* et *Arosiensis*, de quibus non potuit habere nisi „dimidium denarium usuaem, Episcopis praetendentibus, quod „*ipsorum Ecclesiae plus exsolvere non consueverant ab antiquo*. „- - - Sed quoniam in tali exsolutione fraudem reputamus factam legi, et Sedem Apostolicam laesam in tanto, quod esse „non debet, praesertim *cum tantum levent a laycis illarum Dyocesium, quantum alii, qui integrum denarium exhibent* etc.“ (Vid. *Access. ad Rec. Bullar. Celsianam*, p. 124). Neque Gothicarum Diocesium, neque Aboënsis, hic ulla fit mentio. An quia, licet neque illarum Episcopi nonnisi dimidium denarium,

colae *Helsingiae* 7), et verisimiliter *Finlandiae* 8), omnino nihil dederunt 9).

aut adeo nihil, Papae darent, tamen *fraudem facere legi* (obligationi in se receptae) dici non possent, quia nec plus a dioecesanis suis exigent? Vel num vocabulum *alii* plures quam Upsaliensem respicere Antistitem (quique igitur et illi integrum solvebant denarium) existimari debet? Probabile sane videtur, per totam saltem *Sveciam*, proprie sic dictam, eandem olim obtinuisse tributi hujus solvendi rationem; et quod Episcopi Strengnesensis et Arosiensis nonnisi dimidium Papae concederent (reliquam partem Ecclesiarum suarum Cathedralium usibus reservantes), cum Denarii tamen Petrini nomine integrum a laicis exigent, abusum prodere, et audaciam illis temporibus insignem? Quod de Lincopensibus satis constat ex monumentis infra allegandis, id de Scarensibus ex querela ejusdem, quem nuper nominavimus *Nicolai Sigvasti*, (l. c. p. 126 sq.) apparet, nempe eosdem etiam Denarium S. Petri solvisse: idemque de Wexionensibus existimandum est?

7) *Norrländiae* nostrae incolae, a censu hoc solvendo omnino fuisse immunes, ex testimonio Archiep. et Capituli Upsaliensis ad actionem Johannis Guilaberti, supra commemoratam (cfr. LAGERBRING l. c. p. 403, Not. 2 et A CELSE l. c. p. 18) liquet, ubi dicitur: „Est autem quaedam regio in dicta dioecesi Upsalensi, quae vocatur *Helsingonia*, *Angermannia* et *Jampcia*, quae nunquam consuevit dare aliquid pro dicto censu, nec aliquid fuit exactum ab eisdem.“ Ex adductis a LAGERBRINGIO l. c. C. XIV, § I, Not. 4. Literis Papae Gregorii IX, (cfr. A CELSE p. 65, N:o 13), quibus jubet Decimas ab Helsingis sibi debitas (quas cum illi solvere denegassent, Archiepiscopus Upsal. in suppletionem ipsarum, Papae quandam transmiserat pecuniae quantitatem) accurate et severe exigi; colligi fortasse possit, harum decimarum Papalium nomine, ab incolis hujus provinciae peculiariter solvendarum, illos a censu pendendo Petrino fuisse exemptos? aut illas hujus loco fuisse iis impositas? (quod suspicari LAGERBRINGIUS videtur (l. c. p. 415). Sed primo, hujus rei in Apologia Archiep. et Capituli Upsal. saepe laudata, nulla fit mentio; deinde respici, probabile videtur, vicissimam decimarum quam pendere (in subsidium recuperandae Terrae Sanctae) atque ad Papam transmittere, ex decreto Concilii Lateranensis tota Ecclesia Latina debuit, quamque Clerus Helsingicus erogare fortassis recusavit?

8) In *Rationibus Receptorum per Joannem de Serrone — et Bernardum de Ortal* (Hortulis?) *Nuntios Apostolicos et Collectores* (ab a. 1316 ad 1319) in *Norvegia, Svecia et Gocia*

§ IV.

Mediocre[m] admodum summam ex hoc censu ad Cameram Apostolicam (ut aerarium suum Pontifices Romani vocabant) rediisse, vel ex supra dictis colligi potest. Neque vel totam pecuniam hoc nomine collectam Pontifici cessisse, vel accurate et constanter illam semper fuisse a nostris exactam et transmissam, credere licet. Causa enim est putandi, trientem ejus *Fratribus Hospitalis Sancti Johannis*, hic, ut in Dania olim cessisse¹⁾. Romam vero ne quotannis prompte et diligenter mitteretur, cum locorum in-

etc. quorum exemplum ex Codice Archivi Vaticani descriptum, Generosiss. Dn. FREDENHEIM, Bibliothecae R. Acad. Aboënsis dono dedit, (vid. Praef. *Accessionis* editae a Dn Praeside ad *Rec. Bullar. Celsianam*), docetur: Fratrem *Goshalcum, Lectorem Fratrum Praedicatorum Fillandiae* (Finlandiae), quem Nuntii iidem ad hoc negotium in Finlandia gerendum adhibuerant, testatum, illis non renuentibus, fuisse: *De Denariis S. Petri nihil colligi in dicto Episcopatu* (Aboënsi). Cfr. dictae *Access. ad Rec. Bullar. Celsianam* p. 132, et *Annot. ad Juusteni Chronicon Episcopor. Finland.* p. 200 sq. Neque exacti hinc illius tributi, ulla apud nos vestigia haecenus reperta sunt.

⁹⁾ Credas harum terrarum incolas, cum primum census ille Svecis imponeretur, partim nondum fuisse Christianam fidem amplexos, partim conditionem eorum tenuiorem visam, quam ut hoc onere gravari deberent? Postea autem, Decimarum pendendarum necessitati, quam Clerus inprimis urgere haud neglexit, populo reluctanti eum addere, minus visum fuisse consultum? Praeterea, aliis inventis reddituum generibus, magis fructuosis, Curiam Romanam minoris hunc censum habuisse momenti; nec posteriores doctores adeo de Sedis Romanae augendis redditibus fuisse sollicitos, ac primos illos ex Anglia missos huc Apostolos existimes, quos ipsos tot impositis oneribus, quot eorum successores, illa nondum gravaverat.

¹⁾ *Nicolaus Sigvasti*, loco supra citato, p. 125: „Scio, inquit, quod in Lundensi et Roskildensi Dyocesibus, *solvuntur tres obuli, quorum unum levant Fratres Hospitalis Sancti Johannis*, et duo, prout audivi pro vero a veridicis, Ecclesiae Romanae debentur, et similiter nobiscum (apud nos?) *Fratres praedicti partem levant*. Consveverunt enim illa tria regna in talibus ad similia judicari.“

tercapedinem atque itineris difficultatem impedivisse putandum est (Tabellariorum publicorum, Comerciorum et Cambii ratione expedita, quae hodie obtinet, nondum inventa atque constituta), tum frequentes bellorum ac seditionum procellas, internam Reip. tranquillitatem subinde turbantes²⁾. Quare saepe de tarda nimis hujus tributi vel exactione vel transmissione questos fuisse Pontifices, reperimus, atque de pecunia collecta in Italiam tuto transferenda consilia dedisse³⁾; quin peculiare tandem Exactores atque Nuntios, ejus impetrandi atque apportandi causa huc in septentrionem Roma misisse. Primo quidem colligendae ejus cura, hic ut in Anglia⁴⁾, ad Presbyteros Parochiales et cujusque Dioeceseos Episcopos pertinuit⁵⁾. Deinde autem cum in-

²⁾ *Idem ibidem*: „Noverit Sanctitas Vestra, quod Decimae „Terrae Sanctae indictae - - - collectae sunt et servantur in „moneta usuali, nec possunt subito utiliter commutari, quia ca- „ristia auri et argenti est ibi, sed modo praecipue propter guer- „rarum commotiones omnia devastantes, quae ibi saevierant mul- „tis annis, - - - et ideo de ipsarum commutatione et depor- „tatione major difficultas ingeritur, praecipue quia Rex terrae „(*Magnus Erici*) puer est, et principes communiter dominantur, „incedentes singuli in multitudine nimis gravi, et ex hoc pluri- „mum vacillat Regni gubernaculum, nec Praelati ibi aliquam „ibidem jurisdictionem obtinent temporalem, et multi Nobiles „sunt egentes, ac propter guerras ad insidiandum et rapiendum „expositi jugiter et parati.“ Atque infra (p. 126): „Canonici „Skarensis Ecclesiae, cum dudum ex mandato - - - Archiepi- „scopi et Capituli Upsalensis Denarium S. Petri ad Upsalensem „Ecclesiam deferrent, assignandum eisdem, fuerunt statim ante- „quam duas leucas peregissent, summa totali quam ferebant et „rebus aliis ac equis in itinere spoliati.“ Cfr. *ibid.* p. 78.

³⁾ Cfr. ex. g. *Access. ad Recens. Bullar. Celsianam*, p. 56 sq. 112.

⁴⁾ „Colligebatur in festo Vinculorum S. Petri - - - a Praelatis ipsis, ut liquet ex Innocentii III. Lib. XVI, Epist. 173.“ DU CANGE l. c.

⁵⁾ *Nicolaus Sigvasti* l. c. p. 124: „Simile inveni in Dacia, scilicet quod a rusticis solvitur et per Presbyteros parochiales colligitur; collectusque defertur ad Ecclesias Cathedrales.“ In Bulla Papae *Anastasi* IV ad *Episcopos Svecos*, medio seculi XII

commodius videretur, hanc molestiam, census Dioecesium suarum Romam mittendi singulis injungere Episcopis; uni alicui negotium symbolas reliquorum colligendi, et confectam inde summam ad Sedem Pontificiam transmittendi, committere consultius videbatur. Hanc curam Episcopo *Arosiensi* (ita ut munere quodam ordinario *Collectoris generalis, sive Sedis Romanae in Sveonia perpetui Commissarii et Thesaurarii*, defungeretur), in patria olim incubuisse, viri doctissimi asserunt⁶⁾; frustra, ut nobis quidem videtur. Ex monumentis enim superstitibus patet, hoc officium *per Regna Daniae et Sveciae* administrandum a Papa *Innocentio III* (initio seculi XIV) commissum fuisse *Andreae* Archiepiscopo *Lundensi* (cf. A CELSE I. c. p. 49 sq. N:o 7); cui opem in hoc negotio perficiendo Archiepiscopus *Upsaliensis* tulisse videtur, (vid. Epistola Ejusd. Papae ad omnes incolas Dioecesis *Upsaliensis*, 13 annis serius data, A CELSE I. c. p. 54 N:o 23). Eidem curae P. *Honorium III* deinde prae-fecisse Episcopum *Arosiensem*, ex literis illius discimus (A

data (quae una cum Papae ejusdem literis ad R. *Svercherum* Seniore eodem tempore exaratis, antiquissima sunt monumenta in quibus *Denarii* hujus *S. Petri* fit mentio) monet eos, „ut censum, quem regnum et populus b. Petro annuatim statuerat solvendum, quisque de suo Episcopatu annis singulis colligere et *Sedi Apostolicae transmittere* fideliter studeat.“ Habetur apud *MESSENIUM Scondiae Illustr.* T. XII, p. 93 sq. Cfr. A CELSE I. c. p. 34, N:o 2. Similiter in Epistola altera ad R. *Svercherum* et universos Proceres *Svethiae* missa, scribit: „Censum autem quem in argumentum devotionis vestrae b. Petro de terris vestris persolvendum annis singulis statuistis, fratribus nostris Episcopis tribui faciatis, ut per eos *Sedi Apostolicae transmittatur*.“ Exhibet eam *ÖRNHJELM* I. c. p. 452 sq. Cfr. A CELSE I. c. p. 34, N:o 1.

⁶⁾ *MESSENI* auctoritatem secuti (qui hoc pluribus locis asserit *Scond.* T. II, p. 7, XII, p. 125, XI, p. 41) *SCARIN* I. c. Diss. III; § IV, et A CELSE I. c. p. 34, N:o 2 (qui ad Bullam Papae *Honorii III*, 3 Non. Jan. 1221 dat. provocat) alique hoc urgent. Ex Bulla autem illa *Honorii* nihil aliud liquet, nisi tum temporis, (ut alias aliquoties) fuisse hanc curam *Arosiensi* demandatam Episcopo, quae deinde quibusdam aliis similiter fuit commissa.

CELSE I. c. p. 58, N:o 14). Postea autem fuisse idem hoc munus creditum *Archiepiscopo Upsaliensi*, ex literis videmus ad eum P. *Clementis V* (initio seculi sequentis XIV datis), quibus de ratione reddenda pecuniae hujus a se collectae, et ea secum, ubi ad Concilium generale veniret, apportanda, monetur (A CELSE, I. c. p. 104 ⁷). Ab eodem Archiepiscopo ejusque Capitulo, hujus collecti census rationes exposcebat etiam triennio post P. *Johannes XXII* (A CELSE I. c. p. 107, N:o 5 et 6, cfr. p. 108 N:o 11 et 12 ⁸); nec minus *Johannes Guilaberti* (Nuncius et Collector Apostolicus), medio ejusdem seculi, ab Archiepiscopo et Capitulo Upsaliensi (nulla facta *Arosiensis* Episcopi, aut ullius suae de hoc negotio curae, mentione) ejusdem Census rationes severe exigebat (A CELSE I. c. p. 121, N:o 18). Anno 1382 *Nicolaum* Episcopum Lincopensem munus gessisse reperimus *Nuncii et Collectoris Sedis seu Camerae Apostolicae in Regno Sveciae, specialiter deputati* (Vid. NETTELBLADT *Schwed. Biblioth.* P. III p. 234); et anno demum 1396 *Nicolaum* Episcopum *Arosiensem* hac eadem dignitate *Apostolicae Sedis Nuncii atque Collectoris* rursus reperimus ornatum. (A CELSE I. c. p. 153). Vectigalibus autem Curiae Romanae ex Svecia coactis sensim crescentibus, atque ut simul accurate atque tempestive magis in Cameram Apostolicam apportarentur, operae pretium visum fuit, peculiare hoc consilio Nun-

⁷) Vi hujus mandati, Archiepiscopus *Styrberno* Episc. Strengnesensi sub excommunicationis censura injunxit, ut Denarium Petrinum per suam Provinciam collectum, intra mensem apportaret; quod cum factum non fuisset, minasque suas ille implevisset, occasionem hoc dedit Canonicis Strengnesensibus, Epistola ad Archiepiscopum missa, protestandi contra immissam ipsis, quod censum illum non erogassent, excommunicationem: regerebant nempe se hujus debiti antea non fuisse admonitos. (Vid. A CELSE I. c. p. 113, N:o 28). Videtur idem abusus in caussa fuisse, de quo querentem supra *Nicolaum Sigvasti* audivimus.

⁸) Ex hujus literis cum ad Regem tum ad Electum et Capitulum Upsaliense colligas, aegrius homines hoc tributum solvisse.

tios atque *Collectores* huc mittere ⁹⁾: quorum nomina haud pauca, monumenta nostra vetera conservarunt.

§ V.

Tales fuerunt ¹⁾: (ut de *Nicolao* Cardinali *Albanensi*, et *Wilhelmo* Episcopo *Mutinensi*, postea Card. *Sabinensi*, nihil dicamus) *Gregorius de Crescentio*, *S. Theodori* *Diaconus Cardinalis*, *Apostolicae Sedis Legatus*, a Papa *Honorio III* ad terras Septentrionales circa a. 1220 missus. (Vid. A CELSE *Apparat. ad Hist. Sveogoth. Sect. I* (s. *Recensio Bullarii Romano-Sveogothici*) p. 58, N:o 12 et *Access. ad illam* (hic Aboae ed.) p. 14, N:o 28).

Guido tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, *Apost. Sedis Legatus*, circa a. 1266 has terras visitans. (Vid. A CELSE l. c. p. 82 sq. N:o 6—16).

Magister *Bertrandus Amalrici*, *Canonicus Remensis et Papae Capellanus*, a *Gregorio X* circa A. 1274 missus in Sveciam et Daniam, inprimis ad colligenda ex decreto Concilii Lugdunensis subsidia pro passagio ad Terram sanctam, nempe *decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum per sex annos*: Qvem vero, ut plures suos successores, nec reliquorum reddituum Papalium recipendorum molestiam detrectasse, verisimile est; ac de quo, et corrassa hic per eum pecunia, (praeter *LAGERBRING Svea Rikes Hist. II Del. C. 19 § 2 et 3*, p. 731—735) Vid. A CELSE l. c. p. 85, N:o 5, et p. 88 N:o 2. Hunc anno adhuc 1279 in

⁹⁾ Qui adjugebant sibi in hoc negotio non modo Episcopos et Capitula, sed alios quoque adjuutores et sub-Collectores; cujus generis Procuratores, nostrates quoque Antistites, quibus haec provincia cesserat, adhibebant: talem fuisse laudatum a nobis saepius *Nicolaum Sigvasti* reperimus (vid. A CELSE l. c. p. 108, N:o 11 et 12, et *Access. ad Recensionem hanc suam Bullarii* p. 124 et 131).

¹⁾ Ediderunt Upsaliae a. 1763 et 1764, *Joh. Gust. Kinberg* et *Laur. Lönner* *Dissertationes II*, Praeside Cel. *Ekerman*, de *Legatis Nuntiisque Papalibus in Sveciam missis*; quibus supplementum locuples ex indicatis a nobis hac § fontibus, haurire atque addere licet.

Svecia fuisse commoratum, Papamque de collecto ab eo thesauro in Italiam, ex *Portu Scarensi* (fortassis *Ludosia*, Svet. Lödöse?) per Franciam tuto deferendo, curam gessisse, constat: cf. *Access. ad Recens. Bullarii Cels.* p. 56 sq. N:o 1.

Franciscus Nicolai de Tibertis, Papae Clementis V The-saurarius, et Procurator Hospitalis S. Johannis, qui cum *Martino de Jugulo*, circa a. 1308, pecunias conquisitum in Septentrionem advenit (Vid. A CELSE p. 102, N:o 10).

Johannes de Serone, vel Serrone ²⁾, *Prior Fratrum Ordinis Praedicatorum de Figiaco, et Magister Bernardus de Ortulis* ³⁾, *Rector Ecclesiae S. Mariae de Novalibus*, ille Caturiensis, hic Electensis Dioecesium, de rebus procurandis pecuniariis illi quoque ab eodem Pontifice, circa a. 1316—1326, Nuntii in Sveciam ablegati (Vid. A CELSE l. c. p. 109 sq. N:o 16, 17, 18. Cf. *Access.* p. 74 sq. N:o 8 et p. 132).

Bernhardus de Monte Valrano, Archidiaconus Sicoloniae in Ecclesia Bituricensi, cui Nuncio suo Papam *Johannem XXII*, circa a. 1322, cum negotium colligendi *Nummi Petrini*, tum aliorum reddituum camerae Apostolicae vindicatorum exigendorum, demandasse, reperimus: (Vid. A CELSE l. c. p. 108, N:o 14, et ad ejus opus *Access.* p. 73, N:o 6 et p. 132).

Petrus Gervasii, Canonicus Vivariensis, quo idem Papa, diligens reddituum Apostolicorum conquisitor, ad negotia sua pecuniaria hic curanda Nuntio, circa a. 1328—1333, utebatur. (Vid. A CELSE l. c. p. 112—114, N:o 24 sq. *Access.* p. 78 et 132 ac *Annot. ad M. Pauli Juusten Chronicon Episcoporum. Finland.* p. 200 sq.)

Johannes Guilaberti, (quem alibi etiam *Philaberti* vel *Lamberti* vocari docet A CELSE), *Decanus Tarbatensis et Canonicus Viridunensis, in Regnis Daciae (Daniae) Sveciae ac Norvegiae, Apostolicae Sedis Nuncius et Collector omnium*

²⁾ A CELSE habet etiam *Senone*, quod vitio deberi scriptio-nis, putamus.

³⁾ An de *Hortulis*? Scribitur etiam *Ortolis* et *Ortalis*, vitiose.

(et) singularum quantitatum, Pecuniarum, bonorum, jurium et rerum quarumlibet aliarum, ad Romanam Ecclesiam sive Cameram Apostolicam pertinentium, Papae Clementis VI et Innocentii VI jussu, circa a. 1346—1360, hoc munere fungens. (Vid. A CELSE l. c. p. 120—127, N:o 14, 18, 21, 22, 24, 25; porro 6, 7, 8, 13, 14, 16.

Raymundus de Galancio, Nuncius Papae Innocentii VI circa a. 1353 ad regna haec aqvilonaria. (A CELSE p. 124, N:o 2).

Henricus Biskop, Praepositus Lubecensis, ejusdem Papae Capellanus et Nuncius a. 1360—1362. (Vid. A CELSE p. 127, N:o 16 et 20: cf. p. 128, N:o 4).

Rogerus, Nuncius Apostolicus (Papae Urbani V) circa a. 1363. (Vid. A CELSE pag. 128, N:o 4).

Guido de Cruce, juris peritus, Rector Ecclesiae S. Andreae de Exociis Mirapicensis dioeceseos, Capellanus Papae, et Apostolicae Sedis per tria regna Septentrionalia Nuncius et Collector, (denarii Petrini, etc.) circa a. 1364 ab *Urbano V* missus. (Cf. A CELSE l. c. p. 128—131, N:o 3, 6, 9—11 et PERINGSKÖLD *Monum. Upland. T. II* p. 149).

Henricus, Episcopus Slesvicensis, Nuncius per regna Daciae, Sveciae, et Norvegiae, Collector Sedis Apostolicae (*Gregorii XI*) circa a. 1372 et 1373 constitutus. (A CELSE p. 133 sq. N:o 3, 5—8). Qvi *Subcollectoribus* usus est cum *Engelberto de Oyen, Canonico Lubecensi*, tum *Henrico Velsceden, Capellano suo*. (Ib. p. 133 et 134, N:o 5 et 7).

Pileus tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis, Nuncius, per Aqvilonares partes, sedis Apostolicae (*Urbani VI*) circa a. 1378: qvi tamen, an ipse huc accesserit, valde dubium est. (A CELSE p. 138, N:o 3).

Johannes de Castignollius, Abbas Claravallensis, Commissarius et Collector Apost. (ejusdem Papae) per regna Daciae, Sveciae et Norvegiae, circa a. 1380. (A CELSE p. 143, N:o 24).

Philippus de Alenconio, Cardinalis et Apostolicae Sedis Legatus a latere (Bonifacii IX) circa a. 1395: qui *Subdele-*

gato et Nuntio speciali utebatur Dethberno Hevenstridt, Ecclesiae Othoniensis Praeposito. (A CELSE p. 153, N:o 23).

Ludovicus de Ballionibus, Mercator Perusinus, Nuncius et Collector Apostolicus, cui, vacante licet (tempore Concilii Constantiensis) Sede Apostolica, Romanae tamen Ecclesiae et Concilii generalis nomine necessaria haec colligendarum pecuniarum cura (a. 1413—1417) erat commissa, quique Johanne Grote, Clerico Slesvicensi, pro Subcollectore utebatur. (Vid. A CELSE l. c. p. 168, N:o 3—6).

Bartholomaeus, Episcopus Coronensis, Nuntius et Orator ad Daniae, Sveciae, Norvegiae et Gothiae regna etc. pro nonnullis Papae et Romanae Ecclesiae negotiis, circa a. 1451 (a Nicolao V missus). Vid. Access. ad Rec. Bullarii Celsianam, p. 103.

Marinus a Fregeno, Nuntius Apostolicus (Pii II) pro Indulgentiis - - - per Sveciam et alias orbis Christiani regiones specialiter deputatus, circa a. 1460. (A CELSE p. 197, N:o 3. Cfr. Diss. Joh. Gust. Kinberg, supra indic. § XII).

Bartholomaeus de Camerino, Nuncius Apost. (Sixti IV) circa a. 1484. (A CELSE p. 200 sq. N:o 17 et 18. Kinberg l. c. § XIV et Diar. Vadstenense p. 143).

Antonius Mast, Protonotarius Papae Innocentii VIII et Nuntius Apost. ad has partes circa a. 1489. A CELSE p. 208, N:o 9, et Kinberg l. c. § XVI, qui a. 1497 Sveciam adiisse ab Alexandro VI missum dicit, ad Diarii Vadstenensis auctoritatem provocans, ubi tamen p. 150, (Masch vocatus), a. 1490 officio legationis in regno Sveciae functum esse, docetur.

Raymundus Pyrande (Peraldus s. de Perauld), Archidiaconus Alnisensis, Sedis Apost. Protonotarius, et Papae Referendarius domesticus, ad terras has septentrionales Nuntius et Commissarius Apost. (Innocentii VIII circa a. 1490). Vid. Kinberg l. c. § 15.

Andreas, Episcopus Opsloënsis, cui Papa Leo X curam demandavit colligendi per Sveciam, Norvegiam etc. Denarium S. Petri, pecuniasque ad argentariam Lubicensem pri-

num deferendi, hinc per ejus Directorem Romam transmittendam. (Vid. A CELSE p. 214, N:o 1),

Johannes Heytmers de Zonvelben, Commissarius Papae (Leonis X) ad Germaniam et Septentrionalia regna, circa a. 1515. (A CELSE p. 215, N:o 11 et 12. Kinberg l. c. § XVIII, et SCARIN de Denario S. Petri Diss. II, p. 50).

Johannes Angelus Arcimboldus, J. U. D. Praepositus de Arsate, Sedis Apostolicae Protonotarius, ac Leonis P. X. Referendarius, ac ad nonnullas provincias ultramontanas Nunciatus et Commissarius, ab eodem Papa missus, a. 1516—1518. (Vid. A CELSE l. c. p. 217 sq. N:o 17—22, et Access. p. 108, 1, 2, 4, 5, 6).

En ordinem bene longum *hominum peregrinorum*, in pecunia ex his terris vario nomine ⁴⁾ corradenda et Romam deportanda, assidue occupatorum! Praeter quos fuisse etiam aliquos, quorum nomina ad nostram non pervenerunt notitiam ⁵⁾, probabile est. Si non omnes Sveciam ipsi adierunt, tamen et *Subdelegatos* et *Subcollectores* suos huc mittere non neglexerunt ⁶⁾, et sic dictas *Procuraciones* sive certam sibi, ut Legatis Pontificiis, dum hoc munere fungerentur, debitam pecuniam, exigere haud intermiserunt ⁷⁾: quae omnes

⁴⁾ Nempe minime hi omnes, *Nummi tantum Petrini* colligendi gratia huc advenerant: alii plerique redivitibus inhiabant, uberioribus, ex *Decimis, Dispensationibus, Indulgentiis* etc. provenientibus: sed neque eos, *Census Petrini* omnino neglexisse curam, plurima exempla docent.

⁵⁾ Sic in Bulla Papae *Johannis XXIII, Kal. Jun. Pontif. II*, ad Episc. *Petrum Arosiensem* missa, inter eos, qui *taxis Romanae camerae debitis* colligendis deputati fuerant, *Haereticae etiam pravitatis Inquisitores* recensentur. (Vid. A CELSE l. c. p. 164, N:o 6).

⁶⁾ Praeter eos adjutores, quos ex Svecis ipsis, utpote rerum patriae suae diligentiori cognitione instructis, hic sibi adjungebant. (Cf. supra p. 347, Not. ⁹⁾).

⁷⁾ Sic debebat Clerus Svecanus pendere *Raymundo de Galancio „duos florenos boni auri et magni ponderis et cunei Florentini, pro singulis diebus, quibus dictum Raymundum eundo, „morando et redeundo prosecutionem negotiorum in litteris Apostolicis expressorum insistere contigerit.“* Cf. A CELSE l. c. p.

artes, ad credulos nostros majores bonis suis turpiter spoliandos, vehementer contulerunt.

§ VI.

Quod supra significatum fuit ¹⁾, Pontifices hanc pecuniam initio modeste callidaque dissimulatione adhibita, tanquam voluntarium fidelium donum expetiisse, mox vero debiti nomine superbe exegisse, id vel collatae inter se Bullae *Anastasiï IV* (anno, ut putatur 1153) et *Innocentiï III* (a. 1204 data), fidem faciunt. In *illa* ad Regem et Proceres Sveciae scribit Pontifex: „Censum autem, quem in argumentum devotionis vestrae beato Petro *de terris vestris* ²⁾ „persolvendum annis singulis statuistis, fratribus nostris Episcopis tribui faciatis, ut per eos Sedi Apostolicae transmittatur: quem profecto non tam ad nostram utilitatem, „quam ad salutem animarum vestrarum (!) exigimus, dum „vos (per?) internaе devotionis obsequium, beati Petri cupimus patrociniū obtinere“ ³⁾. In *hac* ⁴⁾ autem Papa (su-

124, N:o 2). Et quamvis Cardinalem *de Alenconio* Sveciam haud adiisse, nisi per *Subdelegatum*, constet; tamen erat ei *Procuratio* pendenda (ib. p. 153, N:o 23 et 24); quomodo Pontifices amicis suis reditus haud spernendos comparabant.

¹⁾ § 1, p. 336.

²⁾ Non tam *de toto regno* haec agere verba videntur, quam id quod supra (§ II, p. 338) observatum fuit confirmare, nummum *Petrinum* apud majores nostros non viritim, sed *ex quovis agricultore*, fuisse exactum.

³⁾ Vid. ÖRNHJELM *Hist. Sveonum Gothorumque Eccles.* p. 423.

⁴⁾ Qua superior adhuc (omni respectu) est, quam *Adrianus IV* (qui auctor ipse fuit Concilii Lincopensis, cui Cardinalis *Albanensis* nomine praefuit, quoque durum dominationis Papalis jugum Svecorum humeris imposuit), mox post reditum ex Septentrione Papa factus, ad Regem Sveciae *Carolū Svercheridem* misit, hujusmodi verbis usus: „Dudum sine dubio tua prudentia „novit, Gothorum regnum, a quo Christi nomen ibi agnitum erat, „potestati Apostolorum Principis ejusque Successorum subditum „fuisse, Gothosque Sceptra sua pedibus b. Petri devote subjecisse, ac eo nomine ecclesiae Romanae fideles (h. e. subditos)

perbae dominationis studio famosus) *Andreae* Archiep. Lundensi hujusmodi dat mandatum: „Istud onus pro nobis assumas, ut censum b. *Petri* per regna Daniae et Sveciae fideliter colligas, et reserves ipsum nobis, per fidelem nuncium transmissurus: - - Ut autem hujusmodi plenius et liberius possis efficere, *plenam et liberam tibi concedimus facultatem, ut contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota compellas* ⁵⁾. Quas ejus minas effectum non caruisse, missae ad proceres Sveciae (a. 1216) litterae, quibus gratias iis agit *pro soluto liberaliter et devote*, sicut Archiepiscopus (Upsaliensis) insinuaverat, *censu denarii S. Petri*, de quo ulterius statis temporibus erogando, admonentur. (Vid. A CELSE I. c. p. 54, N:o 23.) Ipsas literas exhibet SCARIN (*de Denario S. Petrino*) Diss. II, p. 34.

Neque successores suos minus imperiose jus hoc suum ursisse, vel ex Bulla patet *Honorii III*, Dat. *Laterani III Non. Jan. Pontificatus anno V*, (3 Jan. 1221) mox adferenda, qua *excommunicationis sententiam* ab Episcopo Arosiensi ferendam, illis minatur, qui Censum Apostolicae Sedi debitum solvere detrectent. (Vid. A CELSE p. 58, N:o 14.)

§ VII.

In quantum Censum hujus pendendi necessitas, communi Regis Ordinumque Regni consensu admissa, de majestate atque independentia Imperii Sveo-Gothici aliquid de-

factos fuisse, cui annuum tributum hactenus demisse solverunt. „Tuam igitur prudentiam *paterna charitate moti* admonemus, ut *sine mora*, quod sanctae et universali matri juste debetur, per *praesentes* mittatur.“ Cfr. A CELSE I. c. p. 35, N:o 3, qui tamen *Banckium* (*de Tyrannide Papae* p. 420) ex quo ejus notitiam hausit, dubitare significat, an genuina haberi debeat; nobis rationes dubitationis suae parum validas *Banckius* attulisse videtur.

⁵⁾ Vid. A CELSE I. c. p. 19, N:o 7. Ipsae litterae supersunt inter epistolas *Innocentii III* a *Baluzio* editas (locum non invenimus) teste LAGERBRING *Svea Rikes Hist.* II Del. C. 14, § 1, p. 415 sq.

traxerit, aut Rempublicam Sedi Romanae jure quodam clientelae subjecerit? disputari queat. Ac Papas quidem, pro infinita sua et impudenti dominandi cupidine, hoc vere fovisse consilium, dubium non est: qui tributi hoc genus, calide majoribus nostris elicatum, pro civilis cujusdam obsequii, sibi obligati, argumento interpretari atque venditare, non verebantur. Fidem facit Bulla *Honorii III*, nuper commemorata, non minus insidiose quam arroganter scripta, in qua „se non modicum mirari, dicit, *Svecos, quos ex censu, „in quo Sedi Apostolicae tenentur annuatim, appareat manifeste esse Sacrosanctae Romanae ecclesiae filios speciales, „qui ob hoc speciali ejusdem protectione ac patrocinio gaudent, censum ipsum jam a quinquennio et amplius, licet ab „Episcopo Arosiensi requisitos, in animarum suarum periculum solvere neglexisse. Ut igitur divinam et b. Petri, cui „Census debetur hujusmodi, evitarent offensam, eos monet „et hortatur in Domino, in remissionem iis peccaminum injungens, ut Deo et Apostolicae Sedi satisfaciendo congrue „de subtracto, sic deinceps censum ipsum hilariter persolvant, ut Dei, qui datorem hilarem diligit, gratiam consequi, „et Apostolicae Sedis favorem mereantur. Alioquin minatur sententiam, quam idem Episcopus propter hoc rationabiliter „tulerit in rebelles, ratam habiturum, et facturum, Auctore „Domino, inviolabiliter observari“¹⁾. Quis non animadvertat, quam artificiose limites potestatis civilis et ecclesiasticae hic confundantur, et malae causae praesidia captiose quaerantur? Unde nec oblatas sibi occasiones Pontifices Romani postea amplecti neglexerunt, jus suum praetensum tuendi: quale exemplum praebet Historia R. *Erici XI (balbi)*, cujus personam cum regno et omnibus honoribus et justitiis, sub b. Petri et sua protectione Papa (*Honorius III*) suscepit²⁾.*

¹⁾ Habetur Bulla haec apud VASTOVIVM *Vitis Aquil.* (Ed. Colon.) p. 172. Cfr. A CELSE l. c. p. 58, N:o 14.

²⁾ Vid. A CELSE p. 61 N:o 23. Integram Bullam, datam Reate II Id. Aug. Pontificatus a. X (die 12 Aug. 1225) exhibet VASTOVIVS l. c. p. 174. Cfr. LAGERBRING l. c. P. II, C. XII, § 24, p. 334.

Quare nec mirum est, si R. *Valdemarus*, in suis illis angustiis, ad Papae auctoritatem confugit, quem hic (*Gregorius X*) dicit in litteris supplicatoriis ad Papam hac de re scriptis confessum fuisse, quod praeter Romanum Pontificem nullum superiorem, regnum autem Sveciae Sedi Apostolicae censuale, agnosceret ³⁾. Quomodo etiam R. *Carolus Canuti*, de regno minus feliciter dimicans, contra *Christianum I* ad Sedem Apostolicam appellavit ⁴⁾. Quos nemo non videt barbarum internarum vi et rebus duris ad consilium amplectendum, quod nec nisi in summo periculo constituti ipsi capturi fuissent, nec legibus regni consentaneum erat, fuisse adaectos. Nam populum quidem Svecanum, cum ad censum Petrinum Pontifici Romano, ut summo Religionis antistiti, concedendum pelliceretur, de civili aliquo imperio peregrini principis, cui patriam suam manciparet, ne somniasse quidem, vel ipsa Bulla Papae *Anastasio IV* supra commemorata, antiquissimum hujus rei monumentum, testatur; nec postea majores nostros unquam in talem subjectionem solenniter consensisse, manifestissima radiat luce. Quamobrem neque Pontifices illius generis imperium, nisi per occasiones sibi opportunas, Reipublicae autem calamitosas, quasi ex insidiis exercere tentasse, nec Censum ipsum nisi reluctanter, interrupte et precario quodam modo, ut ecclesiasticum non civile tributum, fuisse a nostris solutum, reperimus. Itaque nec nisi ecclesiasticis armis illud Papa extorquere conatus fuit, nec vel ullum jurisdictionis civilis genus in nostros sibi arrogare, vel umbram ullam Homagii a Regibus nostris exigere, quamvis impudens esset, instituit. Ita ut neque ex verbis literarum Papalium temerariis et superbis

³⁾ Vid. A CELSE l. c. p. 86, N:o 7. Cfr. LAGERBRING c. C. 15, § 25, p. 529 et 531, Not. ³⁾ ubi tota Bulla legenda exhibetur.

⁴⁾ Vid. *Access. ad Rec. Bullarii Cels.* p. 103 sq. N:o 3. Ubi Bulla Papae (*Nicolai V*) hanc rem confirmans (data *Romae* 1452 d. 1 *Apr.*) recensetur. Cfr. LAGERBRING l. c. P. IV, C. 8, § 19. p. 464.

neque ex Regum quorundam, adversis rebus pressorum, consiliis praecipitibus, vere Patriam nostram Pontificum clientelae sese submisisse, concludere liceat. Cfr LAGERBRING l. c. Part. II, C. XII, § 24, p. 334.

ORATIO FUNEBRIS,

QUA,

IN MEMORIAM

AMPLISSIMI ATQUE CELEBERRIMI

VIRI

HENRICI HASSEL,

R. CANCELLARIAE CONSILIARI,

ELOQUENTIAE IN R. ACADEMIA ABOENSI

PROFESSORIS P. O.

LYCEI AURAICI PIETATEM,

DIE XXI MAJI A. MDCCLXXVIII,

PUBLICO NOMINE EXPRESSIT

HENR. GABR. PORTHAN.

A. O. O. H. M.

Jacturam ante hos viginti menses Camoenae Auraicae fecerunt tam gravem, decore orbatae sunt tanto, literarum sapientiaeque amiserunt antistitem tam venerabilem, tantis doctrinae opibus, tanta experientia, fide, auctoritate, tantisque in rem nostram Academicam meritis eminentem; ut non modo omnium qui ad literariam hanc civitatem pertinent, pectora animosque tam acerbi vulneris sensus vehementer perturbaret, verum etiam quotquot intra praeterlapsi proxime semisaeculi spatium, in almae hujus matris foci educatique gremio, gratam et amicam in musas nostras conservant mentem, hac illarum clade graviter commoverentur. Nemo Vestrum A. M. non sentit, ereptum nobis me lugere Ordinis in Regio hoc Lyceo Philosophici, atque adeo totius Senatus Academici Seniore, *Magnae in Regem fidei Virum, Regiae Cancellariae Consiliarium, Eloquentiae in hac Academia Professorem Publicum Ordinarium, Amplissimum atque Celeberrimum HENRICUM HASSEL*; hujus quondam loci, hujus Cathedrae ornamentum! Quam jacturam, tantique Viri memoriam, cum tacitis hucusque moestitiae, desiderii et venerationis motibus mentes nostrae persecutae sunt: in hunc tandem locum publicamque celebritatem eos adferre, Vestrisque, A. M. doloribus atque sensibus adsociatis, debitum Beatis Manibus officium munusque solenniter hodie persolvere, pietas nos jussit. Ex mora tardiore languorem, affectus nostri veritas et constantia non timuit: qui non ex subiti motus fervore ebullit, brevi transiturus, sed altis in animum defixus radicibus, stabilis et perpetuus haeret; ad posteritatis etiam memoriam effundere se gestiens, ac ejus pietatis, quam, publica voce, hodie viventibus indicare civibus, supervacuum videri poterat, futu-

rae quoque aetati monumentum, nullis suspicionum nebulis obnoxium, exhibere connitens.

Sed unde illa mihi audacia accessit, ut hujus communis nostri sensus agere interpretem, et facundissimi Viri, ex hac ipsa Cathedra, in qua regnum Ille suum exercuit, laudes explicare, virium oblitus mearum, non reformidarem? Impulit primum pietas, ut in optimum olim Praeceptorem, ac de me innumeris nominibus beneficiisque meritissimum, grati et venerabundi animi affectum publice declarare cuperem. Deinde visum fuit, Illorum quoque judicio, Quorum voluntati mihi nefas erat repugnare, hoc officium mihi praecepit incumbere. Ac ipsa illa, quae temeritatem meam reprimere debuisse videri queat, locupletis doctrinae copia et vis eloquii, qua Vir Beatus valuit, toties ex hoc loco percepta, spem mihi iniecit, fore, ut excitata modo memoria Sua meritisque vel leviter delineatis, imaginem illorum adeo vividam mentes Vestrae, Auditores, instauraturae mox essent, ut a dicentis infantia ad Ejus qui celebraretur decora contemplanda abductae, facilem ac benignam pietati et obsequio infacundiae veniam concederent. Fidens igitur animi et alacer, quamvis nihil allaturus nisi nudam ac simplicem vitae Suae consecratorumque usui rei Academicae laborum commemorationem, ad opus aggredior. Date hoc, Auditores, memoriae, date meritis Viri olim lenocinorum, cincinnorum fucatique ejusvis artificii osoris acerrimi, ut non quam eleganter, quam speciose, quam splendide, sed quam vere, quam candide, quam pie, adumbratus, laudatus, planctus fuerit, attendatis!

Tu vero, Candida Anima, cui supremum hoc officium congregatus discipulorum fere olim Tuorum coetus persolvimus, annue huic affectui nostro, (si mortalium Te jam facta et judicia ulla advertunt), nullo inanis pompae aut ostentationis apparatu laedere memoriam TUAM studenti, sed simpliciter impetui et sinceritati suae indulgenti; ac patere, ut florenti patriae juventuti hic collectae, in quam Tu instituendam et ad honesta quaevis praeclaraque fingendam, omnem curam omnesque vires, dum inter mortales

versarere, impendebas, etiam post discessum TUUM vitae tamen atque morum TUORUM egregium exemplum, ad sapientiae et virtutis studium accendendum, confirmandum, dirigendum proponatur! Nos interim, dum fatis TUIS persequendis, meritis enumerandis, virtutibusque contemplan- dis totam mentem damus, hunc etiam fructum inde perci- piemus, ut fallere tantisper desiderium, et amplectenda co- lendaque amissi boni imagine pascere animum, atque le- nire quasi et solari aliquo modo jacturam, valeamus.

Edidit nobis lumen quod extinctum jam lugemus, Alandia, celebris maris Baltici insula; ubi anno post N. S. millesimo septingentesimo, sive superioris saeculi ultimo, die mensis Novembris duodecimo, in paroecia Jomala, in- teresse mortalibus coepit. Patrem habuit sibi cognominem, HENRICUM HASSEL ¹⁾, Sacellani tum in illa Ecclesia mu- nere fungentem; ubi et Avus paternus, idem ille quoque nomen gerens, eandemque tenuem ornans stationem, patrii soli cultores cognitione atque sensu religionis et virtutis im- buerat. Matre natus est honestissima foemina MAGDALENA FORSSMAN, in sacerdotali itidem domo suscepta; sed quam a nobilibus genus duxisse majoribus, harum rerum curiosi docent ²⁾. Unico filio Pater prima ipse literarum atque re-

¹⁾ Nat. a. 1674, decessit a. 1735; cujus pater *Henricus Pauli Hassel*, (nat. a. 1627, denat. a. 1698), primo se vocavit *Kumlingium*, deinde *Hasselroot* (quo utens nomine publice defendit Aboae a. 1654 *Meditationem S. Epistolae Feria IV Pentecostes*, pl. 2, 4:o, Praes. *Aesch. Petraeo*), ac tandem *Hassel*: Parentem habuit Rusticum paroeciae Kumlinge, indigenam (aeque ac majores sui, quantum memoria repetere licet), patriae terrae incolam.

²⁾ Nata a. 1666, nupta a. 1699, mortua 1750; patrem habuit *Thorbernum Simonis Forssmannium*, Pastorem Legionis Pedestris Dit. Aboensis, cujus majores, ab a. saltem 1550, prae- dium rusticum *Mässevik* in Paroecia *Bro* Wermelandiae habi- tasse ac possedisse constat. Unus hic fuit illorum Wermelando- rum qui, mox post conditam Aboae a. 1640 Academiam, illuc li- terarum colendarum consilio migrabant. Mater sua *Catharina Andrae F.* paternum genus duxit a familia nobili tñ *Stora Wånga*, (quae in scuto tres fluvios gestabat): maternum autem genus a

ligionis initia instillavit: cum vero mox sentiret, non satis sibi otii superesse ad praeclarum hoc ingenium qua par esset industria atque cura excolendum, praeceptorem Illi domesticum fidum ac prudentem dedit; a quo diligenter, paternis tamen auspiciis, institutus fuit, donec ingruens vis atrocissimorum hostium, quorum crudelitate Fennia misere affligebatur, aliud inire consilium cogeret. Migrabant tum ex his oris undique cives perterriti ac moerentes, avicularum instar, nidos certatim deserentium cum flamma coruscare circum se silvam vident, atque strepitum audiunt fragoremque ignis rapide appropinquantis. Eodem igitur metu Nostri quoque Parens optimus percussus, atque de tuto utilique perfugio Filio dilectissimo comparando, magis etiam quam de sua salute sollicitus, patria terra relicta, anno saeculi hujus quarto decimo Strengnesiam Illum amandavit; sibi permittere puerum adhuc, consiliis ductuque paterno orbatum, necessitate temporis coactus. Verum indolem Filii, ac prodentis sese jam tum constantiae praecocem maturitatem, Pater cognoverat. Neque paternam Noster spem fefellit. In Gymnasium enim Strengnesense adscriptus, tanto mox ardore tantaque aviditate literas amplexus est, ut neque laborum retardari molestiis, neque voluptatum illecebris avocari ab illis posset; tanta legendi atque meditandi pertinacia inclaruit, ut etiam intemperantius ei indulgere quibusdam videretur, qui languido et segni gradu vastissimum doctrinae campum satis tamen posse feliciter pertransiri putarent. Atque diligentiae tamen pertinacioris illa aetate minus adhuc rara exempla erant, quam nostris hisce temporibus, quibus vix fidem inveniant quae de acri majorum industria tradita accepimus; luxus contagio animos adeo emolliente, ut crudelitatem fere parentes putent ad illam assiduitatis consuetudinem liberos adigere, sine qua tamen

familia nob. *Bratt*, de qua cfr. FERNOW, *Beskr. öfver Wärmeland*, III *Åfdeln.* p. 766 not. *d*); sed qui ib. p. 754, not. *g*) *Forssmannium* minus recte vocat *Farmor's Fader til Herr Årke-Bisf. Mennander*, cum dicere debuisset *til Herr Årkeb. Mennanders Fru*, quae Filia fuit nostri HASSELI.

neque suae neque publicae rei bene olim consulere valent. Noster autem, alia, ut diximus, contendens via, cum per quadriennium Strengnesensium musarum consuetudine esset diligentissime usus, discendique cum studio tum felicitate inter condiscipulos eminens, Doctorum qui huic tum praeerant artium bonarum officinae, praestantium ac navorum benevolentiam sibi non minorem comparasset, quam ex institutione illorum percepisset fructum (quem gratus agnoscere, per omne deinde vitae tempus, ac praedicare saepe solebat); praeclare ita formatus, humaniorumque in primis literarum cultu egregie ornatus, discessit Upsaliam, ad altiorum disciplinarum studia adspirans. Est videlicet hoc publicarum hujusmodi Scholarum, quae quidem sapienter institutae sunt ac reguntur, grande commodum, ut non per summam tantum quasi doctrinae superficiem, celeri lapsu ducant pueros (quod multi hodie parentes insipienter optant, cruda adhuc liberorum studia in rempublicam impie protrudere aventes), sed altiora firmioraque jacere doctrinae humanioris fundamenta cogant, quibus stabile deinde ac magnificum possit aedificium superstrui, non leve et infirmum, specie tantum inani ludens oculos: ut adolescentes ordine, atque composito quasi gradu, in studiis literarum persequendis incedere doceant, non vagari subsultim et discurrere: ut ad diligentiam denique, obsequium et patientiam, necessarias adeo in civitate virtutes, teneros animos mature adsuefaciant. Tutiori igitur huic viae insistens Noster, atque severiorem et accuratiorem secutus rationem, egregiis instructus literarum Gymnasticarum copiis, et commendatione munitus praeceptorum Suorum amplissima, Academiam adiit, anno saeculi hujus octavo decimo. Acerrima in novo etiam hoc stadio versari industria perrexit, ac doctrinam et scientiam curiose auxit indies: linguarum in primis eruditarum, et literarum quae ab humanitate nomen habent, studio vehementer intentus; quarum amoenitati philosophiae mox adjunxit severitatem, multarumque aliarum, quae in illa tum docebantur Academia, disciplinarum vel limina salutavit, vel adyta retegere annisus est. Effloruit ex

hac discendi diligentia, varia illa atque locuples literarum plurimarum, qua postea eminuit, cognitio: quod non, opificis cujusdam mercenarii instar, in una tantum arte haurienda, quae victum sibi paratura foret necessarium, desudandum sibi esse putaret, arreptaque literarum ope quantula sufficere sibi ad examen publicorum angustias eluctandas videretur, ex Academia illico fugeret (quod ignobile multorum est consilium); sed arcta cognatione atque sororia amicitia plerasque conjungi disciplinas videns, ab alia non parum auxilii ad aliam feliciter discendam et colendam permanere crederet, atque in elegantioribus in primis literis tractandis, quas sibi praecipue persequendas delegerat, sine locupletis variaeque doctrinae ope nihil admodum praestari posse, existimaret. Itaque a vulgari illa atque plebeja studiorum urgendorum ratione, recedendum sibi esse ducens, viam quam demonstravimus strenue trivit. Interim vero, ut fortunae conditioni tenuiori suppetias quaereret, aliorum quoque instituendorum curam cum Suae scientiae maturandae industria conjungere coepit: nobilium familiarum pignora, ad spem parentum et patriae sollerter educando; cui jam tum labori, animi maturitas, modum annorum superans, parem illum effecerat. In curriculum ita descendit mature, in quo per totam deinceps vitam versandum Sibi fuit; ac peritiam et experientiam hoc modo sensim auxit eam, quae ad tam praeclare tamque feliciter has partes in eminentiore olim statione peragendas, idoneum reddidit. Stockholmiae his temporibus, discipulos domum secutus, per intervalla versabatur; memorabilium qui illos exercebant annos eventuum ac conversionum publicarum testis et spectator; non ille qui attonitus imperite cuncta stuperet, sed qui attenta et acri mente rerum seriem, quantum fieri posset, persequeretur. Itaque libenter postea facta horum temporum, mutationes et consilia, prudenti ac memori condita mente, narrare solebat; id quod et svaviter et acute atque intelligenter fecisse, non pauci meministis probe, Auditores. Addidit illam tum rationem, quam per totam deinde vitam constanter servavit, ut diligenti animo, publice gesto-

rum ordinem apud Se persequeretur; ac caute quidem et modeste, ut ab arcanis consiliorum machinationibus remotus, sed acute tamen, ut philosophus animi humani haud vulgari pollens cognitione, civiliumque rerum ac Historiae cum veteris tum recentioris aevi plus quam communi notitia instructus, de iis quae fierent judicaret. Cui mori debuimus, quod discipulis quoque et auditoribus Suis Historiae studium commendare soleret non intra nudam subsistens temporum nominumque enumerationem memoria custodiendam, sed eventus sollerter cum causis effectisque suis expendens, et doctrinas inde elicere vitae utiles enitens; cujus amorem, non exemplo minus quam consiliis praeceptisque, instillare juventuti feliciter ac inculcare noverat.

Tristissimi belli, quod Fenniam nostram crudeliter pervastaverat, procellis tandem cessantibus, et alma pace miseris, qui supererant, civibus restituta; Camoenas Auraicas cum reliquis exsulibus domum reduces, laetus Noster, ut Patrias, non multo post invisit. Noluit autem, qui aliarum familiaritate tantum jam profecerat, ad nostras ut ignotus hospes vacuis accedere manibus; quamobrem huc adveniens Disputationis docte elaboratae Particulas binas, Upsaliae typis jam expressas, Secum attulit, eruditionis Suae navaetaeque literis diligentiae testes haud dubias³⁾: quibus hic mascule defensis, aliisque, pro more, doctrinae speciminibus editis, adeo illam Ordini Academicorum nostrorum Philosophico, cujus est hoc iudicium, probavit, ut non modo laurea ornandum, anno seculi XXVI:to, censeret promerita, sed Senatui etiam Academico persvaderet, ut literis ad Illustrissimum qui tum res Academiae tutabatur Cancellarium datis, amplissima commendatione muniret atque decoraret. Iis nimirum excellere animi atque ingenii dotibus, iisque

³⁾ *De usu et applicatione Historiae ad vitam civilem; cujus Caput Prooemiale Praeside Rev. Dan. Juslenio, et Partem Priorem Praes. Cel. Alg. Scarin, intra hebdomadis spatium defendit; praestito etiam interim examine Candidati, quod vocant, Philosophiae*

esse doctrinae praesidiis instructum testabantur, quae favore Maecenatis singulari dignum redderent, ac idoneum demonstrarent, qui occasione enascente, docendi muneri ampliori, magno rei Academicae emolumento admoveretur. Rari exempli atque honorificum hoc iudicium, aliud non multo post, Nostro etiam fructuosius, opinionis quam de se haberet Senatus Academicus, excepit documentum. Reverendissimo enim *Juslenio* (Episcopo postea Borgoënsi atque demum Scarensi) ad Theologorum ordinem translato, inter eos quos vacanti Linguarum Sacrarum docendarum administrando pares officio, Academici iudicabant, anno seculi XXVIII, multa cum laude Noster nominatus fuit. Atque cum eodem tempore, Celeb. *Alstrini* morte Eloquentiae etiam docendae munus in hac Academia vacuum fuisset relictum, et HASSELIUS Noster, Stockholmiae tum degens ac Nobilibus suis discipulis operam tribuens, significasset, lubentius Se hanc provinciam quam illam alteram administrandam suscepturum; summo consensu petitioni Suae Patres annuerunt, amplissimisque verbis illo successu Eum commendarunt, ut huic muneri, Diplomate Regio, die XIII Mensis Maji, ejusdem anni, dato, clementissime praeficeretur.

Naetum igitur fuit Lyceum nostrum suum HASSELIUM, literarum doctorem et antistitem exoptatissimum; ut aetate florentem, corpore vegetum, viribus firmum, ita ingenio maturum, doctrina locupletem, studioque cognitionem et florem literarum inter populares propagandi et adaugendi, ardentem. Ac constitutus fuit felici delectu, illo praecipue loco quem et Ipse lubentissime occuparet, et quo prodesse maxime, comparatasque doctrinae opes ad juventutis patriae fructum conferre valeret uberrimum. Verum Patri Suo minus interim fortuna faverat; qui in tenui manens statione Alandica, laetus Filii progressus celeres comperit. Optatissimam autem pius Filius (qui nisi Patri quoque aliquod accederet dignitatis incrementum, fortunam suam non laetam satis putaret), occasionem invenit, multiplici Senem gaudio complendi; cum anno sequente Stockholmiam reversus, Thori Sociam electam Sibi adjuncturus, tantum si-

mul officiis Suis diligentia studioque effecisset, ut in Feniam cum Coniuge proficiscens, Patremque sub itinere invisens, Diploma Secum Regium adferre posset, quo ille Pastor Ecclesiae *Karis* in Nylandia, totius haecenus consilii ignarus, constitueretur. Rarum felicitis pietatis exemplum, multisque splendidis fortunae muneribus illorum iudicio jucundius atque praestabilius, qui, quam sit dulce sanctissima grati atque venerabundi animi officia exsolvere, virtutisque frui pura et coelesti voluptate, suo sensu atque experientia edocti, existimare norunt!

Ad eam igitur vitae defuncti Doctoris nostri pervenimus partem, ubi incipit ille quo juventutem Sibi patriam, hanc Academiam, atque adeo totam civitatem immortaliter devinxit, meritorum ordo; unde laudes Suae, unde debita memoriae Suae veneratio, maxime pendent. In demandato nempe Sibi munere obeundo, ex quo primum has suscepisset partes, per decem prope lustra eam praestitit diligentiam et fidem, eam scientiam ac dexteritatem expromsit, tamque insigniter literarum huic sedi ac confluenti huc, bonarum artium discendarum causa, patriae publi selectissimae profuit; ut inter optimos, meritissimos atque clarissimos, nullo non fatente, referendus sit, qui *Auraicum Lyceum* illustrarunt, doctores. Praeter doctrinae enim accuratae copiam, et industriae vim, quas in Illo praeclaras jam laudavimus, eximiis plane instructus fuit docendi dotibus: voce clara et gravi, ore explanato, memoria firma, perspicuitatis assequendae singulari felicitate, ordinis servandi curiositate exacta, demonstrandi acumine haud vulgari, robusto ingenii vigore. Res et orationem in potestate aequae habuit. Utilitati discentium omnia tribuens, nihil ambitioso dedit doctrinam ostentandi studio. Diverticula et anfractus nullos quaerebat, sed recta ad veritatem et fructuosam rerum cognitionem, semper ducebat. Quod Eloquentiam non tam praeceptis regulisque subtiliter explicandis, quam praestantissimis exemplis, ac veterum maxime orationibus et scriptis diligenter tractandis, formari existimaret; omnem fere in haec juventuti praelegenda, interpretanda atque ad imi-

tandum proponenda, operam impendit. Conatibus scriptionibusque adolescentium, qui stilum exercere nitebantur, castigandis, atque sic ingeniis simul eorum, admota quasi manu, emendandis et fingendis, indefessa patientia studioque incredibili, a primis muneris suscepti diebus, ad seram usque senectutem, operam dedit: atque ita in taediosissimo hoc labore semper versatus est, ut ad verba tantum dicendique formulas, multorum more, attendisse haud contentus, neque satis habens si nugae effundere casto sermone Latino juvenes didicissent, ad rerum quoque copiam, argumentorum robor, ordinis constantiam, sententiarum veritatem, animum accuratissime adverteret; veram Eloquentiam non nisi loquentem esse Sapientiam, probe gnarus. Itaque non scribendi tantum celeritatem orationisque concinnitatem et splendorem, sed cogitandi etiam acumen ac doctrinae omnis copiam, ex scholis Ejus adolescentes reportabant. Qualis Sua fuit oratio, effigiem ingenii animique Sui exprimens, nobili simplicitate et elegantia insignis, illustri claritate aperta, nervosum et masculum spirans sententiarum robor, ab omni coactione, affectatione et inani verborum pompa abhorrens; talem discipulis quoque expetendam, sectandam, imitandam commendavit. Paucioribus enarrari nequit verbis, quam insignem utilitatem quamque uberes fructus, singularis haec Ejus, in istis primis adolescentum tirociniis dirigendis ac formandis, cura et industria progenierit, quam magnum momentum ad ingenia rite excolenda, ad recti et pulcri judicium sanum et tutum confirmandum, habuerit; quarum rerum tanta est in reliquam vitam, tanta in res suas et Patriae feliciter gerendas, vis et efficacia! Testes vos excitare, Viri dignitate atque honoribus varii generis ornati ac conspicui, qui ad ultimum hoc officium Beati Senis memoriae persolvendum, benigne et amice convenistis, quique maximam partem ex venerabili Ejus ore docentis olim pependistis, testes Vos excitare non dubito: libenter professuros, non mediocre commodum, non leve adjumentum ad judicandi accuratam et firmam facultatem, ex praeclaro hoc Ejus consilio ac diligentia, Vos percepisse!

Ac quamvis Ipsius quidem ingenium non tam ad facetas amplectendas orationis veneres, laetosque effundendos animi ludentis flores, quam ad severiora eloquentiae ornamenta reperienda et adhibenda esset propensum; tamen in amoenissimorum quoque et festivissimorum ingeniorum messem, justo severiorem nunquam immisit falcem: nimiam coërcuisse redundantiam contentus, aut ramos immodice luxuriantes caute recidisce. Igniculos igitur mentium diviniores adeo non oppressit, ut excitaret potius; quod vel praestantium ac floridissimorum Poëtarum, qui e ludo Suo exierunt, exempla luculentissime demonstrant.

Neque vero aut in una hac, quae Sibi praecipue colenda fuerat tradita, literarum parte ita Se penitus abdidit, aut intra illos solum labores atque curas, quae negligi a Se absque inertiae ac dedecoris quadam macula haud poterant, tam arete Se continuit, ut etiam ad alias subinde artes atque disciplinas animo lustrandas Se conferre, comparatoque divite multiplicium literarum penu studia juventutis adjuvare, non auderet. Ut de plurimis illis nihil amplius dicam variarum literarum subsidiis, quibus carere eloquentiae praecipue studium nequeat; tam frequentia vulgo Academico hujusmodi doctori subnascuntur negotia, quae non unius generis ab eo exposcunt literarum facultatem, ut ab hac destitutus, non facile vel satis ubique juventuti prodesse, vel omnibus muneri sui plene satisfacere partibus valeat. Redeunt vices, adolescentium qui ex minoribus literarum ludis ad Academiam conflunt, profectus explorandi; dirigenda sunt juvenum, quorum alii atque alii coetus singulari Professoris alicujus curae commissi sunt; studia universa ⁴⁾); adjuvandi saepe sunt singuli literarum studiosi, utilium librorum notitia impertienda, dubiis exortis removendis: et quae sunt reliqua. In his igitur omnibus officii Sui partibus peragendis, quas levis-

⁴⁾ *Inspector*, qui dici solet, Noster erat *Nationum Boreae-Fennicae* et *Wiburgensis*, sive juvenum qui ex Fennia Boreali et Savolaxia, studiorum gratia in hac Academia versabantur.

simi haud esse momenti facile quisque sentit, felicissime versari doctori Academico haud licet, nisi a plurimarum literarum praesidiis parato. Quo in genere Noster plane excelluit. Cui laudi, si sollertiam addamus in illorum industria atque profectibus explorandis, in quorum studia Sibi praecipue fuit inspiciendum, amoris literarum in animos adolescentium infundendi singularem felicitatem, ad virtutem ac bonos mores cohortandi vim gravissimam; quantum instar eximii doctoris Academici musae nostrae in Illo habuerint, et amiserint, facile erit existimatu!

Doctrinae vero forma Suae, (quoniam hujus cognoscendae, in viro Sui generis praecipua quaedam est ratio habenda), gravis quidem fuit ac severa, quod vel ex ingenii Sui atque animi habitu pronum fuit ad intelligendum; sed quae a vulgari barbarie longissime esset sejuncta. Humanitatis enim elegantia ita temperaverat, ut nervi quidem atque ossa firmitatem et robur pulcro corpori darent, sed nuda atque aspera turpiter non exstarent. *Theologica* scientia gavisus est, quae non aliorum solum auctoritate coeque celebrium doctorum fide, sed accuratae liberalisque meditationis fundamentis niteretur, ipsorumque fontium deberetur perscrutationi ⁵⁾. *Hebraicarum* enim literarum quanta juvenis jam peritia clareret, supra significavimus; quam neque in extrema aetate perdidit. In *Graecis* vero prorsus habitavit; quarum cum Suis literis arctissimam conjunctionem, juvenibus etiam qui ad perfectum eniti vellent eruditionis et eloquentiae decus, diligenter ostendit ac inculcavit. Ipse quidem ita scriptoribus doctissimae atque acutissimae gentis delectabatur, ut neque *Ciceronem* Sibi ad

⁵⁾ Quamobrem, cum consilium A. S. MDCCXXXIV iniisset munus ambiendi Professoris Theologiae, eruditionis apparatu ad illud praeclare obeundum instructissimum esse fatebatur Senatus Academicus; sed quod dubium nonnullis videretur, utrum liceret, affine Sui D. *Andrea Bergio* jam Theol. Prof., Nostrum praeterea ad Theologorum ordinum adjungere, ad quem tres tantum, apud nos, Professores pertinent, qui Assessores simul Consistorii Ecclesiastici semper sunt; ab hac petitione destitit. Prot. Consistorii Acad. A. 1734, d. 28 Junii, 1 Julii, 14 et 16 Sept.

Demostheneam vim assurgere videri, haud raro significaret, et Auctorum omnium, Sacros si excipias, *Platonem* de manibus deponeret ultimum. In Officiorum tradenda Doctrina *Grotium* sibi magnopere placere non dissimulavit, literarum non minus quam ingenii opibus locupletissimum; neque tamen ut aut de *Pufendorfi*, aut eorum qui post acutum hunc doctorem illi scientiae ornandae laborem consecrassent, laudibus quidquam detractum vellet. Atque ut semper, cum auctores juventuti quoscunque explicaret, quid inesset in rebus ab iis traditis, ad vitam et prudentiam rite effingendam utile ac fructuosum, demonstrare auditoribus solebat; ita non obscure, in seligendis quos interpretaretur probatissimae auctoritatis scriptoribus, praetulisse illos maxime reperimus, qui ista excellere dote, Sibi viderentur. Quamobrem etiam, ultimis administrati muneris annis, aureos *Ciceronis de Officiis Libros* solebat publice juventuti assidue exponere; et aetati Suae et gravitati convenientissimum existimans, in opere explanando elaborare, quod orationis suavissimae virtutem cum morum honestissimorum praeceptis conjungeret. In *Dialecticis* et *Metaphysicis* erat ad *Cartesianam* rationem probandam propensior; ordinem et perspicuitatem hujus scholae miratus, atque evidentiae illustris quaerendae, antequam assensum praebeas, praecepto amicissimus. Hujus rationis amorem in Gymnasio jam Strengnesensi hauserat; ac memini ex ore B. Senis me audiisse, cum ad Upsaliense accedens Lyceum, exemplo sodalium ad scholam se contulisset viri Celeberrimi, qui Logicam Aristoteliam magno applausu, ingeniique et doctrinae laude haud mediocri doceret, adeo visam Sibi fuisse obscuram atque asperam, quamvis singulari doctoris diligentia propositam et ornatam, ut rursus ad *Artem Cogitandi*, *Portus Regii* Monachorum industria conscriptam et Cartesianae praeceptioni accommodatam, prae taedio istarum tricarum strenue Se reciperet, nec illis Se unquam postea laqueis irretiri pateretur. Percepit nostra hinc Academia illud commodi, ut ad Scholasticum philosophandi morem, qui licet a Cartesianis acriter subinde lacesitus,

vinci tamen apud nos penitus ante Instaurationem Academiae haud potuerat, sed strenuos quosdam in Cathedra nostra semper retinuerat defensores, ex hoc loco tandem penitus expellendam, Noster efficaciter conferret. Atque cum non multo post, *Leibnitio-Wolfiana* philosophia, quae cum multis non contemnendis bonis, commentitia haud pauca placita et mirabiles quasdam opiniones, affectata ac jejuna disputandi forma propositas, continebat, ex Germania, ubi maximis tum animorum motibus ferbuit, in has oras magno impetu irrueret, novitatisque illecebra ab utiliorum, ac humaniorum inprimis, literarum studio abducere velle juvenes videretur; exsultantem nimis, auctoritate et industria Noster repressit. Immortalia hinc esse, in Philosophiae cultioris et accuratioris apud nos formam constituendam, Viri perspicacissimi merita, nemo non agnoscit. Ut autem in nullius Ipse verba juravit magistri; ita neque a discipulis servile postulans obsequium, ingeniis honestam libertatem in tantum permisit, ut juvenes, qui propositos ad disputandum libellos Se moderante in lucem ederent, Wolfiana etiam quaedam placita, sibi licet minus probata, defendere nonnunquam pateretur. Adeo non abscondere, ab oculis adolescentium remove, aut hostili animo persequi, conatus est! Sed veri more Philosophi, expendere atque ad diligens examen revocare discrepantes hominum eruditorum sententias, solenne habuit, atque ad judicandum, non credendum modo, discipulos adducere studuit ⁶⁾. *Physicam*

⁶⁾ Non abs re fuerit, quo iudicium Suum de officio hoc Publici Doctoris perspicuiatur dilucidius, Sua ipsius verba (quae in Oratione exstant quam a. 1738 in solempni dixit panegyri, Magistrorum creandorum causa celebrata), adponere: „Praeter curam institutionis, quae attentionem ad res ipsas, earumque tradendarum ordinem, requirit, jugis lectio et meditatio, somni quam noctis tempora arctiora efficiunt illis, qui huic se operae addixerunt. Quid? quod in orbe literario nova indies dogmata proveniunt, quae non lecta nedum intellecta proscribere velle, ut quam mitissime dicam, nimis est rigidum. Unde in publico docendi munere constitutis incumbit ista pervolvere, et iudicio a partium studio immuni examinare, ut et ipsi verum a falso, a

Cartesii rationem adeo non probavit, ut demonstratam a magno *Verulamio* viam unice veram esse, et solam ad naturae vestigia persequenda commodam, identidem moneret; cujus *de Augmento Scientiarum* opus, et Ipse legit diligenter, et aliis legendum impense commendavit; acumen viri ac libertatem ingenii admiratus, consiliique magnitudinem. Inventa autem et incrementa Naturalis Scientiae, quoties oblectare animum vellet, curiosa mente lustrare solebat: quae ita Sibi jucunda videbantur, ita admirabilia, ita humanae vitae fructuosa, atque ad divini Numinis sapientiam, bonitatem ac potentiam illustrandam accommodata, ut non alia de re libentius loqueretur. *Historiae* omnis generis cognitione valuit exquisitissima; quam indefesso augere studio, curiose per totam vitam perrexit. Omnium hanc reliquarum adjutricem praestantissimam, ac lumen vitae humanae existimavit; quo carere, non turpe minus quam noxium esse censeret. Itaque studium ejus etiam atque etiam juventuti commendabat, atque jucunditatis non minus quam utilitatis illecebra gratum reddere annitebatur. Nullum denique eruditionis genus contempsit, nisi quod tricis horridum inutilibus, ac sordibus barbariei esset deforme; quas vehementer oderat, ingenia adolescentum iis opprimi, bonasque horas turpiter perdi dolens, ac gravissime saepe conquestus.

Uberrimae autem hujus doctrinae Suae rariora typis edita exstant documenta: quod in juventute Academica assidue erudienda praecipuam Suam versari debere ratus industriam, eamque esse credens quam a Se, demandati Sibi muneris ratio maxime requireret, si huic abunde satisfacisset, nihil esse existimaret quod Sibi animus negligentiam aut inertiam exprobraret. Quin hanc docendi diligentiam, licet ad famam minus splendidam, ad Patriae tamen et succrescentis ejus spei, juventutis studiosae utilitatem, magis etiam fructuosam putavit. Neque etiam ea fuit (aut hodie

noxio utile discernant, et juventutem suae fidei commissam ad optima quaelibet deducant, atque contra errores et fraudes praemuniant." Etc.

fere est), rei literariae apud nos conditio, ut ad scribendi industriam fructus alicujus aut emolumentum spe homines excitarentur; qui felices sese haud raro existimare deberent, si hanc vel gloriolam vel bene de literis merendi laudem damno rei familiaris redimere non cogerentur. Usus tamen est diligenter opportunitate, quam mos Academicarum nostrarum Sibi offerret, ut exercitiis atque speciminibus moderandis, quae juvenes, industriae probandae causa in lucem ederent, varias utilesque, civibus saltem Reipublicae Academicae meditationes atque veritates impertiret ac inculcarent. In quo quidem opere ita versatus fuit, ut neque adolescentibus occasionem eriperet vires exercendi, laudisque reportandae in illis cupiditatem exstingeret, (quod facere Sibi doctores videbantur, qui totas semper hujusmodi Disputationes Academicas ipsi perscriberent, longe plerumque faciliore defuncti labore, quam qui in emendandis juvenum conatibus, formaque quadam decenti ingenii illorum foetibus danda exhauriendus sit), neque omnem aut Suae famae aut fructus adolescentibus comparandi curam ita penitus abjiceret, ut turpi abusu infamiam pulcherrimo instituto conflaret, quod tam praeclaram, fere unicam saepe, doctoribus nostris Academicis occasionem praeberet, observationes doctrinasque utilissimas in lucem emittendi publicam, cuique tot debeamus haud vulgares, summo etiam eruditorum studio quaesitas ac laude exquisita decoratas, lucubratiunculas. Nostro igitur dirigente ac limante editi hujusmodi atque propositi publice ad disputandum libelli, numero ultra centum et viginti⁷⁾, alii majorem licet, minorem alii, opem Ejus experti, utili tamen

⁷⁾ Quorum reperire indicem licet in Cel. LIDÉN *Catal. Disputationum in Academiis — Sveciae habitarum*, Sect. III, p. 79—87; cui addere oportet: 1, *Bened. Bergenholtz*, Smol. Diss. de sobria lectione Poëtarum, 1738, 8:o pl. 2^{1/2}. 2, *Jac. Haartman*, Jo. Fil., Tentamen philosophicum circa causas dissensus atque diversitatis sententiarum in judicando occupatum, 1741, 8:o, pl. 2. 3, *Henr. E. Carling*, Tav. Theses Miscellaneae, G. 1745, 4:o pl. 1. Adeo ut numero sint omnino CXXV.

omnes doctrina referti sunt, nec sine cura atque studio confecti; quidam eximii etiam laudeque digni singulari ⁸⁾. Reliqua quae vulgata typis reperiuntur ingenii Sui industriaeque monumenta, per occasiones scripta Academicas, Oratio Panegyrica, et Programmata plura ⁹⁾, (digna

⁸⁾ Arbitrium quidem nobis hujus rei non sumimus; qui vero perlegere vel illos voluerit, qui de *Fabulis Philosophorum, Injuriis Regni Papistici in Principes Regnumque Sveciae, Discrimine inter Ecclesiam et Rempublicam, Libertate Philosophandi, Eloquentia Veterum, Perspicuitate Orationis, Praesenti Reipublicae Literariae flore, Virtute liberae civitatis fundamento praecipuo*, (plures ut taceam) Eo moderante lucem adspexerunt; ipse praestantem in illis doctrinae judicijque vim haud difficulter agnoscat.

⁹⁾ Nobis quidem sequentia oculis usurpare licuit: I, quo ad audiendam Orationem Nob. LAURENTII STIÄRNELDH, die natali Regis FRIDERICI I habendam invitavit, die XIII Apr. a. 1735. II, quo munus Rectoris Acad, in D. *Andr. Bergium*, die XX Junii ej. anni sese translaturum, indicavit. III, quo solemnitatem Magistrorum Philosophiae, a se creandorum, die XXX Junii a. 1738 indixit. IV, quo Rectoris Ac. munus se D. *Joh. Bro-wallio* traditurum, die XXX Junii a. 1745 significavit. V, quo ad lugendum R. FRIDERICUM I rebus humanis ereptum, omnes ordines, die II Julii a. 1751 convocavit. VI, quo funebrem solemnitatem Ejusdem Regis memoriae consecratam, die XXIV Sept. ej. anni edixit. VII, quo festum Coronationis R. ADOLPHI FRIDERICI solenniter agendum, die XXIV Nov. ej. anni denuntiavit. VIII, quo Panegyrico, Acad. Maecenati R. Senatori Comiti CAROLO GUST. TESSIN, a D. CAROLO FRID. MENNANDER dicendo, praelusit, die X Apr. anni 1752. IX, quo R. ADOLPHUM FRIDERICUM, ut Orationi interesse dignaretur, qua adventum Illi Suum in Fenniam gratulari Academia instituerat, devote rogavit die XII Julii ej. anni. X, quo se munus Rectoris Acad. in D. *Joh. Tillandrum* esse derivaturum, demonstravit die XXX Jul. ej. anni. XI, quo Academiae pietatem in magnos suos R. Senatores Comites C. G. TESSIN et CLAUDIUM EKEBLAD, alterum hoc onus deponentem, alterum illi succedentem, Oratione solenni testandum esse docuit, die XXI Nov. anni 1762. XII, quo successurum Sibi in Rectoris Ac. provincia D. *Jacobum Gadolin*, die XXII Junii a. 1763 ostendit. XIII, quo ad audiendas Orationes funebres memoriae R. ADOLPHI FRIDERICI dicatas, die XXV Julii a. 1771 acciret. XIV, quo ad Inaugurationem R.

haec omnino quae minores, exemplorum in hoc scriptio-
 genere instar imitentur), doctrinae Suae dicendique facul-
 tatis testimonia exhibent luculentissima. Saepe autem prae-
 terea ex hoc loco publice et solemniter dixit, attente sem-
 per cupideque auditus; non modo propter virtutem dicendi
 excellentem, sed quod materiam etiam et argumenta tra-
 ctanda adferre soleret ad communem audientium intelligen-
 tiam et sensum accommodata¹⁰⁾. Orationem quam prelo
 typothetarum excudendam unam commisit (ab hac cupidi-
 tate alienior, qua incensi quidam immaturos etiam atque ine-
 ptos ingenioli sui foetus in publicum protrudere festinant),
 ex scriniis Suis argumenti atque temporis elicuit dignitas
 festaque solemnitatis; quippe sacris dicatam Nataliciis cele-
 brandis recens tum geniti Principis Successoris exoptatis-
 simi, Regis jam nostri Augustissimi¹¹⁾: ex cujus felicissimi

GUSTAVI III faustis adclamationibus piisque votis prosequendam,
 die XXVIII Maji a. 1772 vocavit. XV, quo funebri Oratione
 memoriam defuncti Musagetae Comitum CL. EKEBLAD colendam
 esse, die XXI Junii ej. anni palam fecit. XVI, quo Professoris
 munus solenniter auspicaturum esse D. *Laurentium O. Lefrén*,
 die eodem publice declaravit. XVII, quo Rectoris Ac. provin-
 ciam se D. *Petro Kalm* esse concessurum, testatum fecit die XII
 Julii ej. anni.

¹⁰⁾ Reperiri V tantum Orationes Mss. inter schedas Suas
 potuerunt superstites: I, *de Emolumento Reipublicae ex Refor-
 matione Religionis*, dicta a. 1730 die XV Junii, in memoriam
 exhibitae ante saeculum Augustanae Confessionis. II, Gratula-
 toria in R. Senatorem Comitem JOH. ERN. CREUTZ, Cancellarii Acad.
 munus ad se deferri passum, a. 1736 pronuntiata. III, *de Consensu
 Reipublicae civilis et literariae ad promovendum publicum emo-
 lumentum*, habita a. 1738 die IV Julii, in solemnitatem Magistro-
 rum creandorum. IV, *de studiis humanitatis, eorumque fati-
 praecipuis*, recitata d. XXV Jun. a. 1763, cum Rectoris Acad.
 provincia quartum decederet. V, *Splendida Romanorum miseria*,
 a. 1772, d. XIV Julii declamata, cum Rectoris munus quintum
 deponeret. Reliquae perierunt.

¹¹⁾ „Oratio de Meritis Gustaviana Familiae in Patriam,
 quam, Augustam nativitate Serenissimi Domini GUSTAVI, Regni
 Sveciae D. G. Principis Haereditarii longe exoptatissimi, pie gra-
 tulaturus, in R. Academia Aboënsi die III Maji MDCCXLVI ha-

sideris exortu conceptam publicam laetitiam expressit vivide, civiumque animis spem inculcavit dulcissimam, quam, sensu multo etiam laetiore, cumulate impletam, priusquam ex terrenis his migraret habitaculis, non videre modo, sed etiam, Academiae nostrae nomine, luculento edito Programmate, quintum Lycei hujus Rectori, sub initiis faustissimi regni gravissime celebrare, singulari felicitate licuit. Piissimae memoriae Rege ADOLPHO FRIDERICO Augusta Sua praesentia ha soras exhilarante, quae a multis inde temporibus Regum suorum vultus non viderant, atque hoc etiam simul Musarum delubrum benigne invisente, cui nunquam antea, ex quo consecratum fuit, id contigerat honoris atque ornamenti; HASSELIUS Noster, Rector etiam tum, felici rerum nostrarum sidere, atque dux Consilii Coetusque Academici, mitissimo Regi pietatem Civitatis hujus literariae declaravit publice ¹²⁾, ac ita illam, eloquentiamque simul, fidem et dexteritatem probavit Suam, ut non dubiis et Ipse et totum hoc Lyceum benivolentiae Regiae documentis mactarentur.

Diversa illa, quibus per vices Academicis est fungendum doctoribus, officia partesque, Noster industria, fide ac prudentia singulari omnes sustinuit. Rectoris munia (qui Magistratus in hac Academia annuus est), quinquies, unico

buit *Henricus Hassel*, Eloqu. Profess. Reg. et Ord.“ Aboae excud. Joh. Kämpe, Acad. Typogr. Fol.

¹²⁾ Orationes suas, Svethico sermone habitas, legendas exhibet *Narratio de favore indulgentissimo quo Rex Augustissimus ADOLPHUS FRIDERICUS, Aboae praesens, Academiam hanc Suam beavit* (Kort berättelse om den Råd, som Hans Kongl. Maj:t var Allernådigste Herre och Konung ADOLPH FRIEDRICH, under Dets Höga närvarelse i Åbo Stad ifrån den 10 Julii til den 15 ejusdem 1752, Dets Academie berstådes tåftes bewisa), Svethice edita, ac Orationi adjecta, qua nomine Academiae pietas in Principem Optimum hoc tempore expressa fuit. (*Plausus et vota, quibus ADOLPHO FRIDERICO — Regi, — Magnum Ducatum Finlandiae peragranti, exoptatissimum in ejusdem metropolin adventum, a. 1752, — die mensis Jul. XIII, — subjectissime gratulatus est OLAVUS PRYSS, Jur. D. et Prof. Ord. Aboae impr. ap. Jac. Merckell, Fol.*)

hactenus apud nos exemplo, obivit¹³⁾. Atque ut nec inops consilii, nec laboris fuit remissi, rei autem Academicae omnis peritissimus; ita praecipua hanc provinciam laude, quoties illi praeficeretur, semper administravit. Circuitus et ambages nunquam amavit ullas, sed res celeriter et acute secuit. Minutis rebus, anxius et haesitabundus animum non infixit; nec cavillationibus turbari iudicium Suum passus est. Justitiae immobilis et aequitati adhaesit; atque ita severitatem indulgentia temperavit, ut non minus amore civium quam reverentia, imperia Sua valerent. Quintum etiam hoc Magistratu suscepto, sic gessisse meminimus, ut non Senis in Illo tarditatem, dubitationem et frigus, sed vegetae aetatis alacritatem et industriam cerneremus. In consilio Patrum Academicorum, diligentia Sua, fides ac prudentia, magni semper habitae sunt; quibus experientia tandem ususque rerum plurimus tantam auctoritatem addiderant, ut et ornamenti ejusdem et oraculi fere instar, merito censeretur: servanturque in Actis perspicaciae Suae, diligentiae et masculae dictionis ea documenta, quae memoriam Suam in illo consessu perpetuo reddent laudatissimam. Concordiae ac pacis adeo fuit studiosus, ut non modo lites Ipse non sereret, sed etiam motas forte ab aliis consopire diligentissime niteretur. Collegis itaque Suis (quorum nullum fere adsidere Sibi tandem vidit, nisi quem discipulum olim Suum fuisse meminisset), charus juxta atque venerabilis fuit; nec alium facile deinceps Collegium nostrum Assessorem habiturum est, cui tot quaesitae meritis praemio auctoritatis tam eximio tamque jucundo, frui contingat.

In quibus meritis, silentio praeteriri, Vobis praesertim, Patres Academici, audientibus, minime debet, quod ad rationem constituendam stipendiorum nostrorum annuorum, simplicemque, commodam ac tutiorem reddendam, Noster plurimum contulerit; quae cum et confusior olim et tenuior

¹³⁾ Annis nempe 1734, 1744, 1751, 1762 et 1771 media aestate susceptum, pro more apud nos solenni, ad idem tempus anni sequentis gessit.

ac incertior esset, Hujus inprimis diligentissimi atque prudentissimi Viri, paucorumque qui sociam Sibi adjunxerant operam Collegarum Suorum cura, providentia et labore factum est, ut in eum quo jam fruimur redigeretur ordinem, nec facile sit nobis metuendum, quod praedecessoribus nostris haud raro contigit, ne inter perpetuas sollicitudines curasque molestas, subsidiis vitae tolerandae necessariis careamus ¹⁴). Necesse, credo, haud videbitur, ut multis verbis, quantum hoc fuerit, et in nostrum ordinem et in totam rem Academicam beneficium, exponere laborem; ad singulos enim Reipublicae hujus nostrae literariae ordines aliqua ex hoc instituto redundavit utilitas. Neque adferri aliud potest exemplum, quod apertius doceat quam tristitia ex superioribus illis turbis metuenda Rei Academicae essent vulnera, quam quod B. etiam Doctorem nostrum in eam jam rationem impulerant, ut valedicere musis nostris, ac alia Sibi via liberaliorem conciliare fortunae favorem, constitueret. Anno enim saeculi XXXVII locum munusque ambiit (quod plures ante Se Academici olim susceperant) Assessoris in Supremo quod in urbe nostra fulget Dicasterio Regio; eaque fuit de perspicacia Viri Celeberrimi, dicendi juris peritia (quam Sibi diligenti legum studio, et caussis in Senatu Academico accuratissime cognoscendis, non mediocre comparaverat), atque integritate animi opinio, ut splendidissimi Collegii suffragiis iudicioque dignus omnino videretur, qui consessui adjungeretur suo. Verum majore alius Aulae favore, generis nobilitate suffulto, valuit; itaque suo porro frui Doctore musis nostris licuit. Cumque rebus nostris sapientius postea constitutis, ac nova stipendiorum percipiendorum ratione Regia auctoritate confirmata, metus penuriae victus esset in posterum; nullo praeterea hujusmodi consilio amorem Suum musarum superari passus fuit,

¹⁴) De tota hac re cfr. Cel. BILMARK *Historia R. Academiae Aboënsis*, Part. II, § VI. Debemus autem emendatam feliciter rerum nostrarum hanc faciem, magna ex parte industriae sagacissimorum Academicorum (praeter nostrum *Hasselium*) *Nic. Hasselbom, Andr. Bergii* etc.

sed omnem discedendi ab iis cogitationem ex animo penitus ejecit. Perrexit igitur studio quo diximus omnes muneris partes praeclare tueri; nec morem docendi immutavit, nisi quod novissimis viginti annis, a speciminibus abstineret adolescentum castigandis moderandisque, quae profectum suorum in literis demonstrandorum caussa publicarent; ad juniores hunc laborem collegas deferens, istam Sibi requiem libenter concedentes. Interrupit hoc consilium eventus unicus, atque in cathedram, disputandi hujusmodi exercitio praefuturum, Senem revocavit; cum Nepoti ex Filia dilectissimo, pulcherrimum doctrinae specimen edenti, adesse, et exempli raritas et vis affectus juberet ¹⁵). Quem ultimum esse merito voluit literariarum istarum concertationum actum, se dirigente susceptarum; quo, cum Nepos ingenium probasset ad eximia quaevis praestanda aptum, atque ad honoris stadium amplissimum currendum felicibus Sese auspiciis comparasset, Avus, annis jam gravior, Academicae palaestrae bona omnium venia solemniter renuntiavit.

Interim merita Viri, qui musis nostris longiorem quam ullus ante Se doctor Aboënsis Lycei, eamque fidelem adeo et egregiam praestiterat, quique doctorum tandem omnium, in Patriis Academiis studium suum laboresque literis tribuentium, annis aetateque evaserat administrati muneris Professorii maximus, eam Illi sensim famam eamque gloriam peperere, quae homini videri Academico maxima sane atque jucundissima debet, ut communis fere civium literatorum, qui variam fortunae atque officiorum stationem occupantes, hanc inprimis Patriae oram ornarent, praeceptor haberetur, cunctis charus, cunctis honoratus. Nec mediocrem censendus est Ipse voluptatem percepisse, tot Illustres animo intuens, Nobilissimos, Amplissimos, Venerandos, Praestantesque viros, Suae olim scholae discipulos, Reipublicae cum Civili tum Ecclesiasticae ac Literariae, prudentiam

¹⁵) Dn. CAROLO FRIDERICO MENNANDER, Filio, (Nobili FREDENHEIM), Dissertationem Acad. *de Virtute Liberae Civitatis fundamento praecipuo*, a. 1765 defendenti.

suam, dexteritatem et fidem egregie probantes; cujus laudis non omnino nullam ad se quoque partem pertinere, animus laetus admoneret, adeoque nec Se frustra bene merendi de patria studio flagrasse. Agricolae nempe similis fuit seni, qui lucum perambulans arboribus conspicuum sua manu vel satis olim vel cultis, umbra ejus, huic dum indulget recordationi, multo etiam suaviore exquisitioreque voluptatis sensu perfruitur. Vulgi itaque admirationem, aut quo haec excitari vehementer solet, externum splendorem et aucta dignitatis ornamenta, Noster haud desideravit. Ad aliorum vero studia acrius commovenda, pertinere existimans Illustrissimus Musarum nostrarum Tutor, Cujus adhuc praesidio benignissimo gaudent, ut tanta merita externis quoque istis atque quodammodo sibi debitis decoribus atque praemiis ornarentur, documento futuris illustri, quam certa existimari via ad summi principis gratiam ineundam debeat, si quis meritissimi Senis vestigia presserit: Regi Augustissimo rem demonstravit. Qui incomparabilis Reipublicae ac literarum Stator, nomine atque ornamento *Consiliarii Regiae Cancellariae*, Diplomate die VIII Martii anni MDCCLXXIII dato, nil tale suspicantem Senem, in gratiae Regiae haud ambiguum signum, faventissimis ac gravissimis verbis condecoravit.

Haec igitur publica fuit Viri desideratissimi vita; non insolitis illa quidem fortunae conversionibus admirabilis, non strepitu ac fulgoribus insignis, sed quieto atque aequali fluens tenore, quales Suae stationis maxime decet atque juvat homines, amnis instar placidi, qui prata camposque aqua sua rigat et nutrit benefica, nunquam exaestuans, nunquam a notis aberrans ripis. Profuit civibus insigniter, patriae fructum attulit uberrimum. Hic ille est splendor, haec gloria, quae sapientum mentes maxime allicit, maximoque et suavissimo charitatis ac benivolentiae sensu ad bene meritorum hominum memoriam colendam et suscipiendam commovet! Neque privatae vitae cursum Noster peregit publica non dignissimum. Cujus ut jucunde feliciterque degendae sociam haberet atque adjutricem exoptatissimam,

matrimonio Sibi anno saeculi hujus XXIX adjunxerat Ornatissimam Foeminam CATHARINAM MEURMAN, Patre natam Amplissimo Viro JOHANNE MEURMAN ¹⁶⁾, Cambii publici quod Regni Ordinum munitur auctoritate fideque, Commissario diligentissimo, Matre autem Conjuge ejus dilectissima ANNA ROSELIA; viduam tum vitam, amisso priore marito ¹⁷⁾, agentem. Jucundi felicissimique conjugii fructus ex Ea suscepit Filios duos et quatuor Filias; quarum una in tennerrima aetate decessit: reliqui ad ornatissimae Familiae decus feliciter quique contulerunt. Sed Filia natu maxima ¹⁸⁾, et Filius minor ¹⁹⁾, e vita jam ad coelites abierunt: Illa Maritum, Reverendissimum nunc Archiepiscopum Upsalien-sisque Academiae Pro-Cancellarium, nostri olim Lycei decus, unica beans prole, cum immatura Ipsa morte decederet, Patri tamen Conjugique solatium reliquit svavissimum, Filiolum, impletae jam nunc cumulate spei, nova indies ornamenta Honoratissimis Nominibus praeclare comparantem ²⁰⁾. Filius natu minor, Judex Territorialis regionum Borgoënsis atque Kymmenensis, dexterrimi Vir ingenii ac

¹⁶⁾ Antiqua orto prosapia, e Westphalia in Sveciam delata, quae et Nobiles quasdam apud nos Familias peperit, et multas alias cognatione atque affinitatibus, (non secus ac illa quae Socrum defuncti Doctoris Nostri progenuit), attingit. Socer autem quatuor ille Professorum Aboënsium fuit, Nostri *Hasselii*, D. *Andreae Bergii*, Archipraepositi et Theol. Prof. Primarii, *Hermanni Diet. Spöring*, Medicinae, ac Dn. *Nicolai Hasselbom* Matheseos Professorum.

¹⁷⁾ *Samuele Elfving*, Pastore in Kolbäck Westmanniae. Nata a. 1694 die 4 Sept. nupsit Nostro a. 1729 die 10 Sept. ac decessit a. 1760 die 5 Nov.

¹⁸⁾ JOHANNA MAGDALENA HASSEL, nata a. 1730 die 21 Oct. nupsit a. 1747 d. 3 Maji, D. CAROLO FRIDERICO MENDANDER, Physices tum in Academia Aboënsi Professori: mortali-bus erepta fuit die 5 Apr. a. 1749.

¹⁹⁾ Dn. CAROLUS HASSEL, nat, a. 1738 d. 12 Aprilis; denatus a. 1777 d. Junii, Conjuge Vidua cum filiolo unico relictis.

²⁰⁾ Nobiliss. Dn. CAROLUM FRIDERICUM FREDENHEIM, Pri-mum jam Secretarium Regium Expeditionis Rerum Peregrinarum,

eximiae industriae, in flore aetatis, medioque honorum cursu, abreptus est; atque supremis vix justis Paterno cineri persolutis, in Parentum, beatas immortalium sedes incolentium, amplexus properavit. Filius natu major²¹⁾, praesens pietatis et officii nostri testis, Filiaeque duae, cum Maxime Reverendis suis Maritis, in vivis supersunt²²⁾: quibus, ut caeteris quoque Amplissimae Domus Haeredibus atque fulcris, vitam longam omnibusque affluentem bonis, impense optamus!

Ad Beatum vero Senem nostrum ut oratio revertatur, domesticae Suae cursus vitae aequabilis ac tranquillus etiam ille fuit, nec ullis adversis vexatus, si quem significavimus ex festinata Filiae morte luctum excipias, binasque praeterea, quas experiri coactus est fortunae iratioris procellas. Alteram, quae novo Fenniam nostram bello opprimente, hostilis saevitiae metu vertere solum, domumque ac tecta deserere, fuga in Sveciam arrepta, subegit (quae tamen tempestas, ut foeda fuit, ita brevi transiit): alteram, quae acerbissimum Sibi vulnus infixit, cum anno saeculi LX Uxorem amitteret charissimam, in cujus amore atque cura ingravescens senectus acquieverat. Tulit gravius hunc casum, fatendum est, quam ii ferri jubent Philosophi, qui affectibus atque adeo amoribus nostris, ne altius in animum penetrare permittamus, quam ut facile ejici inde queant, praecipiant: ita ut corporis quoque Sui valetudo ab insomniis et animi aegritudine, incommoda pateretur. Sed ni-

Magistrum Caerimoniarum Aulicarum, atque Camerarium Ordinum Regiorum Equestrium.

²¹⁾ Dn. HENRICUS HASSEL, Centurio Equitum, nat. a. 1734, d. 16 Jan.

²²⁾ ANNA SARA HASSEL, nata a. 1732 d. Oct., nupta Dn. DOCT. PAULO KROGIO, Archi-Praeposito Ecclesiae Borgoënsis; et CATHARINA CHARLOTTA HASSEL, nata a. 1735 d. 24 Jun., nupta Dn. DOCT. JOHANNI BORGSTRÖM, S. Theol. Lectori in R. Gymnasio Borgoënsi; quae jam naturae legibus satisfecit, d. 20 Dec. anni hujus 1778. Utraque Nepotibus et Neptibus Senem, ante abitum Suum ad immortales, laete auxerat.

mirum vitam isti sapientes torpidam ac sensu vacuum, beatam inprimis putant; cum Nostri, ut ingenium ita animus, constantiae licet addictissimus, languidi tamen ac torpido nihil, nihil quod in extremo tantum quasi haereret cortice, probare soleret. Quae autem inhaerent altius, nec sine dolore evelluntur. Suo igitur Ille exemplo docuit, morum veram gravitatem, qua B. eminuisse Senem ultro omnes fatentur, a ferocitate tamen et duritia mentis plurimum abesse; nec eos sensus, sine quibus jucunda atque felix esse vita nequit, secludere. Cum vero luctus se paullatim fregisset, recuperavit cum animi tranquillitate, labefactum quoque corporis vigorem. Atque ut aegritudinis penitus stirpem ejiceret, damnumque acceptum resarciret, et rationem simul domesticae vitae in consuetum cogeret alveum, qui Conjugis curae atque fidei magnam semper rei familiaris tuendae partem committere sueverat; ad novas nuptias animum appulit, quas sub finem sequentis anni, cum Vidua celebravit Collegae quondam sui, Linguarum Sacrarum in R. hac Academia Professoris Celeberrimi, M. *Gregorii Stenman*, ornatissima Matrona CHRISTINA MARGARETA PALEEN²³); cum qua ad finem usque vitae conjunctissime vixit, secundi etiam nunc atque amantissimi Mariti obitum lugente.

Familiae Suae eadem et prudentia et diligentia, qua cunctis officii Sui partibus, gravissimus Vir semper praefuit. Res Suas administravit egregie. Temporis intervallis, maxime aestivis, quibus a laborum Academicorum cura doctoribus respirandi potestas conceditur, (dum juvenus, tenuioris ut plurimum apud nos fortunae, ad domesticos lares, longius saepe remotos festinat, nova sibi vitae commode hic degendae adjumenta paratura), praedia Noster, quae non procul ab urbe Sibi comparaverat, invisit²⁴); rusticae

²³) Nata d. 20 Jan. a. 1714, Patre Judice Territoriali Aequissimo Peritissimoque Dn. ABRAHAMO PALEEN, Matre Nob. Dn. MARGARETA CATHARINA TIGERSTEDT, honorato utroque apud nos nomine. Nupsit Nostro die 1 Oct. a. 1761.

²⁴) Praedia Nobilia *Isbois* Paroeciae Nummis, et inprimis *Bussila* Paroeciae Pikis, (ac olim *Savisala* Paroeciae Sagu, quod

vitae, quam maximi semper fecit, jucunditate fruiturus. Hoc more et corporis vires refecit, et animum a nimia laxavit contentione; aucto mox vigore rursus intenturus. Menti simplicitatis et tranquillitatis amanti, strepitum vero ac tumultum, etiam qui magnifica specie vulgi praestingeret oculos perosae, nulla convenire aptius vita, nulla placere impensius potuit. Itaque nusquam laetior quam ruri Suo, nusquam hilarior vixit. Hospes jucundus et comis, amicos hic lubentissime exceptit, Suaeque oblectationis, quantum posset, participes fecit. Neque vero otiosam ac torpentem instituit inter sollertes agricolas vitam traducere; sed animum ipse etiam ad agriculturam curiose applicuit, accuratamque ejus Sibi comparavit scientiam²⁵). Novas quascunque rationes, magno licet saepe strepitu commendatas, consiliaque temere praecipitata, avide non arripuit; neque coeca et stupida fide aut imitatione, quaecunque vidit mox probare et amplecti, in more habuit: sed probata longo usu et experientia vestigia, prudens tamdiu persecutus est, donec sollicito examinata judicio et cauto usu confirmata, nova sese magis probassent instituta. Rusticae itaque rei et intelligentia et peritia inter paucos eminebat. Diligentia, ordinis amore, studioque frugalitatis honestae, toti vicinitati praeluxit; quae observantiam Illi et benivolentiam, ut Sui omnes amorem, fidem ac obsequium, ultro laetaque praestabat.

Hujusmodi igitur studiis deditus, atque hac fide et navitate partes suas cunctas agens, vitae cursum implevit. De industria ac intentione animi adeo nihil remisit, ut neque beneficio uti vellet, per Leges Academicas Doctoribus oblato aetate provectoribus ac meritorum laude conspicuis,

postea abalienavit) quae nobilitatis jure possidendi, Sibi haeredibusque Suis facultatem acquisiverat.

²⁵) Quam de Ratione Rei rusticae in Fennia emendandae (Om Landt-Hushållningens förbättrande i Finland), Nostro moderante a. 1751 Svethice edidit, Dissertatio Cl. *Joh. Welin*, haud contemnenda sollertiae peritiaeque Oeconomicae exhibet documenta.

quo ad otium Se referre, stipendio tamen, quamdiu in vi-
vis esset, integro fruituro, licuisset. Labores enim ferre,
grave Sibi nunquam visum fuerat; itaque nec requiem ab
illis, quamdiu vires Sibi superessent iis tolerandis pares,
desideravit. Prospera autem qua usus a puero fuerat va-
letudo, viriditatem in senectute etiam peperit, non modo a
naturali robore corporis, temperanti ac minime molli vita
confirmato, sed ab animi quoque moderatione et constan-
tia, sustentatam. Itaque mentis vires, ad extremam usque
aetatem, illibatas fere conservavit; nec oculi admodum fru-
strabant: pectoris modo angustior spiratio sensim augeba-
tur, ut post motum paullo vehementiorem anhelanti similior
esset quam respiranti. Aetatis tandem pondere magis in-
gravescente, ac lento quodam et occultiore morbo, con-
sveto illius comite, insidiose vires aggrediente, cedendum
Sibi esse vidit, ac negotiosam vitam circumcidendam. Ver-
sus finem igitur anni MDCCLXXIV, ut requietem animo dare,
laxatis priorum curarum vinculis, laboresque Academicos de-
ponere liceret, supples petiit: quam veniam a Regia Majestate,
initio anni sequentis indulgentissime impetravit; talemque im-
petravit qualem petierat, ut vel redire ad solitos labores, vel
vacatione frui muneris, Suo iudicio, ac prout aetatis vale-
tudinisque suaderet ratio, integrum Sibi maneret ²⁶⁾). Rus
deinde commigrans, experiri statuit quid ab aëre salubriore
levamenti malo suo, vim subinde remittenti, subinde inten-
denti, sperare liceret: sed adeo non superatum fuit, ut ser-
peret altius, neque unquam vires assiduis diu laboribus fa-
tigatae, plene redirent. Urbem postea denuo invisens, Apo-
plexia, minante Sibi diutius malo, noctu inter dormiendum
subito correptus est ²⁷⁾), mortis imminentis non incerta nun-

²⁶⁾ Litt. Regiis ad Illustriss. Cancellarium Acad. Aboënsis, d. 16 Jan. 1775 datis; Qui additis Suis etiam faventissimis Nostroque perhonorificis Literis, die ejusdem mensis 30 obsignatis, ad Senatum Acad. illas transmisit.

²⁷⁾ A. MDCCLXXVI, mense Febuario, tempestate procellosa ac nivosa aërem turbante, cujus vehementer deminutam gravitatem Barometri depressio nimia ostentabat.

tia; quae totius lateris sinistri nervos resolvit. Cujus licet primam vehementiam frangere atque superare posse ars Medici videretur, ita ut nec mentis vigor admodum deminueretur, nec somni placidi beneficium (quo felicem semper Se fuisse, solebat gratus praedicare) auferretur, nec doloris saevitia affligeret; impetus tamen acrior fuerat, quam ut firmam fovere convalescendi spem permetteret: quam superveniens tandem Dysenteria, hic locorum tum Epidemica, desperatam plane reddidit, viresque corporis abstulit residuas; vi morbi in tantum denique crescente, ut post septem dierum assultus, die mensis Augusti octavo decimo, anno seculi aetatisque septuagesimo sexto, sopore leni extinctum, de mortalium numero Virum desideratissimum eximeret. Corpus deinde exanime, in Templo hujus Urbis Cathedrali, omnium nostrum desiderio pietateque pompam lugubrem prosequente, honorifice conditum, decentem placidae quietis locum invenit.

Ita, ad extremum actum vitae fabula perducta, hunc etiam sic peregit, ut sigillum quasi laudi Suae imprimeret; nec illam contentus immortalitatem Sibi peperisse, quam nostrae conservabunt mentes gratissimae, ad alterius illius longaeque praestantioris sedem vera via contendit. Portum igitur invectus est tranquillum et tutum, mari in quo mortales jactamur vadoso et procelloso, feliciter superato. Discessit ex vita iis omnibus florens bonis quae optanda fere, sapientibus viris, dum breve hoc mortalitatis iter perficiunt, videantur: praeter virtutem et doctrinam, domo etiam, laude, honore, amicis felix; fortuna quoque quam mediocrem expectaverat, paullo benigniore auctus. Sed commutavit haec lubens, cursu peregrinationis Suae peracto, cum alia beatiore stabilioreque vita. Quantam in reliquis aetatis actae partibus, demonstraverat constantiam, animi firmitudinem et serenitatem; tanta morbi etiam vehementis impetum, et vim mortis appropinquantis excepit. Qui de Religione pie semper sancteque sensit, beneficiisque ejus atque auxiliis devota frui gratissimaque didicisset mente, neque in hoc ab iis articulo destitui potuit; quibus adjutus atque con-

firmatus, composito et confidenti animo communem mortalibus necessitatem subiit, atque ad veram patriam, a qua vota nunquam Sua praecluserat, placide migravit.

Nobis et meritorum Suorum memoriam colendam reliquit, et vitae morumque imaginem, honestissima imitatione, pro sua cuivis conditione locoque exprimendam. Cumque habeat hoc in se remedium dolor ex clarissimorum virorum ortus abitu, ut quo desiderii sensus excitetur maxime, meritorum ac virtutis splendore, illius obversum mentibus spectaculum, pulchritudine Sua ipsa oblectet simul animum, allevet et reficiat; hoc nos quoque jacturae sensum solatio leniamus, effigiem animo complectentes gravissimi Viri, oculis jam nostris subducti: quam paucis nunc quidem circumscriptam lineis repraesentabimus, accuratorem perfectioremque pectoribus nostris reconditam perpetuo servaturi.

Atque ingenii quidem, quo pollebat Vir gravissimus, eruditionisque quam complectebatur, formam supra jam demonstravimus. Neque animi imaginem, ipse quem breviter descripsimus vitae Suae cursus, non satis praebet conspiciendam. Candor videlicet mentis atque sinceritas, quae ne suspicionem quidem simulationis et fuci admitteret, simplicitasque morum ab omni artificio remotissima, ex omnibus Suis consiliis, dictis, factisque eluxerunt. Factum illud et calamistratum, ut in oratione ac scriptis, ita in omni vita, vehementer perosus est. Gravitatem honestam, atque ab omni specie levitatis abhorrentem, cum ingenio Suo naturaeque debuit, tum consilio; qui in doctoris persona nugarum studio nihil neque ad contemptum proclivius, neque ab exempli severitate ac sanctitate, quo praeire adolescentibus debeat, alienius existimaret. Severitatem autem amavit non tristem et tetricam, sed humanam et facilem; ut qui in familiari consuetudine jucundus, et ad liberalem usque jocum solutus esset. Sermoni Suo, ex divite quo instructus erat eruditionis apparatu, et suaves adspergere et fructuosas literas noverat, sed loco atque moderate, salis instar et condimenti, non ut fastidium adferret aut satietatem. Fidei ipse haud ambiguae, neque in alios erat suspiciosior; sed

prudentialiae tamen et cautioni circumspectae deditus. Quem in literis artibusque tractandis secutus est morem, ut a trivis rebusque minutis ac inanibus mentem cohibens, in momenta tantum rerum majora ac graviora acrem ac diligentem intenderet aciem; eum in omni vita sedulo observavit. Ingenio valuit ad res gerendas non minus apto, quam ad meditandum ac docendum acuto: ut dubium non sit, quin aequae egregiam in Republica, si aliquam ejus partem administrandam Sibi fortuna commisisset, quam in musarum tractandis negotiis, fuisset personam tuiturus. Robur videlicet animi, in propositis urgendis constantia, industriae vigor singularis, consilio sapienter capto feliciter persequendo cuicumque parem reddidit. Ut in sententiis judiciisque non fluctuavit Suis, ita neque in amicitis incertus fuit. Cupiditatibus superior quae a recto animum deflectere tramite valeant, officiique sancte memor, non Juventutis tantum Academicae, quae maximi Eum semper fecit, sed reliquorum etiam civium honestissimis judiciis late floruit. Paterfamilias fuit attentus et diligens, frugi sed benignus; Maritus facillimus atque amantissimus; tenerrimi in Suos affectus et indulgentiae humanissimae, qui inter lares domesticos non plus severitatis adhiberet, quam quantum Sibi satis ad domum sancte regendam videretur. Quamobrem jucundissima a Suis omnibus pietate cultus, sanctissimae, etiam post mortem, memoriae suavitate mentes eorum occupat et devinctas tenet.

Corporis forma externa, animi significavit internam indolem; firma et robusta compage valida, ac tota ad gravitatem composita. Vultus, candorem demonstravit et sinceritatem, inter illustria perspicacis animi atque meditando adsueti signa eminentem. Vigor mentis emicabat ex oculis, constantis atque honesta libertate erectae. Coacti nihil aut anxii, ficti nihil, nihil inepti, neque in gestibus neque in motu visebatur.

Desiderio igitur talis Viri tanto justiore acerbioque Musae nostrae moventur, quanto rariora Sui similia omni tempore literis effulgere conspiciantur lumina; quae ne ra-

rius etiam posthac emicent, timere queas, ruente effusius ad levitatem, desidiam ac voluptates saeculo, quod ejusmodi vel maxime egere exemplis ac intercessoribus videatur. Saepius certe humanae vitae contingere, quale nostris perfamiliares est rusticis, spectaculum solet; qui cum silvam succiderunt annosam et maturam, proceris atque in eximiam altitudinem editis arboribus umbrosam, virgulta cernunt frutetaque humilia et exilia in locum ejus succrescere, imperiteque non raro laetantur. Sed opprimere hujusmodi metum, quem jacturae dolor excitat, sapiens jubet, provida et indefessa Illorum cura, quorum tutela favoreque res nostrae florent, impenseque Musae Patriae gaudent. Nos autem, vel assidua Vitae Suae recordatione laudisque custodia, quasi praesentem inter nos quam diutissime retinere Senem venerabilem conabimur; et vestigia Sua lustrantes, hoc frui virtutis et incitamento et exemplo, diligenter studebimus. Hoc consilio, et pietatem Suae debitam memoriae sancte exhibebimus, et affectui nostro litabimus, et virtuti, literis, posteritati, patriae, pulcherrime consulimus.

Tibi inprimis, Studiosae Juventutis concio, cujus Ille studiis adjuvandis, felicitatique pro virili parte promovendae, omnem curam, omnesque labores consecravit, Tibi carissima esse, post mortem etiam Suam, atque adeo in perpetuum, memoria Sua debet: ut Quem vivum virtutis meritorumque nomine impense dilexisti ac venerata es, Ejus etiam ad posteritatem nomen laudesque grata propagare contendas; atque diligentia praecipue Sua, eruditione, morumque honestate imitanda, praeclarius etiam et Suae gloriae et Tuae venerationis monumentum consecres, quam verborum valeas ullo apparatu, ulla arte, ullo splendore exigere! Ita Suis votis satisfiet rectissime; ita Patriae, ita Literis, ita huic Musarum sedi suum perpetuo constabit decus; ita redibunt subinde in hanc cathedram viri, ingenio, doctrina, virtute, meritis, excellentissimo Doctori similes, quo illas nosque fuisse orbatos, tristes hodie planximus!

PROGRAMMA,

QUOD

DIE XXIX OCTOBRIS A. MDCCLXXXVI

EDIDIT

RECTOR R. ACADEMIAE ABOENSIS

HENR. GABR. PORTHAN.

Caeteras inter artes literasque utiles et praeclaras, neque Historiae Naturalis Studium (illius quam hodie, arctiori fere vocabulorum significatione usi, dicimus) in Aeraico nostro Lyceo fuisse neglectum, monumenta rerum nostrarum fidem faciunt indubiam. Inter primos novae Academiae Doctores, *Physices ac Botanices* tradendae provinciam uni mox tributam esse reperimus: quem nec officio suo defuisse, satis constat. (Cfr. Diss. D:ni COLLIN, sistens *Fata Botanicae in Finlandia*, Praes. Cel. KALMIO ad hanc Acad. edita, § III). Non specimina tantum eruditionis a Juventute Acad. in lucem emissa has literas deinde passim attigerunt, pro more quidem temporis illa adornata, sed diligens quoque TILLANDSII opera, cujus libelli ab artis Magistris haud contemtim memorantur, superiori seculo ex instituto persecuta fuit. Ad Medicinae vero et Physices Professores illarum inculcandarum docendarumque curam pertinuisse, facile intelligitur. Novam postea laudem, indeque natum ardorem ac successum, his studiis colendis cum Illustris LINNAEI suorumque et amicorum aemulorumque et discipulorum contentio, ingenium, sagacitas ac felix diligentia, sapientium Amplissimorumque Maecenatum fota favore peperisset, et per patriam propagasset; ad nostras quoque oras laudabilis contagionis vis celeriter transiit, auctasque quasi vires ad harum literarum culturam persequendam hominibus prae-buit. Praecluserit his moliminibus SPÖRINGIANI ingenii cultus atque vigor; cujus quanta, in Minerarum imprimis Metallorumque et natura et excoctione perquirenda, diligentia fuerit, vel luculenta demonstrant quae in Bibliotheca Academica servantur laboris sui monumenta. Ultra autem mox processit strenuum BROVALLII acumen: qui non mineris modo

pertinaciter examinandis, interioreque illarum indole, notis, familia, cognationibus et affinitatibus feliciter investigandis, aciem quasi illarum instruere singulasque artificiose digestas componere docuit (cujus etiam laboris, ingeniosique non minus quam operosi consilii, documenta egregia conservamus); sed Herbarum quoque cognoscendarum novam tum rationem constantius ad nos detulit, *masculè vindicavit*, et diligenter propagavit. Successit his docta MENNANDRI diligentia amoenique decus ingenii, et incitans haec studia (quae heic docere jam antea instituerat) et ornans, ususque inde redundantis eximia adumbranda specie adjuvans. Sagax in naturae vestigiis persequendis LECHEI mens et patientissima industria, quo nisu quoque successu ad haec studia incubuerit, testantur notissima eruditis, pauciora licet, quae lucem adspexerunt rei utriusque specimina. Sed studiis his ultroneis, quamvis praeclaris, ad Naturalem Historiam excolendam pervulgandamque collatis, nulla hactenus suffultis publica ope, nullis publice comparatis praebitisque *rerum* (quas appellare solemus) *naturalium* collectionibus, nullis commodius accuratiusque observandarum examinandarumque illarum adjumentis, non satis licere in posterum semper confidere rati, qui de flore pulcherri-
marum utilissimarumque literarum non conservando tantum sed etiam promovendo solliciti essent Reipublicae tum Moderatores, dare his literis, una cum fundanda iis Oeconomia, tradendis proprium Doctorem constituebant; Poëticesque docendae munere, quod peculiari hactenus magistro commissum fuerat, in Eloquentiae Professorem translato, vacans hinc stipendium novo Professore assignabant. Haec porro provincia viro data fuit administranda, ex cujus singulari industria, trito in his literis tractandis studio, novisque etiam ex memorabili ad eas illustrandas suscipiendo itinere comparandis opibus, praeclara quaevis essent speranda. Nec fefellisse spem, tot et mentibus adhuc nostris oculisque obversantia, et typis etiam vulgata KALMIANAE curae diligentiaeque produnt documenta. Practica enim studio Oeconomiae propagando quamvis praecipuam suam

consecrari debere industriam judicaret; Botanices tamen ac Mineralogiae quoque principia accurate juventuti exposuisse, meminimus. Accesserunt praeterea, quamdiu muneri ille praeesset, varia ad harum adjuvandum literarum studium, Reipublicae beneficio, egregia subsidia institutaque; ut novum, multis nominibus, ab hoc tempore, Naturalis Historiae apud nos excultae exordiri oporteat intervallum. Non modo Minerarum amplissima collectione Academia ditata fuit, accurata LECHEI diligentia in commodum sollertemque ordinem sensim disposita; sed nova etiam Chemiae et Metallurgiae Professione (sibique necessario experimentis faciendis Laboratorio) locupletata; ex cujus opibus egregium ad Minerarum Naturam rimandam sperandum fuit auxilium. Botanices studio sublevando excitandoque *Hortus* liberali impensa publica fuit conditus, Aedificiisque quibus plantae australium terrarum ad nos translatae contra aëris coelique Fennici injurias defenderentur, instructus; species ejus dignitasque pulchris ex Hortis Regiis Augusto favore transmissis aucta arboribus; et pecunia, cum Hortulani ad eum colendum periti conducendae operae, tum reliquis faciendis sumtibus necessaria, beneficentissime concessa. Sed neque privati favoris ac munificentiae egregiis caruit res nostra Botanica documentis. Ad curam Horti intendendam usumque ejus simul adaugendum, et rei Herbariae studium feliciter alendum amplificandumque, Praefecto Horti (quod munus Oeconomiae Historiaeque Naturalis Professori injunctum fuerat) hujus curae ministrum adiutoremque, *Demonstratoris* nomine, addiderunt Viri meritorum multiplici laude inelyti, Nobilissimus Dn. JOHANNES HISINGER, Collegii Regii quod Rei Metallicae praeest Consiliarius, et Amplissimus JOHANNES J. HAARTMAN, medicinae in Regia hac Academia Professor, Ordinis Regii Wasiaci Equites ambo dignissimi: stipendio perpetuo, ex Suorum fructu praediorum, novo muneri liberalissime constituto. Herbarum praeterea diligenter exsiccatarum chartisque agglutinarum egregio thesauro literarias Academiae opes meritissimus idem amplificavit HAARTMANNUS; in quo genere minus licet locupletem, curio-

sam tamen collectionem, quae magni olim OL. RUDBECKII, filii, fuerat, Academiae usibus donaverat Celeb. KALMIUS. *Concharum Cochlearumque* collectionem, quae Cel. *Spöringii* olim fuerat, numerata pecunia in Academiae usus emtam, liberaliter auxit antequam a nobis abiret Reverendiss. MENANDER, alia etiam quaedam addens rerum naturalium, Regno Animalī accensendarum, specimina. Brevissime ac summam beneficia tetigimus, rei nostrae Academicæ in hoc genere exhibita, diligentius alias pro merito, gratissimarum nostrarum Musarum nomine exposita et exponenda. Quae omnia (ut de aucta interim librorum ad has literas pertinentium suppellectili nihil dicam, nec illa nullam Civium beneficorum favorem experta), quantum ad incitanda promovendaque apud nos Historiæ Naturalis studia contulerint, eventus ipse docuit, nec attinet pluribus jam commemorare. Non factum vero satis ad perpetuam harum literarum in Academia nostra sedem firmandam putarunt, quos supra laudavimus Literariæ hujus Civitatis fautores, nisi nova etiam ad eas juventuti tradendas atque inculcandas, ab Oeconomiae docendae provincia separata, institueretur Professio. Itaque postquam in se solum stipendii, Demonstratori ad Hortum Botanicum constituto solvendi onus recepisset, deque illo perpetuo e suis quibusdam prædiis pendendo cavisset Nobilissimus HISINGER, assignatam antea suae stipendii nuper memorati solvendae parti prædium, addita præterea non exigua pecuniae summa, novae fundandae Professioni, cui *Artis* etiam *Veterinariae* docendae, quo uberior inde rei Oeconomicae fructus accresceret, adjuncta est cura, denuo obtulit Celeberrimus HAARTMAN. Quam utriusque liberalitatem cum Academiae admodum proficuum judicasset, qui perpetuam teneramque de salute sedis hujus literariæ promovenda agit curam, ILLUSTRISSIMUS noster MAECENAS, ad REGEM AUGUSTISSIMUM rem detulit, suaque commendatione ita ornavit, ut non modo Regia approbatione novum institutum confirmaretur, sed conditiones quoque ratae esse omnes juberentur, quas adjunxerat ei Cel. HAARTMANNI pro consilii sui meta certius contingenda pro-

vida sollicitudo. Itaque Clementissime fuit constitutum, non modo ut praeficiendus novae huic administrandae provinciae Doctor, sui que deinceps successores, Medicinae cum reliquis suis studiis diligenter conjunctae solennia exhibere deberent documenta; sed ut iidem etiam, minus alioquin lauto, quam quo Regia olim beneficentia collegis eorum munifice prospexerat, salario fruituri, pari quo reliqui Philosophiae Professores jure, ampliora Regia stipendia suo ordine percipiendi, uterentur; atque concessum ut Nepoti Institutoris ex Sorore, *Philosophiae Medicinaeque Doctori Experientissimo D: no GABRIELI BONSDORFF*, quem istis tractandis studiis mature innutriendum ipse curaverat, prima sors beneficio fruendi Avunculi sui, impertiretur. Qui domesticae Hujus institutionis disciplinaeque alumnus, cum Historiae Naturalis, tum aliarum, quas Philosophicarum vulgo salutamus nomine, literarum fundamentis studiose apud nos jactis, honore Magistri auctus Philosophiae, ad Upsalienses transiit musas, Medicinae inprimis studia continuaturus: quorum diligenter cultorum honorificum testimonium promeritumque eruditionis copia Doctoris nomen inde retulit; aliis etiam quibusdam scholis unde suarum peritiam literarum augere posset, interim haud incuriose salutatis. Novus igitur hic *Historiae Naturalis et Artis Veterinariae*, auctoritate Regia constitutus *Professor*, demandatum sibi munus more solito solennique Oratione jam aditurus est; cui festae peragenda solennitati cum diem crastinum, qui mensis hujus est XXX, praestituerimus, publice illam indicere atque ad illam nobiscum celebrandam Musarum nostrarum Patronos et amicos invitare, officii nostri ratio jubet.

PROGRAMMA,

QUOD

DIE XXI MAJI ANNO MDCCLXXXVII

EDIDIT

RECTOR R. ACADEMIAE ABOENSIS

HENR. GABR. PORTHAN.

Mirum est luctus desideriique mentes hominum versantis ingenium, quo, easdem sensu licet tristissimo vexans, vehementi tamen simul sui quasi amore quodam fascinat; ita ut nec facile eripi cogitationibus suis factae imaginem jaecturae patiantur, et in illa contemplanda affectuque tenero prosequenda voluptatem etiam quandam atque solatium quaerant, renovari subinde ipsam plagae suae memoriam, et tanquam refricari vulnus gaudentes. Percepta olim ex cari hominis vel favore vel familiaritate atque consuetudine delectatio, mentem ad captandum ex fallaci quoque umbra sibi objecta eundem sva- vitatis sensum pellicit, quem saepe veritas quondam peperit: cujus ipsa memoria recolenda, placet sibi animus. Ad quem sensum si officii etiam, gratiae mentis et pietatis cogitatio accedit, si admirationis et venerationis intenditur motibus iis quos splendor virtutis, egregiorum ordo meritum illustrisque imago laudis excitant; tum vero ingenti animum vi adoriuntur, flectunt, subjugant, suisque tanquam illecebris ipsam doloris acerbitatem leniunt atque redimunt. Cujus rei non aliam insigniorem praesentio- remque nos habuimus experientiam, quam quae superiore anno nobis contigit, cum tristis huc nuntius afferretur, ereptum fuisse mortalibus clarissimum Literarum Ecclesiaeque Patriae lumen, nostrarum olim rerum praecipuum colume- num, ac postea etiam grande decus, *Ecclesiae Svio-Gothicae Archi-Episcopum, Upsaliensis Academiae Pro-Cancellarium, Membrum Ordinis Regii de Stella Polari, Regiae Academiae Scientiarum Svecicae Regiaeque Societatis Literariae Upsaliensis Socium, Reverendissimum Eminentissimumque Dominum Doctorem CAROLUM FRIDERICUM MENNANDER*. Ex quo nuntio conceptus moeror, cum saevis animum pungens aculeis repellere a propiore cladis

suae contemplatione videretur; sensus mox amoris atque venerationis, memoriaque meritorum et beneficiorum Suorum, ad illas laudes pie recolendas revocavit, unde quamvis magnitudo jacturae appareret, tamen alimenta simul gratis piaementis motibus praeberentur, assidua svavique aucta pristinae felicitatis quasi spectaculo. Atque permixti hi, indeque etiam validiores, sensus motusque, jamdiu vehementer animos nostros exercentes, intra mentem aestuare haud contenti, erumpere quoque et claustra pectoris refringere tanto acrius annisi sunt, quo uberiores quoque justiores in publica jactura nostrae inprimis Musae, et illam dolendi et suam palam pietatem proferendi, et merita decoraque Summi Viri celebrandi, materiam haberent. Amiserant, Patria civem egregium et cordatum, Ecclesia Antistitem gravem, sanctum atque prudentem, Literae ornamentum, Scholaeque omnes et cultores bonarum artium Maecenatem, tutorem et patronum faventissimum; sed nulla tamen rei publicae pars, tot quot Auraicae nostrae Camenae, Ei devincta fuerat nominibus, tam diu ingenio suo, doctrina, diligentia caeterisque fructa fuerat virtutibus, tot curae, liberalitatis, amoris sui perceperat documenta. Ad tristem igitur tanti Viri amissi nuntium, circumfudit animos nostros ingens cohors meritorum Suorum, apparebant numerosi multiplicis necessitudinis tituli, tota simul quasi oculis observabatur luctificae cladis imago. Recordabamur nostrae fuisse gentis propaginem, in Fenniae sinu educatum, nostrarum Musarum alumnum; ex his umbraculis in illum solem processisse, omnes hic quasi gradus scandentem, ac ad illas hinc enisum fuisse laudes quibus per totam deinde patriam clarisset: adolescentem hic nostrorum hominum pavissem spem, juvenem virumque implevisse, ac flores pulcherrimos ineuntis aetatis egregiis uberrimisque fructibus maturioris superasse. Occurrebat animo, ex illis ingenii eruditionisque divitiis, non usum modo nobis nostrisque Musis insignem, sed laudem quoque et decus accrevisse. Subibat mentem tempus illud jucundissimum, cum Lyceum nostrum Sua ornaret doctrina, Sui lumine ingenii illustraret; cum

Suae svavitate eloquentiae mentes nostras demulceret moveretque; cum naturae divitias pandens miraculaque explicans, in admirationem simul venerationemque Numinis adduceret animos; cum sanctissimae praecepta religionis et explicans distincte et graviter inculcans, frugifera pietatis semina in mentes juventutis Academicae spargeret. Memineramus, quam docte, quam prudenter, quam benigne et fideliter, juvenes discendi caussa ad hanc literarum sedem undique confluentes, omnigenae sapientiae auget opibus, consiliis monitisque saluberrimis formaret, fortunam eorum adjuvaret, quamque paterno illos affectu complecteretur; quanto ab iis vicissim amore et pietate, quamque merito, coleretur. Succurrebat, quam teneram, quam indefessam, hujus Lycei suorumque commodorum et salutis curam, postquam ad eminentiorem evectus stationem rebus ejus tuendis praefectus esset, quantoque successu, gessisset: quam vigiles pro emolumentis ejus amplificandis, inopia levanda, instrumentis institutisque iis quibus ad literas feliciter colendas opus est, comparandis et suffulciendis, in Comitibus Regni, unde omnis tum spes subsidii pendebat, excubias egisset; quantum gratia et auctoritate, qua apud Illustrissimos Academiae Cancellarios singulari semper valuit, et ad publicas Musarum nostrarum et ad privatas Academicorum res commendandas, adjuvandas, ornandas, per quatuor lustra contulisset; quanta non modo sapientia, fide studioque rebus Academiae toto illo intervallo praefuisset, sed benignitate et liberalitate ex privatis etiam copiis, publicis nostris necessitatibus subvenisset; quanta denique humanitate, quanta benivolentia, et doctores hujus Lycei et cives reliquos cum publice tum privatim habuisset atque excepisset: ita ut jucundissima summo merito, laudatissima ac felicissima illius temporis apud eos omnes et maneat et mansura semper sit memoria. Monumenta perennia illustriaque impensarum Suarum pro re Academica curarum atque in eam meritorum, menti recursabant: *Professio nova Chemiae et Metallurgiae* constituta publicoque stipendio dotata, parta publice ad Hortum Academicum instruendum, Minerophyla

cium emendum, Theatrum Anatomicum Laboratoriumque Chemicum aedificandum, liberalia subsidia; quibus omnibus rebus carere olim Academia nostra cogebatur. Testes magnificentiae Suae animo admovebantur, Bibliotheca publica benigne et exquisite aucta et ornata, Conchyliophylacium Academiae locupletatum, aliaque praeterea amicissimi Sui in literariam hanc civitatem animi documenta. Ingenii, industriae et doctrinae Suae coram erant monumenta, digna illa Auctoris laudibus, numerosa typis etiam vulgata, quibus lucem omnis generis literis praeclaram, egregiam huic Lyceo famam, opemque juventuti uberrimam et ad sciendi proclivitatem, et ad judicandi facultatem, ac gustum quem dicere solemus, sanum et exquisitum confirmandum, comparaverat. — Qui Juvenis elegantioribus feliciter litaverat studiis, ex his, severioribus quoque illis ad quae postea colenda sese contulit, venustatem cum dignitate conjunctam impertire noverat. Oratoria laude, et Latine dicens et vernacula utraque (nam et Fennici sermonis singulari eminebat facultate), quam insigni polleret, sive Academicam ornans Cathedram, sive Divinas e suggestu veritates explanans et vim illarum salutare animis hominum inprimis, sive merita egregiorum virorum solenniter celebrans, sive publicos civium sensus explicans; nostris excidere mentibus minime poterat, in tanta omnium consensione hominum, hanc facultatem Suam constanter admirantium. — Deleri ex memoria nostra nunquam poterit, quam eccellente et saepe alias, et novissime cum indulgentissima REX AUGUSTISSIMUS praesentia SUA Lyceum nostrum bearet, in desideratissimo Praesule Musae nostrae et interprete et duce gauderent. Nunquam gratissimis nostris effluet ex animis, quam certum semper et in rebus ad doctrinae cujusvis elegantiam et ad quasvis etiam reliquas eruditionis copias spectantibus, in Illo oraculum haberemus, quod consilii aut opis literariae indigis adire prosperrime omnibus liceret; qui Bibliothecae praeterea et locupletissimae et selectissimae opibus, collectis rerum cum naturalium tum artificialium varii generis copiis, antiquitatis, atque Fennicarum inprimis litera-

rum (ita dispersarum atque vastatarum, ut nusquam nisi in Suo illo penu refugium invenisse viderentur) egregiis monumentis, prodesse musarum quarumvis maximeque nostrarum, nec non artium omnium ingenuarum cultoribus valeret; quorum singulorum ingenio atque conatibus impense semper favit. Noverant adolescentes, se in Illo industriae, eruditionis, partaeque dexteritatis et acrem speculatorem, et judicem peritum, et patronum benignum certumque habere: quam efficax ad juventutis studia incendenda incitamentum! Noverant doctores Academici, diligentissime impensum in partibus officii sui implendis studium unam certissimamque esse rationem Maecenatis favorem et benivolentiam singularem promerendi, Cujus benignum iudicium maximi omnes faciebant, atque praemii instar vel solum reputabant. Sed nec in Ecclesiam universam et inprimis Fennicam, quanta Sua essent merita, aegras nostras mentes praeteriit: quam sollicitus quamque idoneus fuisset castae puraeque religionis custos; quam prudens et diligens rerum omnium ad curam gravissimi muneris pertinentium moderator; ordinis et severitatis, sed justae, aequabilis et sapientis, non illius quae nodos in scirpo quaereret, amicus, integritatis atque animi a privati lucri studio alienissimi ea florens laude, quae a macula vel levissimae suspitionis tuta maneret ac illaesa. Qui per vastissimum terrarum spatium porrectas Dioecesis Suae ecclesias, non commodissime omnes adeundas, impigre tamen obiit, obiissetque saepius, nisi ab aliis, iis inprimis temporibus frequenter ingruentibus, prohibitus fuisset muneris tuendi officii. Qui Synodis cogen-dis Sacerdotum studia literaria diligenter explorare, efficaciter excitare, paterne adjuvare, vigilantiam, curam, pietatem, consiliis, monitis et exhortationibus incendere et instruere, adeo non neglexit, ut libentissime has occasiones, fructum familiaritatis et consuetudinis Suae, caris sibi hominibus quorumque vicissim amore et veneratione sincerissima gaudebat, impertiendi, quoties per alias occupationes liceret, amplecteretur. Quem Editionibus Sacrorum Bibliorum Fennicorum binis, iisque praeclaris et diligenter

curatis praesedis, librisque aliis ad religionis et pietatis lucem atque studia in gente nostra propaganda promovendaque aptis utilibusque convertendis aut concinnandis vehementer favisse, laeta memoria tenebamus. Qui Xenodochiorum et Nosocomiorum publicorum, quam teneram, quam sollicitam diligentemque fovisset curam, vel laudatissima felicissimaque non semel suscepta pro Valetudinario (Xazarettet) quod hic Aboae est, procuratio et advocatio, pias mentes admonuit. Cui, quem svavissimum Ipse putavit harum omnium curarum, horum omnium laborum meritorumque fructum, cunctorum popularium Suorum universorumque hujus natalis Suae terrae incolarum partam caritatem, sciebamus; pro quo jugiter suscepta olim piissima vota, quibus etiam abeuntem a nobis prosecuti fueramus, quasi resuscitata cernere nobis jam videbatur, et jacturam nunc demum tristissimam vere nos passos sentire, quam aucta tum dignitas fortunaque Eminentissimi Viri, ut minus acerbè sentiremus effecerat. Quem asportasse secum ad novi etiam amplissimique honoris sedem nostri sempiternam memoriam, nec obliterari unquam passurum esse propensam in nos benivolentiam et amorem, rectissime confidebamus. — Privatae vitae apud nos modeste, honestissime, sancte et amanter actae, effigiem exsuscitata in tantis publicae laudibus, ne attingere quidem necesse est; nec illustrium illorum meritorum evocata commemorare seriem aut imaginem delineare, quorum, post discessum ex nostris his oris, ordinem novis insignibusque auxerat decoribus, quaeque suos optimo jure in illis suis sedibus jam invenerunt, eosque prout decuit eximios, interpretes. — Fructuum laudumque quae ad nostras literas nostrosque homines ex Immortalis Viri studiis accesserant, memoria vel sola excitanda, justissimam luctus materiam, desiderii que ex Tanti Viri decessu concepti, causam habebamus adeo locupletem, ut quasi evigilantibus ad moestissimum casum omnibus una pristini affectus viribus, quanto ad nos acerbior quam ad ullam aliam societatem, hinc doloris sensus pertineret, judicari facile queat. Cui taciti hactenus privatimque indulsimus, mentes nostras tu-

multuosa vicissitudine motuum agitati, ac ne ocius publice se proferret aegre imperavimus; spe non nulla adfulgente fore, ut si affectus vim tantisper cohibentes et pietatis persolvendae munus, quod gratissimae nostrae mentes manibus benignissimi olim Musagetae exhibere gestiebant, ad diem qui supremus Suae in hac vita commorationis fuit, proxime appetentem rejiceremus, testem exoptatissimum hujus nostri officii habituri essemus FILIUM desideratissimi MAECENATIS unicum, dignum in cujus ingenio virtuteque vivus acquiesceret et praemium felicitatis affectus inveniret, cujusque in memoriam tanti Parentis, tenerrimam pietatem optime cognoveramus: *Generosissimum loquor Dominum CAROLUM FRIDERICUM FREDENHEIM, a Caerimoniis publicis ad Aulam Regiam in Principibus Exteris et Legatis introducendis, Regique a Secretis primum, nec non Equitem Auratum Ordinis Regii de Stella Polari splendidum.* Qua spe jam licet destituti, praeterire tamen diem, cujus reditus tristem jacturae nostrae memoriam renovaturus est, sinere non potuimus, quin et doloris et pietatis inclusis hactenus affectibus libertatem tandem permitteremus palam sese efferendi atque effundendi. Proferet autem hos sensus nostros, doloris vim expromet, jacturae magnitudinem demonstrabit, luctusque et desiderii causas, laudes meritaque Reverendissimi Viri quem desideramus explicabit, pietatis nostrae, fidei officiique partes implebit Collega noster Honoratissimus, S. Theologiae ad hanc Academiam Professor Maxime Reverendus atque Celeberrimus, Dn. M. CHRISTIANUS CAVANDER; ipse eo sensu quem nostrum omnium nomine interpretaturus est, vivido etiam privatim affectus.



Index partis quartae:

| | Pag. |
|--|----------|
| Historiola concionum sacrarum Fennicarum | 1 — 32. |
| De superstitione veterum Fennorum theoretica et practica | 33—115. |
| De Bircarlis | 117—163. |
| De antiqua gente Qvenorum | 165—179. |
| De fama magiae Fennis attributae | 181—194. |
| De imperio Hermanrici Ostrogothorum regis | 195—214. |
| Dissertatio historiam Borgoae urbis Nylandiae leviter adumbrans | 215—251. |
| Observationes circa historiam decimarum ecclesiasti- carum in Svecia | 253—274. |
| De anno suscepti a rege Erico sancto imperii et ex- peditionis in Fenniam motae | 275—286. |
| De expeditione Johannis Lmi Svercheridae in Livoniam | 287—299. |
| Observationes nonnullae de dignitate Jarlorum in Svecia | 301—315. |
| De praecipuis dialectis linguae Fennicae | 317—331. |
| Observationes circa historiam denarii Petrini in Svecia | 333—356. |
| Oratio funebris in memoriam Henrici Hassel, professoris | 357—390. |
| Programma, d. 29 Octobris a. 1786 | 391—397. |
| Programma, d. 21 Maji a. 1787 | 399—407. |

78i

Hki'

SKS

Toim

21:4

(1870)

SUOMALAISEN KIRJALLISUUDEN SEURAN KIRJASTO



106 013 8485

